BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XX
B
55
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google


ARNOLDI CORVINI
à Belderen J.C. Batavi,
COMMENTARIUS
de
VERBORUM
SIGNIFICA-
TIONE
Cum Privilegio.
AMSTELODAMI.
Apud Johannem Janſsonium à Waeſberge, et
Viduam Elizei Weyerſtraet. Anno 1668.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Digitized by Google

ARNOLDI CORVINI
à BELDEREN, JC. Batavi,

AD
TITULUM
DIGESTORUM
De
VERBORUM
SIGNIFICATIONE.

COMMENTARIUS:
Locupletiſſima dote auctus.

AD
Illuſtriſſimum & Celſiſſimum Epiſcopum & Principem Paderbornenſem, Coadjutorem Monaſterienſem, &c.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE III · NAPOLI

AMSTELODAMI,
Apud *Iohannem Ianſſonium à Waeſberge*,
Et Viduam *Elizei Weyerſtraet.*

ANNO M. DC. LXVII.
Cum Privilegio.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO
Et Celſiſſimo PRINCIPI
ac Domino,

DN. FERDINANDO,
Epiſcopo Paderbornenſi,
Coadjutori Mona-
ſterienſi,

S. R. Imperii Principi, Comiti
Pyremontano, &c.

Domino Clementiſſimo.
S.

DIGNITATEM & utilitatem Juriſprudentiæ Romanæ eſſe maximam,

ignorat nemo. Quippe ſine ea, nec rei humanæ geri poſſunt benè & feliciter, nec civiliter ac ſapienter conſtitui vita. Meritò hinc appellari poteſt civilis ſapientia. Equidem non tantum humanarum, ſed & divinarum rerum eſt notitia, (Quæ Sapientiæ definitio germana) &, quod amplius eſt, juſti atque injuſti ſcientia. De Republica proinde merentur optimè, qui voce, ſcriptis, eam hominum inculcare conantur animis: Siquidem interpretentur eam, non ex aliorum opinioni-

bus,

bus, ſed Legum (Circa quas potiſſimum verſatur Jus) vera & genuina ſententia, ejuſque ratione. Nempè ex ea ſemper eſt æſtimandum Jus. In perſcrutanda & inquirenda ea, omni laborandum induſtria. Quippè quâ non perceptâ, quis ſe torquet fruſtra in addiſcendis iis, quæ, ubi didicit, neſcire fortaſſe malit. Senſum autem Legum verum & genuinum fruſtra quis inveſtigabit ſine verborum cognitione exacta. Verba rerum ſunt notæ & indices. Undè in his aber-

rans vel leviter, neceſsè eſt in ipſis rebus vel deſignatis negotiis ut erret. Clemens Alexandrinus *lib.* 6. *Stromatum ſcribit:* Δύο εἰσὶν ἰδέαι τῆς ἀληθείας, τά τε ὀνόματα, καὶ τὰ πράγματα: *Duæ ſunt ideæ veritatis, Nomina & Res.* Antiſtius Labeo ad enodandos pleroſque juris laqueos uſus eſt Verborum cognitionis ſcientia. Quintilianus dicit: *Multas Juris quæſtiones Verborum contineri proprietate.* Prudenter ergò, *De Verborum Significatione* titulum Digeſtis ſuis ſubjici voluit *Imperator Juſtinianus.* Ma-

gnam

gnam enim ſui partem Juriſprudentia Romana conſumit in Verborum conceptione conveniente, ſenſusque veri enodatione. Notum quam impegerint turpiter Interpretes ætatis Superioris, Viri alioquin magni & doctiſſimi; ex ſola verborum, eorundemque ſignificationis ignorantia; & quidem etiam in rebus non obſcuris. Propterea eos ſecuti, de Verborum Significationibus cogitarunt ſedulò. Animadvertebant enim notitiam Verborum comparandam eſſe omnium primùm. Qui cal-

let verba, facti habet dimidium. Laudandi Interpretes qui hunc Titulum ſuis illuſtrarunt Commentariis, licet fuſioribus. Ego illuſtro brevi. Scio brevia, ſi perſpicua, ſublevare memoriam maximè, obruere eam prolixa. Laborem noſtrum *Illuſtriſſime, Celſiſſime & Literatiſſime Epiſcope & Princeps*, offero & dedico *Tibi* mente humillima. Fronte & mente ſerena ſuſcipe, quæſo; ſimulque animum noſtrum *Tui* amantiſſimum. Imitare Summum Orbis Conditorem. Qui antefer-

re ſolet maximis & opimis donis, pium & firmum offerentis animum. Is det *Illuſtriſſimæ Celſitudini Tuæ* omnem illam felicitatem quam oſtendit ſe mereri.

Præcatur hoc, & ſperat,

Humillimus Servus.

ARNOLDUS CORVINUS
à BELDEREN.

Summa privilegii ab Auguſto Romanorum Imperatore obtenti.

LEOPOLDI Romanorum Imperatoris, Regis Germaniæ, &c. Archiducis Auſtriæ, &c. diplomate cautum eſt, nè quis in Imperio, Regnis, Ducatibus ſuis, aliisve locis ditioni ſuæ ſuppoſitis, intra viginti annorum ſpatium, à die editionis, poſt impetratum privilegium, primæ, computandum, excudat, vendat, excudendos, vendendosve quovis modo ac ratione conetur libros, antehac ab *Arnoldo Corvino à Belderen* J. U. D. & *Reverendiſſimi Archiepiſcopi & Electoris Moguntini, &c.* Conſiliario &c. editos & in poſterum edendos; excepto eo, cui conceſſerit

rit

rit dictus *Corvinus*: Sub pœnis in originali diplomate contra delinquentes expreſſis. Viennæ, die decima tertia Martii: Anno milleſimo ſexageſimo ſecundo.

Ad mandatum S. C. M. proprium
J. WALDERODE.

Ut WILDERICUS *Baro de Waldendorff.*

PERMISSIO.

DAT, *vi* Sacræ Cæſareæ Majeſtatis *privilegii Ipſi conceſſi Domino* JOANNI JANSSONIO à WAESBERGE, *Typographo Batavo, facultatem excudendi Commentarium ſuum* in Titulum Digeſt. de Verbor. Significat. *Locupletiſſima dote auctum.*

Moguntiæ, I. *Auguſti*, *An.* 1667.

ARNOLDUS CORVINUS
à BELDEREN.

Appro-

Approbatio Ordinarii.

LEgimus ſeu evolvimus tractatum Præ-Nobilis & Clariſſ. Dom. ARNOLDI CORVINI à BELDEREN, J. C. Batavi, ad *Titulum Digeſtorum de Verborum Significatione*, anno 1646. impreſſum, nunc locupletiſſima dote auctum; In quo cum nihil invenerimus vel Catholicæ fidei, vel bonis moribus contrarium, utiliter communi uſui dabitur Moguntiæ 8. Junii Anno 1667.

P. DE WAELENBURCH, *Epiſc. Myſ. &c. Suffrag. & Provicar. Libr. Cenſor.*

A. J. VOLUSIUS, *D. Conſil. Sigilliſer Mogunt.*

JUDI-

JUDICIUM.

UTilem & quaſi neceſſarium hunc Commentarium agnoſco, nec in illo quicquam eſt, quod à moribus & Fidei Romano Catholicæ profeſſione deviet Mogunt. 28. Julii 1667.

WALTHERUS HENRICUS STREVERSDORFF, *Epiſcop. Aſcatin. S. S. Theol. D. &c. Suffragan. Erfordienſ. &c.*

VER-

Google

VERBORUM
COLLECTIO
Juxta ordinem Alphabeti.
Ex Tit. Dig.
De Verborum Significatione,
Per P. C. B.

ABeſſe	l. 13. §. 1. & ult. l. 14. in pr. l. 173. §. 1. l. 199.
Abrogare	l. 102.
Abſens	l. 173 §. 1. l. 199.
Accidere	l. 162. §. fin.
Accipere	l. 71.
Ἀκρόδρυα	l. 236. §. fin.
Acta	l. 58.
Actionis verbo	l. 8. §. 1. l. 34. l. 178. § 2.
Actu	l. 225. in fin.
Adulter	l. 225.
Adulterium	l. 101.
Advena	l. 239 § 4.
Ædes uti optima maxima	l. 90.
Ædificia urbana, ruſtica	l. 211.
Ædificii ap.	l. 242. §. 2.
Ædium appellatio	l. 211. l. 242 §. fin. 245.
Æris appell.	l. 159.
Æs alienum	l. 213. §. 1.
Æs ſuum	l. 213. §. 1.
Affectus animi	l. 225.

Ager

Index de Verborum

Ager	l. 27, 115. §. 1. l. 211.
Agere	l. 19.
Agi	l. 235.
Aleator	l. 215.
Alienationis verbo	l. 28.
Alienatum	l. 67.
Aliquorum	l. 96. §. fin.
Ambigue loquens	l. 125.
Amici	l. 223. §. 1.
Amittere	l. 14. §. fin.
Amphora	l. 206.
Amplius	l. 82.
Angiportum	l. 59. in fin.
Anniculus	l. 132, 134.
Annulus ſignatorius	l. 74. in fin.
Annus civilis	l. 234. in fin.
Ante & poſt	l. 132.
Ἄποικοι	l. 239. §. 3.
Apoſtoli	l. 106.
Ἀποτέλεσμα	l. 5. §. fin.
Apud te	l. 63.
Arbitratu fieri	l. 68.
Area	l. 211
Arma	l. 42.
Armentorum ap.	l. 89. in pr.
Artemon	l. 242.
Adſignare libertum	l. 107.
Atteſtari	l. 39.
Aut	l. 124.

Βέλος.

VERBORUM
COLLECTIO
Juxta ordinem Alphabeti.
Ex Tit. Dig.
De Verborum Significatione,
Per P. C. B.

ABeſſe	l. 13. §. 1. & ult. l. 14. in pr. l. 173. §. 1. l. 199.
Abrogare	l. 102.
Abſens	l. 173 §. 1. l. 199.
Accidere	l. 162. §. fin.
Accipere	l. 71.
Ἀκρόδρυα	l. 236. §. fin.
Acta	l. 58.
Actionis verbo	l. 8. §. 1. l. 34. l. 178. § 2.
Actu	l. 225. in fin.
Adulter	l. 225.
Adulterium	l. 101.
Advena	l. 239. § 4.
Ædes uti optima maxima	l. 90.
Ædificia urbana, ruſtica	l. 211.
Ædificii ap.	l. 242. §. 2.
Ædium appellatio	l. 211. l. 242 §. fin. 245.
Æris appell.	l. 159.
Æs alienum	l. 213. §. 1.
Æs ſuum	l. 213. §. 1.
Affectus animi	l. 225.

Ager

Ager	l. 27, 115. §. 1. l. 211.
Agere	l. 19.
Agi	l. 235.
Aleator	l. 215.
Alienationis verbo	l. 28.
Alienatum	l. 67.
Aliquorum	l. 96. §. fin.
Ambigue loquens	l. 125.
Amici	l. 223. §. 1.
Amittere	l. 14. §. fin.
Amphora	l. 206.
Amplius	l. 82.
Angiportum	l. 59. in fin.
Anniculus	l. 132, 134.
Annulus ſignatorius	l. 74. in fin.
Annus civilis	l. 234. in fin.
Ante & poſt	l. 132.
Ἄποικοι	l. 239. §. 3.
Apoſtoli	l. 106.
Ἀποτέλεσμα	l. 5. §. fin.
Apud te	l. 63.
Arbitratu fieri	l. 68.
Area	l. 211
Arma	l. 42.
Armentorum ap.	l. 89. in pr.
Artemon	l. 242.
Adſignare libertum	l. 107.
Atteſtari	l. 39.
Aut	l. 124.

Βέλος

Google

Bέλος l. 233. §. fin.
Biſextilis annus l. 98. in pr.
Bona l. 21. 39. §. 2. l. 83. 182.
Bona civitatis l. 19.
Bona hereditatis l. 138.
Bonis quid proprium l. 182.
Bonorum app. l. 49, 208.
Bonorum poſſeſſio l. 319, 128.
Boves l. 89.

Cæpiſſe l. 140.
Cætera & cæterorum l. 44, 160.
Calumniari l. 233. in pr.
Capere l. 71. in pr.
Capitalis l. 103.
Carbonum app. l. 167.
Cavillatio l. 177, 233. in pr.
Cautum l. 188. §. fin.
Cadere diem l. 213. in pr.
Cenſere l. 111.
Cenſor ibid.
Centum in funus conſtitutis l. 202.
Civitates l. 16.
Cognoſcere l. 56. in pr.
Collegarum ap. l. 173. in pr.
Collegium l. 85.
Commendare l. 186.
Commodum cum erit l. 125.
Commune l. 239. in fin.
Concedere bona l. 21.
Conjuncta pro disjunctis l. 29. l. 53.

Con-

Conjunctio l. 142.
Continentes provincia l. 99. §. 1.
Contractus l. 19. verſ. 2.
Contrahere l. 19, 20.
Contubernales l. 184.
Coram facere l. 209.
Creditor l. 10, 11, 12, 55. conditionalis l. 54. temporalis. l. 55.
Culpa l. 226. lata. l. 213. §. fin. magna. l. 226.
Cum fari poterit l. 227.
Cum commodum erit l. 125.
Cum potuero dabo ibid.
Cuſtodia verbo l. 224

D*Educto are alieno* l. 39. §. 1. l. 165.
Debere l. 178. §. fin.
Debitor l. 108.
Decurio unde l. 239. §. 5.
Dediſſe l. 53. in pr. l. 76.
Delata hereditas l. 151.
Derogare l. 102.
Deterius jus fundi factum non eſſe l. 126.
Deteſtari l. 39. §. 2.
Deteſtatio l. 40.
Deteſtatum l. 238. §. 1.
Diei pars major l. 2. §. 1.
Dimiſſoria litteræ l. 106.
Disjunctum l. 53. in pr. l. 124.
Diſpungere l. 56. in pr.
Divortium l. 501. §. 1. l. 191.
Dolia l. 206.

Dolus

Dolus l. 226. malus. l. 69.
Dominus ubi cujuſque l. 203. in pr.
Donatio l. 53. in pr. l. 67. §. fin.
Donum l. 194, 214.

EDere rationes l. 89. §. 2.
Emancipatus l. 195.
Emptor bona fidei l. 109.
Erro l. 225.
Erit l. 123.
Eſt l. 123.
Exacta pecunia l. 187.
Exciſus l. 141.
Exhibere l. 22, 246. in pr.
Ex legibus l. 6. §. fin.

FAbri tignarii & lignarii l. 235. §. fin.
Facere l. 218.
Facere oportere l. 189. *ad Faces paratum.* l. 167.
Faciendi verbo l. 175.
Familia ap. l. 4. §. fin. 95. 196.
Familia urbana, ruſtica l. 166. in pr.
Falſum l. 221.
Ferri l. 235. in pr.
Filiarum appellatio l. 164. in pr.
Filius exciſus l. 141.
Filii appellatio l. 84, 101, 220. §. fin.
Filii filiusve l. 116.
Filio filiisque l. 122.

Filium

ilium habere l. 141.
inita l. 229, 230.
raus l. 131. in pr.
ruges l. 77.
Frumentum ibid.
Fruſtrari l. 233. in pr.
Fugitivus l. 225.
Fundus l. 60. in pr. & §. fin. 115, 211.
Fur l. 225.
Furem non eſſe l. 174.
Furto noxaque ſolutum ibid.

*G*ENERI *appel.* l. 136.
Gerere l. 19. 20.
Geſtum l. 19. in fin. l. 58. in pr.
Glandis appellatione l. 236. §. fin.
Glans caduca l. 30. § 4.

*H*ABERE l. 143, 164. §. fin. l. 188. §. 1.
Habere filium l. 141.
Hæredem eſſe oportet. l. 227. in pr.
Hæredis ap. l. 65. 170.
Hæreditatis ap. l. 3. §. 1. l. 24, 119, 138. 178. §. 1.
Hæreditas legitima, teſtamentaria l. 130. *delata* l. 131.
Hominis appellatio l. 152.
Hoſtes l. 118, 234. in pr.

*I*LLE *aut ille* l. 124.
Impenſæ neceſſariæ, utiles, voluptuariæ l. 79.
Immiſſum l. 242. §. 1.
Immunitas l. 18.

Incer-

Incertus poſſeſſor l. 39. §. fin.
Incola l. 239. §. 2.
Indicare reum l. 197.
In diebus l. 217. §. fin.
Inſtrumentorum ap. l. 99. §. fin.
Integra terra l. 30. §. 2.
Inteſtatus l. 64.
Intra diem mortis l. 133.
In utero exiſtens l. 133, 251.
Iter diei l. 3.
Iumentorum app. l. 89. in pr.

K*Alendis biſſext.* l. 98. in pr.
Kalendarum ante vel poſt diem l. 132. in pr.

L*Atrones* l. 11. in fin.
Legare l. 120.
Legatorum petitio generalis l. 80.
Legum ap. l. 6. §. 1.
Liberorum app. l. 56. §. 1. 220. in pr.
Liberos habere l. 148, 149.
Liberationis verbo. l. 47.
Liberti app. l. 172, 245.
Liberti noſtri l. 58. §. fin.
Libertorum libertarum app. l. 105. l. 172. l. 243.
Lignorum app. l. 167, 168.
Lignum coctum l. 167.
Lis l. 36.
Litera dimiſſoria l. 106.
Littus publicum l. 96, 112.

Locu-

Significatione.

Locuples l. 234. §. 2.
Locus l. 60. in pr. §. 1.
Luſcus l. 101. §. 2.

M *Agiſtratus* l. 57. in pr.
Magiſtri ibid.
Mangones l. 207
Major pars anni l. 156.
Malum l. 242. in pr.
Maſculorum app. l. 195. in pr.
Materfamilias l. 46. §. 1.
Medicamentum l. 236.
Menſis intercalaris l. 98. in fin.
Meorum tuorum ap. l. 91.
Mercis ap. l. 66, 207.
Meum totum l. 25. in pr.
Mille paſſus l. 154.
Minus ſolutum l. 12. §. fin. l. 32, 82, 117.
Mobilium & Moventium ap. l. 66. l. 93.
Modius iniquus. l. 221.
Morari l. 233.
Morbus l. 101. §. 2.
Morbus ſonticus l. 113.
Mortis tempore eſſe. l. 153.
Mortui apud hoſtes hereditas l. 3. §. fin.
Mortuus natus. l. 129.
Mulcta l. 131. §. 1. l. 244.
Mulier l. 195. §. fin.
Mulieris appellatione l. 13.
Municipes l. 18. in fin. l. 228.
Munificus l. 18.

Munus

Munus l. 18, 194, 214.
Munus publicum l. 239. §. 3.

NAſciturus l. 231.
Natorum appellatio l. 104. §. 1.
Navis appellatio l. 242. in pr.
Negativa duo l. 237.
Negligentia magna l. 226.
Nominis appellatio. l. 4. l. 6.
Noſtri liberti l. 58. §. fin.
Noſtrum totum l. 25. in pr.
Notionis appellatio l. 92.
Novalis terra, ager l. 30. §. 2.
Noxia appellatio l. 238.
Noxiis ſolutum præſtare l. 258.
Nupta dum erit l. 89. §. 1.
Nurus appellatio l. 50.

OFficium l. 18.
Ope, conſilio l. 53. §. 1.
Operis appellatio l. 5. §. fin.
Oportebit l. 8.
Oportere l. 7.
Oppidum l. 39. §. 7.
Opprobrium l. 42.
Optimus maximus l. 126, 163, 169.
Orationis nec disjunctiva nec conjunctiva interpretatio l. 28. §. fin.
Ornamenti ap. l. 74.
Oſtentum l. 38.

Παιδίον

Παιδίον	l. 163. §. fin.
Palam	l. 33.
Pali	l. 168.
Παλλάκη	l. 144.
Παροικὸς	l. 239. §. 2.
Parentis app.	l. 51.
Paries	l. 157.
Paterfamilias	l. 195. §. 2.
Partis appellatio	l. 25. §. fin. l. 26.
Partitionis verbo	l. 164. §. 1.
Partus	l. 26.
Partus monſtroſus, portentoſus, debilis	l. 135.
Paſcua ſilva	l. 30. §. fin.
Patris app.	l. 201.
Patroni app.	l. 52.
Peculii proprium	l. 182.
Pecuniæ app.	l. 5. 88. 97. 178. 222.
Pellex	l. 144.
Penes te	l. 63.
Peperiſſe	l. 132. §. fin.
Perduelles	l. 234.
Perfeciſſe	l. 139. §. fin.
Periſſe	l. 9.
Περίστρωμα	l. 45.
Pernoctare	l. 166. §. fin.
Perſequi	l. 57. §. fin.
Perſecutionis verbo	l. 178. §. 1.
Perſona ſpecioſa	l. 100.
Pertica	l. 168.
Pertinere	l. 70. §. fin. l. 181.
Perveniſſe	l. 264. §. fin. l. 171.

Perveniſſe ad te	l. 171.
Petitionis verbum	l. 178. §. 2.
Φάντασμα	l. 38. in fin.
Φάρμακον	l. 236.
Pignus	l. 242. §. 2.
Plebs	l. 238. in pr.
Plumbum	l. 742. §. 2.
Pluris aureorum xxx.	l. 232.
Pluriſve	l. 191.
Pœna	l. 131. 144.
Pomi app.	l. 205.
Portari	l. 133.
Portus	l. 50.
Poſſeſſio	l. 78. 215.
Poſſe, cum potuero	l. 123.
Poſt diem decimum	l. 133.
Poſthuma	l. 164.
Poſtquam fari poterit	l. 217.
Poteſtatis verbo	l. 217.
Prædio aliquorum	l. 96. §. fin.
Prædiorum jura	l. 86.
Prædium	l. 115. in fin.
Prædones	l. 118.
Præſens	l. 173. §. fin.
Præſtare recte	l. 71. §. fin.
Prævaricatores	l. 312
Pratum	l. 31.
Probrum.	l. 42.
Projectum	l. 242. § 1.
Pronunciatum	l. 46.
Provinciales	l. 190.

Proximus

Proximus l. 91. 155. 162.
Publica l. 15. 16. 17.
Publicanus l. 16.
Pueri appellatio l. 166 §. fin. l. 294.
Puerpera l. 162. §. fin.
Pupillus l. 161. 239.

Q*uanta pecunia* l. 97.
Quanti ea res erit vel eſſe paret l. 179. 19.
Quisquis mihi heres erit l. 227.
Quanto minus l. 150.
Quiſquis mihi filius filiave heres ſit l. 116.

R*aptum* l. 9.
Recte l. 71. in fin. 73.
Reddere rationes l. 94.
Rei appellatio l. 6, 7. l. 23, 72.
Reliquorum l. 95, 160.
Repudium l. 101. §. 1. l. 191.
Reſtituere l. 22, 33, 75, 246. §. 1.
Reſtitutionis verbo l. 81.
Roma appellatio l. 2, 87, 139, 147.
Ruta caſa l. 241.

S*atiſdationis appellatio* l. 61.
Separata l. 53.
Sequeſter l. 110.
Seria l. 206.
Servi app. l. 40. §. 11. l. 101. §. fin. l. 239. §. 1.
Servus urbanus l. 210.

Silva cadua l. 30. in pr. paſcua. l. 30. §. 5.
Συνάλλαγμα l. 19. verſ. 2.
Singularis app. l. 158.
Si quis l. 1.
Soceri & ſocrus app. l. 146.
Soluta pro ſeparatis. l. 53.
Servitus l. 86.
Solvendo eſſe l. 14.
Solutionis verbum l. 176.
Solutus l. 43.
Soluto matrimonio l. 240.
Sonticus morbus l. 11.
Spadonum appellatio l. 128.
Specioſa perſona l. 100.
Sponſio l. 7.
Statutum l. 46.
Stipendium l. 27. §. 1.
Stragula l. 45.
Stratum l. 41.
Stratura l. 242. §. 4.
Stuprum l. 10.
Subdisjunctivum l. 124.
Subſignare l. 39. in pr.
Subſtitutio vulgaris. l. 162.
Sulphurata l. 167.
Sumptibus conſtitutis l. 202, l. 19.
Supremus l. 92, 162, 163.
Suum l. 230. §. fin.

T*Aberna* l. 183, 184.
Tabernacula. l. 184.

Taber-

Taberna inſtructa	l. 185.
	l. 104.
Telum	l. 233. §. 2.
Terra integra	l. 30. §. 2.
Ter enixa.	l. 137.
Terra novalis	l. 30. §. 3.
Territorium	l. 239. §. 8.
Teſtamentum falſum	l. 221.
Tigni appell.	l. 62.
Titio	l. 167.
Toga	l. 180. §. fin.
Totum meum	l. 25. in pr.
Totum noſtrum	l. 25. in pr.
	l. 233. §. fin.
Tranſacta	l. 229, 230.
Tributum	l. 27. §. fin.
Tugurii app.	l. 180. in pr.
Tutor falſus	l. 221.
VAſa vinaria	l. 208.
Vectigal publicum	l. 17. §. fin.
Vecors	l. 242. §. 3.
Venditum	l. 67. in pr.
Venenum bonum, malum	l. 236.
Venire ad hæredem	l. 165.
Venire diem	l. 213. in pr.
Verba contrahentium	l. 219.
Veſanus	l. 242. §. 1.
Veſtis app.	l. 127.
Via	l. 157. §. 1.
Victus nomine	l. 43, 44, 45, 234. §. fin.

Vidua l. 242. §. 3.
Villa l. 211.
Victus l. 216.
Vinculorum app. l. 216. l. 224.
Virilis app. l. 145.
Vitium l. 101. §. 2.
Vivere l. 234. §. 2.
Voluntas contrahentium l. 219.
Vota l. 233. § 1.
Vrbana prædia l. 198.
Vrbanum mancipium l. 210.
Vrbare l. 236. §. 6.
Vrbs l. 2, 87, 239. §. 6.
Vrbum l. 239. §. 6.
Vſu ſuo l. 203.
Vſura l. 121.
l. 177.

Finis Indicis in Titulum ff. de Verborum Significatione.

a *Teſte Socrate apud Epictetum.*

b *Quintilian. 5. Inſtit. Orator. c. ult.*

c *L. Labeo. 7. §. 2. ff. de ſupellect. leg. l. 3. ff. de reb. dub.*

ARNOL-

Digitized by Google

ARNOLDI CORVINI
à BELDEREN, J.C. Batavi,

AD TITVLVM DIGESTORUM DE VERBORUM SIGNIFICATIONE.

COMMENTARIUS.

De Verborum a *ſignificatione* b.

DE *Verborum.* a] Ut in aliis diſciplinis neceſſarium, exactam earum nominum & appellationum habere cognitionem; ita & in Juriſprudentia *b.* Quippe ea, partim in rerum divinarum atque humanarum, quæ quidem ad juris ſcientiam pertinent, cognitione conſiſtit. Cognitio ea ex *Verborum ſignificatione* ſumenda eſt. *Verba* enim ſunt rerum notæ & indices *c.* Verborum appellatio hic tam nomina aut vim nominis habentia, *ut cum exponitur quid ſit* dies, *l* 2. 3. *hic.* iter diei, *d. l* 3. mille paſſus, *l.* 154. *eod.* anniculus, *l.* 134. *eod.* probrum, *l.* 42. 224. *eod. &c.* quam verba; *ut quid ſignificet, verbum* oportere, *l.* 37. *eod.* reſtituere, *l.* 9 *eod.* deteſtari, *l.* 39. *l.* 237. *eod.* cognoſcere. *l.* 56. *eod.* diſpungere, *d. l.* 56. *&c.* aliaſque orationis partes, *ut*, pe-

nes, apud, *l.* 63. *eod.* ante, *l.* 132. *eod.* poſt, 132. *eod.* cum, *l.* 219. *eod.* coram, *l.* 209. *eod.* palam, *l.* 33. *eod. &c.* atque adeò ipſam orationem comprehendit. *ut, quam vim habeat* conjuncta, disjuncta, disjunctiva, ſubdisjunctiva, ſeparata. *l.* 28. *l.* 29. *l.* 53. *eod. item hac*, Cum erit commodum, *l.* 125. *eod.* cum potero, *l.* 125. *eod.* quanti ea res *erit*, *l.* 129. *&* 193. *eod &c.*

Significatione. b] Verba quatuor modis accipiuntur; *Alciat. hic.* Ex *proprietate, improprio, uſu, interpretatione. Propriè* cum abſolute poſita; *per l. cum lege.* 29. *ff. qui teſtam. fac. l. non aliter.* 69. *ff. de legat.* 3. *l. Nepos Proculo. ff. hic.* Niſi non ita voluiſſe autorem appareat. *d. l. non aliter.* 69. Tunc enim ex conjectura reſtringuntur. *Proprietas* autem verborum non tantum ad *nomen*, ſed ad *vim ſignificandi* referri debet. Quare & appellatio per metaphoram, aliamve figuram ſumpta, propria nobis erit; modò nihil ſignificantius dici poſſit. *Impropriè*; id eſt, *abuſivè*, *l. fidejuſſor.* 16. *§. naturales ff. de fidejuſſ. l.* 2. *§. teſtamentum. ff. quem. teſtam. aper.* verba regulariter non accipiuntur; Niſi aliter actus vel periret, vel eluſorius redderetur. *l. cum filiofam.* 50. *ff. de legat.* 3. Ex *uſu loquendi* verba ſignificationem accipiunt. Nam uſus etiam proprietati præſcribit; *l. cum de lanionis.* 18. *§. aſinam.* 2. *ff. de fund. inſtr.* & meritò de illo dicit Horatius, *Quem penes arbitrium eſt, & vis & norma loquendi.* Uſum intelligimus, qui paſſim ab omnibus eſt receptus. Abſurdum enim

eſſet, ſi ex abuſivo rudis vulgi loquendi & intelligendi modo communem loquendi uſum introduci diceremus. *ſecund. Bald. in l. 1. C. de ſucceſſ. Edict.* Per *interpretationem*, ſeu *extenſionem*, verba accipiuntur; cum ex eo quod ſcriptum aut dictum eſt, colligimus id quod ſcriptum aut dictum non eſt; ut perinde eſſe dicamus, ac ſi ſcriptum aut dictum eſſet. Quo pertinent, *loci legales*, *à ſimili*, *contrario*, *connexis*.

LEX I.

Ulpianus Lib. I. ad Edictum.

VErbum hoc, *Si quis*, [a] tam *maſculos*, quam *fœminas* [b] complectitur. [c]

EXPLICATIO.

Si quis. a] Dictiones hæ *Si quis*, *quis*, *quiſpiam*, aliaque id genus derivata, non tantum apud Juriſconſultos, *ut hic l. ſi quis. 7. pr. ff. de Iuriſdict. l. 3. §. 1. ff. de negot. geſt. l. 1. §. ait Prætor. ff. de conſtit. pec.* ſed & Sacroſanctam Scripturam: *Geneſ. 23. verſ. 3. Iudic. 11. verſ. 33.* Auguſtin. *lib. 7. quæſt.* ait. *ſolet Scriptura maſculinum pro quolibet ſexu ponere.* & autores alios promiſcuè ad *marem* & *fœminam* efferuntur. Ennius: *Quis tu es mulier; quæ me inſueto nuncupaſti nomine?* Plautus in Aulularia; *Dic mihi* (inquit) *ſi audes, quis ea eſt, quam vis du-*

cere uxorem? Terentius in Eunucho: *Quandoquidem illarum neque quiſquam te novit.* Liv. Andronic. *Mulier quiſquis es te volumus.* aliique teſte Marcello.

Tam maſculos quam fœminas. c] Eſt Hyſterologia. Ictis non inuſitata. *l.* 1. *ſi ager vectigal l.* 7. *de pactis. l.* 3. § *Labeo. de incend. ruin. naufrag.*

Complectitur. c] *Sexus maſculinus* continet *fœmininum*, *l. pronunciatio.* 195. *in princ. hic.* Non contra. *l. ſin ita.* 45. *pr. ff. de leg.* 2. *l. ſervis legatis* 81. *pr.* & § 2. *ff. eod.* 3. Idque non tantum in *favorabilibus*; ſed & *pœnalibus.* In *favorabilibus*, ut ſi filiis legatum relictum, *l. ſi ita ſit ſcriptum.* 45. *ff. de legat.* 2. illi hæredes inſtituti, *l. quiſquis mihi.* 116. *hic.* tutores eis dati. *l. ſi quis ita.* 16. *in princ. ff. de teſtam. tut.* &c. Siquidem non aliter ſenſiſſe autorem appareat; *l. Lucius.* 93 §. *quæſitum.* 3 *ff de legat.* 3. ſive ex conjecturis, ſive cum ſeparatim de utroque ſexu actum eſt; *l. ſi ita ſcriptum.* 13. *in princ. ff de liber. & poſth.* ſive quia diſpoſitio non benè fœminis convenit. ut ſi ſit de ſuſcipienda procuratione, vel aliena defenſione, *l.* 4. *l. alienam.* 18. *C. de procurat. l.* 2. *ff. de div. reg. jur.* tutela, *l. tutela.* 16. *l. fin. ff. de tutel. Auth. matri & avia. C. quand. mul. tut. off.* feudo. §. *filia vero. in Uſib. Feud. tit. de ſucceſſ. feud.* In *pœnalibus ſexus maſculinus fœmininum* etiam continet: Licet aliquando mulieres mitius puniantur, eiſque ſuccurratur. *vid. l.* 1. §. *accuſationem. verſ. merito.* & *l.* 5. *ff. ad SC. Turpill.* & *l. ſi quis.* 7. §. 1. *ff. de juriſd. l. ſi quis*

in

in tantam. 7. *C. unde vi. l. ait D. Trajanus.* 16. *ff. de jur. fiſc. l. mater.* §. 1. *ff. ad. leg. Iul. de adult. Gl. in l. un. C. de raptu.* Idque non interpretationis extenſivæ beneficio *ut volunt Gl. in l. ſervis legatis ff. de legat* 3. *Bart. ad d. l. ſi quis in tantam. Bald. in l. ult. C. de hered. inſtit. Cujac. obſ.* 21. *lib.* 6. *& Dd. alii.* ſed ſermonis proprietate. Ut patet ex verbo *complectitur*; *in hac. & d. l. ſi quis.* 7. §. 1. *ff. de juriſd.* & verbo *continet. in l. hominis.* 52. *inf. hic. l.* 61. *ff. de legat.* 2.

LEX II.

Paulus Lib. I. ad Edictum.

URbis *a* appellatio *muris*, *Romæ b* autem *continentibus ædificiis* finitur, quod latius patet.

EXPLICATIO.

Vrbis. a] *Vrbem* veteres mœnium ambitu, præfiniebant; *l. pupillus.* 239. §. *urbs.* 6. *ff. hic.* quantum ſcilicet aratro fuerat deſignatum, quod omne pomærio continebatur. *l.* 239. §. *urbs.* 6. *ff. hic.* In *urbe* ergò ſunt qui intra mœnia verſantur. *l. ut Alfenus ait* 87. *ff. hic.* Unde legatum rerum ad urbis habitationem commodatum & deſtinatarum, ad eas quæ extra *urbis* mœnia ſunt, non protrahitur; niſi rerum legatarum qualitas, hoc velit. Ea enim res, ut umbra corpus, quocunque ingrediantur loco, ſe-

 quitur.

quitur. *not. Gl. in l. frater à fratre. ff. de cond. indeb. & arg. l. Iulianus. §. ſed. & ſi quis. & ibi not. ff. ad exhib.* Hinc urbana ſupellectile (cujus qualitas ea eſt ut & ruri & in civitate haberi poſſit.) legatâ, tam de ea quam in civitate, quam in ſuburbiis; *l. nam quod.* 4. §. 4. *cum ſeqq. ff. de pen. leg.* uſque ad centeſimum lapidem teſtator habet, ſenſiſſe intelligitur. *l.* 1. §. *cum urbem ff. de offic. Praf. Vrb.*

Roma. b] *Roma* appellatio, urbis appellatione, latior eſt, cum non muris, ſed *continentibus ædificiis*, finiatur, & ſuburbia complectatur. *l.* 2. *l. ut Alfenus.* 87. *ff. hic.* Romæ itaque ea videntur ædificia fieri, quæ in continentibus ædificiis fiunt. *l. ædificia.* 139. *in princ. ff. eod.* & penus quæ Romæ legata, non ea tantum quæ intra murum, ſed & quæ intra continentia ſit, debetur. *d. l. nam quod.* 4. § 4. *cum ſeqq. l. Cui.* 84. *ff. de legat.* 63. & Romæ dicitur natus, qui in continentibus urbis, id eſt, *ſuburbiis* natus; *l. qui in continentibus.* 147. *ff. hic.* non qui in vico urbi Romanæ reſpondenti; licet is patriam Romam habeat. *l. qui ex vico. ff. ad mnnicip.* Quæ omnia & in cæteris urbibus obtinent, ſi continentia ædificia quoque habent. *d. l. nam quod.* 4. §. 4. *ff. de pen. leg. l. cætera §. hoc SCtum. ff. de legat.* 1. *l. ſi quis.* 16. *ff. mand.*

IDEM

IDEM §. 1.

Cujuſque *diei* c major pars eſt horarum *ſeptem primarum diei*, non *ſupremarum* d.

EXPLICATIO.

Cujuſque diei. c] *Dies* apud varias Gentes variè obſervabatur. Athenienſes inter duos occaſus Solis: Babylonii duos ortus; Umbri à meridie in meridiem. *Aul. Gell. Noct. Attic. l.* 3. *cap.* 2. *Macrob. Saturn. lib.* 1. *cap.* 3. *Plin. lib.* 1. *cap.* 77. Romani vel à media nocte, in mediam noctem; *l. more.* 8. *ff. de fer. & dilat. Gell. Plin. d. loc.* qui eſt *dies civilis*, horis viginti quatuor conſtans. *d. l. more.* 8. *Macrob. d. loc.* Vel (ut & vulgò) ab ortu, ad occaſum Solis; *l. hac verba. ff. hic. l. aut facta ff. de pœnis.* qui *dies* eſt *naturalis*; duodecim conſtans horis. *Cenſor. de die natal. cap. ult.* Sed hic mens paciſcentium; *fac. l. ſemper* 34. *de div. reg. jur. l. ex conducto.* §. 4. *Locat.* & ſubjecta materia attendenda eſt. Nam cum aliquid tractatur, quod aliam rationem in luce. aliam in tenebris habet, *dies naturalis*; cùm de continuo temporis ſucceſſu, quæritur, ut in præſcriptionibus, *dies civilis*, ſequendus, *l. in uſucapionibus. cum. l. ſeq. ff. de uſucap.*

Non ſupremarum. d] Intelligit hic Juriſconſultus *diem naturalèm*; & vult majoris partis diei nuncupationem, non ab horarum numero

ſimpliciter, ſed à diei parte actuoſa eſſe faciendam. Si quidem veteres matutinas & antemeridianas horas ſeriis negotiis occupabant: eaque diei pars melior dicebatur. *Virgilius lib.* 3. *Æneid. Quoniam melior pars acta diei eſt.* Quicquid diei erat reliquum, palæſtris, ludis, balneis, & ſympoſiis, abſumebant. *Martial. lib.* 4. *Epigram.* 8.

Prima ſalutantes atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia Cauſidicos:
In quintam varios exercet Roma labores,
Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.

LEX III.

Ulpianus lib. II. ad Edictum.

I*Tinere* a faciendo *viginti millia* b *paſſuum* c in dies ſingulos peragenda, ſic ſunt accipienda: ut ſi, poſt hanc dinumerationem minus quam viginti millia ſuperſint, *integrum diem* occupent d. Veluti viginti unum millia ſunt paſſus: biduum eis attribuetur, quæ dinumeratio ita demum e facienda erit, ſi de die non conveniat f.

EXPLICATIO.

Itinere. a] *Iter facere*, hic intelliguntur viatores, qui aliter *iter agere* dicuntur, *l. un §. fin. ff. fur-*

ff. furti adv. naut. caup. &c. Quæ hic de iis dicentur, ad eos, quibus navigandum eſt, non pertinent, ſed quot milliaria ſingulos in dies ſint computanda boni viri arbitrio relinquendum. *per l.* 1. *C. de dilation.* Meritò. *Nihil* enim *ut inquit, Tacitus* 14. *Annal. tam capax fortuitorum quam mare.*

Viginti millia. b] Puta ſi *à lege certa milliaria* ſint *conſtituta*; ut, in eo qui abſens in jus vocatus, *l.* 1. *ff. ſi quis caution.* tutore, qui ſe excuſat, & ultra centeſimum lapidem abeſt, §. *qui autem.* 16. *Inſt. de excuſat. tutor. l. ſcire oportet.* 13. §. 1. *ff. eod. l.* 101. *cum Lex. De Reg. jur.* eo qui bonorum poſſeſſionem ſibi decerni poſtulaturus ad Præſidem tendit: *l.* 2. *& pen. ff. quis ordo in bon. poſſ ſerv. lis non conſtitutis*, arbitrio boni viri hoc relinquendum; qui, habitâ ratione *temporis*, *ſexus*, *valetudinis*, quot milliaria ſingulis diebus is de cujus itinere quæritur, conficere poſſit æſtimabit; *l. continuus.* 137. § *cum ita* 1. *ff. de verb. oblig.*

Paſſuum. c] *Paſſus* ſunt quinque pedes, quantum ſcilicet paſſis, id eſt, apertis brachiis efficere quis poteſt, undè & paſſus dictus. *Alciat. in l. quinque pedum. C. fin. regund. & capit.* 18. *lib.* 1. *Parerg.* Numerandi hic ſunt ejus viæ, per quam vulgò iter fieri conſuevit, *l.* 1. § 2. *ff. de his qui dejec.* & quidem à milliario urbis, non à continentibus ædificiis, *l. mille.* 154. *ff. hic. ubi vide.*

Integrum diem occupent. d] Id eſt, ſi in computatione vicenarii numeri, ſucciſivi, aliquid

redundet, & minus quam viginti millia ſuperſint: hoc ſuccifivum quicquid eſt, diem integrum occupet. Exempli cauſſa, ſi peragenda fuerint unum, & viginti millia paſſuum; qua in ſupputatione unum ſuccifivum eſt, & ſupra viginti redundat, quæ integro unius diei itinere tribui ſolent: tunc biduum eis attribuetur: & ſic unum, cum ſuccifivum eſt ex viginti, diem unum occupabit.

Ita demum.] Adverſa valetudine impeditus, excuſetur. *l. ſi cui* 38. *quib. ex cauſ. major. d. l. ſcire oportet.* 13. Eſt & hic modus, (ut & alias) tenendus; Ne nimia feſtinatio, vel lentior excuſetur mora Placet enim JCtis ſemper moderatio. *l. ſi ſervos.* 25. *de pig. act. l. continuus.* 139. *de verb. oblig. l. tutor.* 7. §. 1. *de admin. tut. l. nec ſupina. C. de jur. & Inſt. ign.*

Non conveniat.] Unde qui ex pacto, Edicto Principis, vel Lege, abſolutè tali vel tali die adeſſe obſtringitur, etiamſi dictam vicenariam itineris ſupputationem longè ſuperaverit, ex pacto, edicto, vel lege tenetur: neque dinumeratione Juriſconſulti poteſt adjuvari. *l. de die* 8. *ff. qui ſatiſd. cogant. d. l. continuus.* 137. §. *cum ita. ubi Imol.*

IDEM §. 1.

Ejus qui apud *hoſtes* deceſſit, dici hereditas non poteſt *a*, quia ſervus *b* deceſſit.

EXPLICATIO.

Non poteſt. a] Puta ſi apud *hoſtes* teſtamentum fecit; *§. fin. Inſt. quib. permiſſ. non eſt fac. teſtam.* Quod dum in civitate erat fecit, ſive redierit, valet jure poſtliminii, cum ab hoſtibus reverſi, omnia priſtina jura recuperent; *§. ſi ab hoſtibus. 5. Inſt. quib. mod. jus patr. pot. ſolv.* ſive illic deceſſerit, valet ex lege Cornelia. *l.* 1. *& l. raptum. 9. C. de poſtlim reverſ. l. lex Cornelia.* 28. *ff. de vulg. & pup. ſubſt.*

Servus. b] Captus ab hoſtibus maximâ capitis diminutione & patriam amittit & bonorum poteſtatem, & fit inteſtabilis. *d. §. fin. Inſt. quib. non eſt perm. fac. teſt. l.* 5. *ff. de ſtatu hom. l. intercidit.* 59. *§. fin. ff. de condit. & demonſt. l. ſervitutem.* 209. *ff. de div. reg. jur.* Non captus in bello quod inter Chriſtianos geritur. *Alciat. in l. hoſtes.* 118. *hic. Daut. de teſtam. num.* 201. Imp. lex ſervis liberam rerum ſuarum adminiſtrationem permiſit. *Nov.* 38. ut & captivis teſtamenti factionem. *Novel.* 40.

LEX IV.

Paulus lib. 11. ad Edictum.

NOminis *a* appellatione *rem b* ſignificari Proculus ait.

EXPLICATIO.

Nominis. a] *Nomen* (dictum ex eo quod

Creditor nomen debitoris in codicem referebar. *Cicer. pro Roſcio Comæd.*) hic, & *in l. nominis. 6. inf. eod.* pro debito ponitur. *l. qui chirographum. 59. de legat. 3. l. 1. C. de donat.* vel pro ſyngrapho creditarum pecuniarum, vel *ut. in l. ult. in princ. C. de pact. convent.* pro cautione fœneratoria. Sæpiſſimè *Nomen* pro ipſo debitore ponitur apud Authores. Sic Cicero. 5. epiſt. 6. *Ego autem meis rebus geſtis hoc ſum aſſecutus, ut bonum nomen exiſtimer.* Horatius epiſt. lib. 2. *Cautos Nominibus certis expendere nummos.*

Rem. b] Id, hic, eſt, *rem debitam*, id quod eſt in actionibus. Unde qui nomen legavit, id quod in actionibus eſt legaſſe intelligitur, *d. l. qui chirographum. 59. ff. de legat. 3.* Inſtrumentis agrorum pignori oppoſitis, agri quoque obligati cenſentur, *l. 4. Cod. quæ res pign. oblig. poſſ.*

LEX V.

Idem libro 11. ad Edictum.

REI a appellatio latior eſt, quam *pecunia*, b quia etiam ea, quæ extra computationem patrimonii noſtri ſunt, continet: cum pecuniæ ſignificatio ad ea referatur, quæ in *patrimonio* ſunt.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Rei. a] *Rei* vox varias in jure habet ſignificationes, quarum aliquas pro inſtituto noſtro hic referre ſufficit. Nonnunquam ſignificat negotium, materiam, quæſtionem, *ut in l. ſi quis aliquid. §. qui abortionis. ff. de pæn.* Interdum æquum & bonum, *ut in l. 1. §. Divus. ff. ad leg. Corn. de ſicar.* Aliquando conditionem, *ut in tit. C. de rei uxor. act.* Quandoque (ut & hic,) pro bonis ponitur, *ut in l. ex facto. §. rerum autem ff. de hered. inſt.* Quandoque ſignificat proprietatem, *ut in l. ſi in rem. ff. de rei vindic.* Aliquando dominium, *l. rem in bonis. ff. de acquir. rer. dom.* Interdum contractum, *l. 1. ff. de reb. cred.* &c. Eſt enim tranſcendens, & immenſæ amplitudinis, ut definitionis terminis coerceri nequeat. Anguſtè accepta diſtinguitur à perſonis & Actionibus. *§. ult. Inſt. de jure Nat. Gent. & Civ. l. 1. ff. de ſtatu homin.*

Pecuniæ. b] Vult hic Juriſconſultus rem quodammodo genus eſſe ad pecuniam. Pecuniâ puta contineri, quæ patrimonio comprehenduntur. At ea quæ nominibus continentur, quæque patrimonio non includuntur, rei, non etiam pecuniæ nomine ſubſignari.

In patrimonio.] id eſt, in bonis vide infra *l. 222. & l. 138. in princ.*

IDEM

IDEM §. 1.

Opere locato conducto: his verbis Labeo ſignificari ait id opus, quod Græci ἀποτέλεσμα vocant (non ἔργον) id eſt, ex opere facto *corpus* aliquod *perfectum a.*

EXPLICATIO.

Perfectum. a] Qui locant, vel conducunt opus non aliter intelliguntur locare, vel conducere, quam opus conſummatum, & abſolutum, cui manus extrema acceſſerit. Tunc enim locator, vel conductor perfunctus opera eſt exiſtimandus, cum totum *corpus* ex opere *perfectum* eſt, ut nihil deſit, *l. 1. ff. de orig. jur. l. ſi is qui.* 80. §. 1. *verſ. ſed & ſi. ff. ad l. Falcid. l. pen. C. de his quib. ut indig. l. veſtimentum.* 22. *ff. de aur. & arg. leg. l. ædificia.* 139. §. 1. *hic* In rebus enim perfectionem ſignificantibus, nec admittitur plus, nec *minus*, nec videtur exacto quidquam exactius *reperiri* poſſe nec recto rectius: aut lineâ recta dari rectior ſecundum Euclidem. Quare officium exactum ſignificat exactiſſimum; *l. in re* 21. *C. mandat.* & cuſtodia diligens, diligentiſſimam. *l.* 5. *Commod.*

LEX VI.

Vlpianus lib. III. ad Edictum.

NOminis & *rei a* appellatio ad omnem contractum & obligationem pertinet.

EXPLICATIO.

Nominis & rei. b] Cum omne quod noſtrum eſt, poſitum ſit aut in *re expedita*, aut in *debitis*, *quæ nomina ſolent* appellari, (ut ſupra diximus) & ab iis qui nobis debent ſunt exigenda, §. 1. *Inſt. de action.* ſequitur in omni contractu & obligatione alterutrum intervenire; & aut de re, aut de nomine agi. Nam & rem & nomen vendimus, *l. à Divo Pio.* 15. *§. item quid.* 10. *ff. de re judic.* rem & nomen obligamus, *l. nomen* 4. *C. quæ res pign. dar. l. ſi convenerit.* 18. *ff. de pignor. act.* de re aut de nomine paciſcimur, *l. pactum* 46. *l. ſi quis crediderit.* 49. *ff. de pact.* Fruſtra quidam τὸ *Rei* hic à Reo id eſt debitore derivant; cum à *Re* tractum ſit: ut docet Græcorum verſio, ἡ τοῦ χρημματείας, ἢ τοῦ πράγματος προσηγορία εἰς πᾶν συνάλλαγμα καὶ ἐνοχὴν ὁρᾷ.

IDEM §. 1.

Verbum *ex legibus*, ſic accipiendum eſt: tam ex *legum ſententia*, quam ex verbis. *a*.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Ex verbis. a] Quia non minùs ex *mente legiſlatoris*, quam ex *legis verbis* voluntas legiſlatoris cognoſcitur; præcipuè cum verba ipſa nullam, niſi ex legiſlatoris mente & ob mentem vim habeant. *l. Labeo ait.* 7. §. *ult. ff. de ſupell. leg.* Unde non minus legiſlatorem offendit is, qui contra ejus voluntatem facit, quam qui contra legis verba. *l.* 5. *C. de legib.* Proinde licet propriè nihil contra legem faciat, facit tamen in fraudem legis, *l. contra.* 29. *cum l. ſeq. ff. eod.* cum à legiſlatore una viâ prohibitum, tentat alterâ facere. *l. ſcire oportet.* 21. §. 1. *ff. de tutor. dat. ab his.* Calumniari jura non oportet nec virorum prudentium auctoritatem ad inſidias & verborum tendiculas inflectere. *l. ſciro leges.* 17. *de legib. l. pen. ad exhib.* Cicero *pro Cecinna*, ſic. *Quæ lex, quod Senatuſconſultum, quod Magiſtratus edictum, quod fœdus aut pactio, quod, ut ad res privatas redeam teſtamentum, quæ judicia aut ſtipulationes, aut pacti & conventi formula non infirmari aut convelli poteſt, ſi ad verba rem deflectere, velimus; Conſilium autem eorum qui ſcripſerunt & rationem & auctoritatem relinquamus.* Dicit Plato, Theæteto: *Solius utilitatis civium ſcopum unum legiſlatoribus propoſitum.* Theophilus Jus Civile τὸ χρειῶδες, Lactantius utilitatem vocat: Quam violat, qui, ut dictum, verbis inhærens, legis mentem circumvenit. *d. l.* 5. *C. de legib. l. fraus.* 30. *ff. eod.*

LEX

LEX VII.

Paulus lib. II. ad Edictum.

S*Ponſio* a appellatur, non ſolum quæ per *ſponſus* b interrogationem c fit: ſed omnis ſtipulatio promiſſioque.

EXPLICATIO.

Sponſio a] *Spondere* dicimus etiam quoties verbis promittimus, licet nullus à nobis ſtipuletur. *l. ſciendum* 19. §. 2. *ff. de Ædil. Edict.* §. 1. *Inſt. de verb. oblig.* Alias *ſponſio* accipitur, pro certatione pignorum ni ita ſe res habet, ut qui deponit affirmat. *l. ſi gratuitam.* 17. §. *fin. ff. de præſcr. verb. l penult. ff. de alea luſu. Aul. Gell. Aſcon. Pædian.*

Sponſus. b] Sic legendum, non *ſponſi. Varro lib.* 5. *de lingua latina.* Nam *ſponſus* dicimus. unde actio ex ſponſu. Hinc illud Servii Sulpitii *apud Gell. lib. & cap.* 4. *Si poſt eas ſtipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur, qui ſtipulatur ex ſponſu agebat, judices cognoſcebant.*

Interrogationem. c] Rectè. Rogabat enim Creditor ſpondebat promiſſor. *l.* 1. *l. ſi ita* 126. *de verb. oblig.* Uſitata erat hæc formula: *Rogavit Titius ſpopondit Mævius. l. Iurisgentium.* 7. §. *quod fere. de pact.* Feſtus ait: *Præs eſt is, qui populo ſe obligat, interrogatusq; à Magiſtratu.* Si præes ſit, *ille reſpondet præs.* Inde

de fidejuſſor, qui interrogabatur *Fidejubes*, vel *Spondes*, reſpondebat *Spondeo*, ſponſor dicebatur. *§. in hac Inſt. de verb. oblig.* Quintilianus *declam.* 273. ex Lege veteri dicit. *Adverſus Sponſorem ſit actio qua adverſus debitorem; quod debitor non ſolvit ſponſor ſolvat:* Id eſt, Fidejuſſor. *§. 1. Inſt. de fidejuſſor.* Accipitur enim per ſtipulationem. *l. blanditus.* 11. *C. de fidejuſſor.*

LEX VIII.

Idem libr. III. ad Edictum.

VErbum *Oportebit* [a] tam præſens, quam futurum tempus ſignificat.

EXPLICATIO.

Oportebit. a] Verbi gratia cum quis promittit, *quicquid dare facere oportebit. Gl. hic.* Nam etiam ex vi ſermonis, præſens comprehenditur: cum qui dare facere debet tempore contractus, etiam poſt contractum dare facere teneatur; nec enim per eum contractum præſens obligatio extinguitur. *Oportet* autem verbum in ſtipulatione. *Quid te mihi dare facere oportet*, & aliis, quod præſenti die debetur tantum complectitur. *l. ſi ſtipulatus.* 76. *§.* 1. *l. ſi à colono.* 89. *l. cum ſtipulamur.* 125. *ff. de verbor. oblig.* Verba enim ſemper ſecundum ſuum tempus ſunt accipienda. *l. ſi ſcripſiſſet.* 46. *ff. de legat.* 2. Niſi aliter expreſsè actum ſit. *l. non aliter.*

liter. 69. *ff. de legat.* Volebant cautè contrahentes utrumque tempus conjungere. Oſtendit hoc Galli Aquilii acceptilationis formula. *Quicquid te mihi ex quacunque cauſa dare facere oportet, opportebitve præſens in diemve, &c.* § *item per acceptilationem. Inſt. Quib. mod. tollit. oblig. l. d. uno.* 18. *de acceptilation.* Imò in concipiendis legibus, decretis, fœderibus veteres utrumque pariter dixerunt.

IDEM §. 1.

Actionis verbo [a] non continetur *exceptio.* [b]

EXPLICATIO.

Actionis. a] Puta *ſpecialiter* ſumto; *Generaliſſimè* ſumto omninò continetur; *l.* 1. *ff. de except.* id eſt, ſignificatur.

Exceptio. b] Eſt enim actionis excluſio. *l.* 2. *ff. de exception.* Diſtinguendum. Aut agitur de re favorabili, aut de odioſa. Si de illa; actionis nomine certè continetur exceptio: & tunc dicemus reum excipiendo agere. *d. l.* 2. *l.* 1. §. *ait Prætor. de dolo malo.* Si de hac; non & actione denegata, non denegatur exceptio. *Bart. in d. l.* 1. *vid. ſe pœna. pr. de cond. ind. l. juxta. Quod metus cauſſa l. ſi quis in tantam. C. de vi.* Odioſum enim id eſſet, & cum æquitate naturali pugnans. *fac. c.* 1. *de except. c. etſi Chriſtus de jurejur.*

LEX

LEX IX.

Ulpianus Lib. V. ad Edictum.

MArcellus apud Julianum notat verbo *Periſſe* & *ſciſſum* & *fractum* a contineri, & *vi raptum.* b

EXPLICATIO.

Fractum. a] Quia amiſſa dicuntur & ea quæ corrupta alicui relinquuntur. *l.* 4. §. *amiſſa.* 10. *ff. de vi bon. rapt. l. ſi ſervus ſervum.* 24. §. *inquit lex.* 13. *cum* §§ *ſeqq ff. ad leg. Aquil.*

Vi raptum. b] *Vi rapere* plerunque vim majorem ſignificat, *l.* 1. *l.* 2. §. 1. §. *ſi per vim. l. fin. ff. vi bon. rapt. l.* 3. §. *non tantum. ff. de incend.* Sæpius pro re ſubjecta ad leviorem & quaſi vim, etiam eam, quæ effectum ſortita non eſt, refertur. *d. l.* 3. §. *non ſolum. l. ſi quis ex domo. ff. de furt.* Nam ſi quid frangatur, vel ſciſſum ſit, etiamſi vi atroci non fiat, raptum dicitur, quia ruptum eſt, & loco ſuo motum. *d. l.* 3. §. *non ſolum. l.* 3. *ff. ne quis eum qui in jus voc.*

LEX X.

Idem Lib. VI. ad Edictum.

CReditores a accipiendos eſſe conſtat eos, quibus debetur ex quacunque

cunque actione *b*, vel perſecutione *c*, vel jure Civili *d* ſine ulla *e* exceptionis perpetuæ remotione, vel honorario *f*, vel extraordinario *g*, ſive purè *h*, ſive in diem, vel ſub conditione *i*. Quod ſi naturâ *k* debeatur, non ſunt loco creditorum. Sed ſi non ſit mutua pecunia, ſed contractus *l*: creditores accipiuntur.

EXPLICATIO.

Creditores. a] *Creditor* ut quis dicatur, ſatis, quod fidem alterius ſecutus ſit, vel verè, vel legis interpretatione. *l. in fraudem.* 27. *ff. qui & à quib. manu. vid. l.* 1. *verſ. pen. ff. de reb. cred.*

Actione. b] *Actio* hic conſideratur ut ſpecies perſecutionis, cum alias generalius ſumpta, omnem ſub ſe perſecutionem contineat, quâ quid ſeu in jure, ſeu in judicio poſtulatur, petiturve. *l. pecuniæ.* 178. §. *actionis.* 2. *ff. hic.* Ut hic conſideratur, definitur jus perſequendi, non in jure, ſed in judicio, id quod ſibi debetur. §. 1. *Inſt. de action.* Dividitur in *realem* & *perſonalem:* Illa petitio; hæc actio in ſtrictiſſima ſignificatione dicitur. *l actionum.* 25. *l* 28. *l.* 37. *ff. de oblig. & action.* § *ſic itaque. Inſt. de action.* Utram qui habet hic creditor dici poteſt. Nam & qui rem alterius tenet, licet perſona

ſona ipſius nullo jure ſit obligata, §. *omnium. Inſt. hic.* ratione rei debitor eſt, eam enim reſtituere tenetur.

Perſecutione. c] Puta *merâ*, ab actione diſtincta; Eſt, cum prætermiſſo legitimo agendi ordine ac formularum ritu, (qui in actione obſervandus) apud Magiſtratum experimur: unde *extraordinaria* dicitur, *in l. pecunia.* 178. §. *actionis. ff. hic.*

Iure Civili. d] Jure civili non tantum debetur ei qui quem ex contractibus eo jure inventis; ut *ſtipulatione*, *literarum obligatione*, *emphyteuſi*, *&c.* habet obligatum; ſed & ex contractibus Juris Gentium: quia à jure Civili approbati.

Sine ulla e] Quia exceptio perpetua actionem ita perimit, ut eâ nunquam uti poſſimus. exempli cauſſa: ſi quis, *ſe nunquam petiturum convenerit. l.* 3. *ff de exception.*

Honorario. f] Jus honorarium eſt, quod ex Edictis Prætorum deſcendit, ſic ad honorem Prætorum nominatum. *l.* 7. *in fin. ff. de juſt. & jur. l.* 2. §. *eodem tempore. ff. de orig. jur.* Ex hoc jure eſt *obligatio de conſtituta pecunia*, *de peculio*, *in rem verſo*, *&c.*

Extraordinario. g] Cum Prætor, æquitate motus, in cauſſis juriſdictionis, civili actione deficiente, officium ſuum impertit; ut cum filiofamilias, qui viaticum ſibi à patre datum, mutuum dedit, extraordinario judicio ſubvenit. *l. cum filiusfamilias.* 17. *ff. de reb. cred. & ibi gloſſa.*

gloſſa. c. inquiſitionis. de accuſat. gloſ. in c. quoniam contra. de probation.

Purè. h] Id eſt, ſimpliciter & abſolutè, *l* 5. *in princ. ff. de doli mali except.* ſine die & conditione. *l.* 8. *ff. de auctor. tut.*

Sub conditione. i] *Conditio* vel in *præſens*, vel in *præteritum*, vel in *futurum* confertur. Sed ea demum poteſtatem conditionis obtinet, id eſt; in eventum aliquem negotium ſuſpendit, quæ in futurum confertur. *l. cum ad præſens. & l. itaque. ff. de reb. cred.* Hæc confertur vel in caſum & eventum incertum & *caſualis*; vel in arbitrium, & *poteſtativa* à Juſtiniano, *l. un. §. ſin autem. C. de caduc. toll.* promiſcua à ICto Paulo, *l. ſi jam facta. §.* 1. *ff. de cond. & demonſt.* dicitur. Sub hac cui debetur propriè eſt creditor; cui ſub illa impropriè, at eveniente propriè retro fuiſſe videtur. *l. is. cui* 42. *ff. de oblig. & action.*

Natura k] Cui *natura*, id eſt, ex obligatione naturali, & quidem ſimplici, jure naturali efficaci, debetur, creditor quidem revera eſt, unde & fidejuſſorem accipere poteſt; non tamen creditoris loco habetur. *l. fidejuſſor.* 16. *§. naturales.* 3. *ff. de fidejuſſ.* Quia nullam ex hac cauſſa habet actionem. *l. Iuris Gentium.* 7. §. 4. *ff. de pactis.* Etſi naturalis æquitas contrahentes ad tuendam fidem adhortetur. *l.* 1. *de pactis. l.* 1. *de conſtit. pecun.* Seneca *lib.* 5. *de benefic.* inquit, *Legem non habent nec actionem, ad quæ conſuetudo vitæ humanæ, lege omni valentior, dat aditum. Quæ lex ad id præſtandum*

ſtandum nos, quod alicui promiſimus, alligat? Nulla: Querar tamen cum eo, & fidem datam, nec ſervatam indignor. Is enim natura debet, quem Jure Gentium dare oportet, cujus fidem ſecuti ſumus. *l cum amplius.* 84. *de reg. jur.* Grave eſt fidem fallere, quam ſervari natura æquum eſt. *l.* 1. *de pact. l.* 1. *de conſtit. pecun.*

Contractus. t] Non tantum ex *traditione* pecuniæ creditor quis efficitur, & debitum perſequi poteſt: ſed etiam ex *contractu, venditione* puta, & *emptione*; in qua præſens pecunia non intervenerit, ſed per ſtipulationem promiſſa fuerit. *l. pecuniæ verbum.* 178. *ff. hic*

LEX XI.

Cajus Lib. I. ad Edictum Provinciale.

CReditorum appellatione non hi tantum accipiuntur, qui pecuniam [a] crediderunt: ſed omnes quibus ex qualibet cauſſa debetur.

EXPLICATIO.

Pecuniam. a] Propriè *creditores* ſunt qui pecuniam mutuam dederunt; & ſimiliter qui eis reſpondent: *debitores* ſunt, qui ex cauſſa crediti debent: *l. incendium. C. ſi cert. pet.* ſed porrigitur utrorumque appellatio etiam ad alios con-

contractus, *l. omnem. ff. de judic.* veros vel quaſi. *l.* 1. *ff. ſi cert. pet.*

LEX XII.

Ulpianus Lib. VI. ad Edictum.

[UT] ſi cui ex *empto*, vel ex *locato*, vel ex *alio* debetur. Sed etſi ex *delicto* a debeatur mihi videtur poſſe creditoris loco accipi. Quod ſi ex *populari* cauſſa *b*, ante litis conteſtationem rectè dicetur creditoris loco non eſſe, poſtea eſſe.

EXPLICATIO.

Delicto a] Eſt hic creditoris loco, cum delinquens pœnæ ſe obligaſſe videatur, *l. cum obligamur* 52. *§. ex peccato.* 8. *l. actionum.* 25. *§. verſ. pen. ff. de oblig. & act.* Crimen, fraudem, delictum, malum, contrahere dicimur. *l. fraudati.* 7. *de publican. l. poſt.* 15. *l. donationes* 31. *de donat. & ſi rerum* 52. *de re judic. l.* 2. *Cod. ad leg. Iul. de adult. l.* 2. *de cond. ob turp. cauſ.* Alioqui revera, cum delinquentis fidem ſecutus non ſit, non eſt creditor. Eleganter ergò Ariſtoteles maleficia adactos contractus & involuntarios, *ἀκούσια*: ſpontaneos verò *ἑκούσια συναλλάγματα* nominavit. *lib.* 5. *Ethicor. cap.* 11. Animadvertendum Actionem, con-

tracto ſcelere ſemel quæſitam vix amitti: nec facile delinquentis pœnitentia, evitari pœnam. *l. pen. vi bonor. rapt. l. qui ea. 56. de furt. l. dum fructuarium. 64 cum. ſeq. de uſufruct.*

Populari cauſſa. b] *Cauſſa popularis*, ut ſuum jus populi tueatur, *l. 1. ff. de popul. act.* ad multos pertinet, per unum tamen agenda, *l. 2 3. ff. eod.* unde, ſi quid debeatur, ante litem conteſtatam creditor is dici nequit; quia non prius conſtat ad quem ex multis actio pertineat. *l. eum qui. 30. §. 3. ff. de jurejur. l. pen. §. 1. ff. de popul. act. l. ſi quis. 56. §. fin. cum l. ſeq. ff. de fidejuſſ.* Eſt enim, pluribus populari actione agentibus, Prætoris optio eligere idoneorem. *l. 2. ff. de popul. act. l. ſi plures 16. de accuſat.* Hoc judicii genus vocabatur Græcis ἀνάκρισις, Latinis *Divinatio:* quoties videlicet pluribus ad eandem accuſationem actionemve inſtituendam contendentibus, quis admitteretur potiſſimum ambigebatur. *Fortunatian. in Chriis. Aſcon. Padian. in Verrin. Ciceron. Aul. Gellius. Noct. Atticar. lib. 2. cap. 4.* Sed non niſi integræ perſonæ cuique per Edictum poſtulare liceret, hæc actio permittebatur. *l. 4. de popul. act.*

IDEM §. 1.

Minus ſolvit *a*, qui tradius ſolvit nam & tempore minus ſolvitur.

EXPLICATIO.

Minus ſolvit. a] Solidum enim non minus ſolvitur

ſolvitur quantitate quam die. *l. ſolidum.* 85. *ff. de ſolution.* Quippe temporis lapſu non parum è ſolutione deterit. Cunctis enim in negotiis temporis & opportunitatis obſervatio plurimum habet momenti. Pindarus in Pithiis: ὁ δὲ καίρος ὁμοίως παντὸς ἔχει κορυφάν: Tempus pariter in omni re faſtigium obtinet: Unde qui ſuâ die non ſolvit, ſi ad intereſſe agatur, jure conqueri non poteſt; *Doct. in l. obligatione C. de ſolution. l. locum.* 60. *ff. pro ſocio.* Ab ejus tamen ſolutione liberatur, ſi creditor ſolutionem poſt tempus recepit. *l.* 3. *C. depoſ.*

LEX XII.

Idem Lib. VII. ad Edictum.

MUlieris appellatione etiam virgo *viripotens* a continetur.

EXPLICATIO.

Viripotens. a] *Mulieres* dicuntur omnes quæ ſexus fœminini ſunt, cujuſcunque ſint ætatis *arg. l. veſtis.* 23. §. *veſtimenta* 2. *ff. de auro*, *arg. leg.* Itaque mulieris appellatione virgo viripotens continetur; *ut hic.* & mulieribus legatis etiam virgines debentur. *l. ſervis.* 81. *ff. de legat.* 3. Dicit Fulgentius *epiſt.* 3. *ad Probam. de virginit. Virginis ſi quis velit diligenter conſiderare vocabulum etiam ad mulierem pertinere videbit.* D. Auguſtinus *lib. de conſenſu. Euangeliſt. cap.* 28.

& in Matthæi. cap. 9. Duodecim annorum puellam mulierem appellat, Hebræo more. *Nam & aliis,* inquit, *ſcripturarum locis hoc invenitur; non eas tantum quæ virum paſſæ fuerant, ſed etiam fœminas intactas & integras mulieres appellare.* Conſuetudo tamen tulit, ut virum paſſæ, mulieres; illibatæ, virgines appellentur. *Cicer. Verrin.* 3. Unde fœminam emturo, ſi venditor affirmaverit non eſſe mulierem, de corrupta intelligimus; *l. alioquin.* 11. §. 1. *ff. de contrah. emt.* Non enim eſt veriſimile de ſexu tunc fuiſſe dubitatum. D. Hieronymus illud Oſeæ: *Sponſabo te mihi*, exponens. *Vide*, inquit, *quid interſit inter Dei conjunctionem & hominum. Homo cum uxorem accipit, de virgine mulierem facit. Deus etiam meretricibus copulatis, mutat eas in virgines.* Virgo igitur corruptæ mulieri opponitur. *d. l. alioquin.* 11. §. 1.

IDEM §. 1.

Res abeſſe a videntur (ut Sabinus ait & Pedius probat.) etiam hæ quarum corpus manet, *forma* b *mutata* eſt, & ideo ſi corruptæ, redditæ ſunt, vel transfiguratæ, videri abeſſe quoniam plerumque plus eſt in manus pretio *c*, quam in re.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Res abeſſe. a] Id eſt, è noſtris bonis ablatæ ut patrimonium noſtrum diminuiſſe videantur. *l. ſubſignatum. §. bonorum. l. tantum. inf. hic.*

Forma. b] Omnia quæ arte aut natura conſtant ex *materia* & *forma* ſunt compacta. A *forma* omnia quidem nuncupationem ſuſcipiunt, ſed tamen in illis quæ arte fabrefacta, vel *materia*, vel *ars* præcellit. Ea in quibus forma materiæ præſtat, *formâ* abolitâ, abeſſe dicuntur. *l. ſeq. hic.* non in quibus *materia* præſtiterit, ſiquidem materia ſuperſit, quia ſcilicet plus pretii eſt in materia, quam in forma; cujus princeps ratio habetur.

Abeſſe. b] Unde re ſic reſtitutâ, ea iterum peti poteſt tanquam ſi nihil eſſet reſtitutum. *l. etiam circa.* 27. *ff. de ſolution. l.* 3. §. 1. *ff. commod.*

Manus pretio.] Id eſt, in eo quod res, ob eam, quam habebat manu Artificis impreſſam formam, pluris erat. Cenſorinus *initio libri* de *die natali ad Q. Carellium:* ſic. *Munera ex auro, vel quæ ex argento nitent, cælato opere, quam materia cariora.* Ovidius ſolis regiam deſcribens, *materiam,* inquit, *ſuperabat opus.* Manus enim pro opere. Petronius: *Nam & Leuridis manus vidi.* Solinus: *Hæ ædes Dædali manus oſtendebant* Propertius: *Sive ebore exacta, ſeu magis ære manus.*

IDEM. §. 11.

Deſinere a autem abeſſe res tunc videtur cum ſic redit in *poteſtatem* b, ne amittere[ejus] poſſeſſionem poſſimus *c*.

EXPLICATIO.

Deſinere. a] Verbum hoc ſignificat rei quam habuimus privationem, aut ejus quod incepimus negotii ceſſationem. Eſtque, quod ſolet dici: *Privatio præſupponit habitum.* Deſiiſſe enim non videtur, quod nec incæpit. *l. Titio uſusfructus. 96. princ. de condit. & demonſtrat.* Quod Græci καταλύειν. Ut πλεῖν καταλέλυκα, *navigare deſii*, apud Demoſthen.

Poteſtatem. b] Res quæ nobis ſubtractæ ſunt, vel vi, vel furto, etiam abeſſe dicuntur. At ſi eæ nobis recuperatæ ſunt & in poteſtatem noſtram redierunt; cum primum hoc ſciverimus; *l. qui fundum.* 7. *§. pen. ff. pro emtore.* abeſſe deſinunt. Unde ſi iterum contrectentur, furti competit actio. *l. inter omnes.* 46. *§ fin. ff. de furt.*

Poſſimus. c] Juſtè ergò ejus poſſeſſionem nanciſci debemus. *l. ſequitur.* 4. *§. tunc in poteſtatem.* 12. *ff. de uſucap.* Unde rem ſi vi recuperaverimus, ea non videtur nobis deſiniſſe abeſſe; cum auferri poſſit. *l. non videtur.* 22. *de acq. poſſ. l. non videtur.* 13. *l. non videtur.* 51. *l. quod evincitur.* 190. *de Reg. Iur.* In interdicto enim

enim poſſeſſionis recuperandæ, dominii exceptio rejicitur. *l. ſi quis. C. ad leg. Iul. de vi. priv.*

IDEM. §. III.

Ob hoc, quod furto pridem ſubtracta eſt *a*. *Abeſt* & ea res quæ in rebus humanis non eſt *b*.

EXPLICATIO.

Furto pridem ſubtracta eſt. a] Pertinet hoc ad Legem Atiniam, quæ rem furtivam (Cujus Lege XII. Tabul. erat æterna auctoritas) in poteſtatem Domini reverſam, quaſi vitio purgato, uſucapi permittebat. *l.* 4. §. *quod autem cum ſeqq. de uſucap. l. poteſtatis.* 215. *hic.*

Abeſt. b] *Abeſſe*, imò maximè, dicuntur eæ quæ prorſus depereunt ita ut materia pariter & forma intereat; ſive id fiat, ſi ſint, animatæ, per mortem; ſic, quoad homines, abeſſe dicuntur mortui, & inter homines eſſe deſinere, ab hominibus eripi, *l. quod Principi.* 56. *cum ſeq. de legat.* 2. Abſentes ἄποντες, pro mortuis; ſive, ſi inanimatæ, caſu, ut incendio, naufragio. &c. *l. incendium. C. ſi cert. pet. l.* 4. *C. depoſ. l.* 5. *ff. de reb. cred. l.* 5. *ff. commod. l ſi ſervus. ff. de legat.* 1. *l. ſi ex legati. ff. de V.O.* Res etiam quæ nunquam fuit, in rebus humanis ubique abeſſe dicetur; *Neque* enim *abeſſe*, eſt deſinere eſſe, ſed non eſſe præſens.

LEX XIV.

Paulus lib. VII. ad Edictum.

Labeo & Sabinus exiſtimant, ſi *veſtimentum ſciſſum* reddatur, vel res corrupta ſit; veluti *ſcyphi colliſi*, aut *tabula læſa pictura*, videri *rem* abeſſe *a*: quoniam earum rerum pretium non in ſubſtantia, ſed in arte ſit poſitum. Item ſi dominus rem, quæ furto ſibi aberat, ignorans emerit *b*; rectè dicitur res abeſſe, etiam ſi poſtea id ita eſſe ſcierit: quia *videtur res ei abeſſe, cui pretium abeſt.*

EXPLICATIO.

Abeſſe. a] *Formâ rei mutatâ*, ut ſupra diximus, res abeſſe intelligitur. Ea mutatur vel *deterioratione*, rem corrumpendo; vel *ſpecificatione*. Corrumpitur res, ſi corpore manente, ejus forma, quæ dat eſſe rei, figura & diſpoſitio, ſcindendo, frangendo, rumpendo, atripiendo, atterendo, collidendo, contundendo, convellendo, radendo, diſtrahendo, dilaceretur; ut hic exemplis veſtimenti ſciſſi & ſcyphi colliſi, & tabulæ picturâ raſâ, indicatur. *Specificatione* mutatur forma, quando ex aliena materia

materia vel ſpecie, arte aliud opus ſeu ſpecies, priore formâ mutatâ vel ſublatâ, conficitur. *vid. §. cum ex aliena. 25. cum § ſeq. Inſt. de rerum diviſ.*

Emerit. b] Undè ſi à fure, emit, vel, ipſam rem, vel ejus pretium, rurſus petere poteſt. *fac. l. ſi filiofamilias.* 19. *verſ. fin. l. illud.* 37 §. 1. *ff. de donat. mort. cauſ.* ſi ab alio, pretium; ſiquidem ignorans emit; *l. ſua rei.* 16. *ff. de contr. emt.* Emere hic intellige de facto; de jure enim rei ſuæ ſive ignorans, ſive ſciens emtor nemo eſt. *d. l. ſua rei.* 16.

IDEM §. 1.

Rem amiſiſſe a videtur, qui adverſus nullum ejus perſequendæ actionem *b* habet.

EXPLICATIO.

Amiſiſſe. a] Amittere rem non videtur, cui propria non fuit. *l. non videntur.* 83. *ff. de diverſ. reg. jur.* Quæ tamen, regula aliquando ceſſat. *ut in l. ſi ſic conſtituta.* 7. *Quemad. ſervit. amitt. can. Concilia. diſt.* 17. *can. quorundam. diſt.* 13. *& ibi.* Gloſſ. *& in l.* 1. *§. uſque adeo. Quib. mod. uſusfr. amitt.*

Actionem. b] Nam qui actionem habet, rem habere videtur. *l.* 5. *ff. de in int. reſt. l.* 9. *§.* 6. *ff quod met. cauſ. vid. l. ſi quis.* 28. *ff. de negot. geſt.* Eſt tamen minus. *l. minus* 204. *ff. de div. reg. jur.* Quia tutius rei incumbere.

LEX XV.

Ulpianus Lib. X. ad Edictum.

BOna civitatis abuſivè a publica dicta ſunt, ſola enim ea publica ſunt, quæ populi Romani ſunt *b.*

EXPLICATIO.

Abuſive. a] Id eſt; per verbi tranſlationem per κατάχρησιν.

Populi Romani. b] Quia nulla civitas omnium eſt communis præter urbem Romam. Illa enim communis omnium patria eſt. *l. Roma.* 33. *ff. ad municip. l. in orbe Romano.* 17. *ff. de ſtatu hom.* ideò ea tantum, ſi propriè loqui velimus, publica ſunt, quæ ſunt populi Romani. Publica ea appellamus quæ omnium utilitati accommodata ſunt, vel ad omnes pertinent. §. 2. *cum ſeqq. Inſt. de rer. div. vid. Enarration. noſtr. in Codic. tit. de Iure Reipubl.*

LEX XVI.

Cajus Lib. III. ad Edictum Provinciale.

EUM, qui *vectigal* a populi Romani conductum habet, *publicanum* b appellamus. nam publica appel-

latione

latio *c* in compluribus cauſſis ad populum Romanum reſpicit: civitates *d* enim privatorum loco habentur.

EXPLICATIO.

Vectigal. a] *Vectigalia* propriè ſunt portoria quæ in itinere præſtari ſolent. *l. ſi quis pro uxore. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Sunt tamen & aliæ vectigalium loco, veluti viceſima hereditatum & manumiſſorum, octava rerum venalium, *l.* 7. *C. de vectigal.* quadrageſima litium, item reditus ex metallis, ſalinis, picariis, cretæfodinis, cotoriis. *l. ſeq* §. 1. *hic. Cujac. lib.* 7. *obſ. cap.* 4.

Publicanum. b] *Publicani* propriè ii ſunt, qui vectigalia populi Romani, aut Principis, conducta habent, non tributa; *l. quanta audacia.* 12. § *fin. cum l. ſeq. ff. de publican. & vectig.* Eorum tamen loco & ii ſunt, qui tributa vel ſtipendia, *l.* 1 § 1. *ff. eod.* imò & portoria civitatibus debita, conduxerunt. *l. ſed & his.* 13. § 1. *ff. eod.*

Publica appellatio. c] Sic paſſim; Non rectè: ſcribendum *publici*: Quod ſignificat vectigal. apud Suetonium. Quintilian. *declam.* 340. & 341. Seneca. *lib.* 21. *epiſtol. ult. Paraveram*, inquit, *fiſcos circumſpiciebam in quod me mare, negotiaturus immitterem, quod* publicum *agitarem, quas exercerem merces.*

Civitates. d] Undè in multis jure privato-

rum utuntur; Habet enim contra eos locum SC. Macedonianum; *l. nihil intereſt.* 15. *ff ad SC. Maced.* Ædilitium Edictum: *l.* 1. *§. ſi tamen.* 4 *ff. de Ædil. Edict.* qui eorum pecuniam ſurripit furti, non peculatus, tenetur: *l. ob pecuniam.* 81. *ff. de furt.* in integrum reſtitui poſſunt; *l. reſpublica.* 4. *C. quib. ex cauſ. major. in int. l. ergo.* 22. *§. fin. ff. eod. l. illud ſciendum.* 9. *ff. de appellat.* In nonnullis tamen plus iis, quam privatis conceditur, ut in præſcriptione, vel uſucapione, quæ vel longiori tempore; *l. fin. C. de SS. Eccleſ.* vel nullo modo conceditur. *l. uſucapionem.* 9. *ff. de uſucap.* item ſi mancipium illis ſubtractum. *l. mancipia.* 5. *C. de ſerv. fugit.* Imò & eorum bona communia, publica, licet abuſivè, dicuntur; & iiſdem gaudent privilegiis quibus propriè publica. *d. l. uſucapionem.* 9. *l. ſeq. in princ. hic.*

LEX XVII.

Ulpianus Lib. 11. ad Edictum.

INter *publica* a habemus non *ſacra*, nec *religioſa*: nec quæ publicis uſibus deſtinata ſunt: ſed ſi qua ſunt *civitatium* velut bona: ſed peculia ſervorum *b* civitatum proculdubio publica habentur.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Publica. a] *Publica* alia ſunt ex quibus populus Romanus uſum habet; quæ ita publica ſunt, ut in iis verſari, deambulare, aſſidere, oblectari, omnibus liceat; ut ſunt *ædes ſacræ*, *theatra*, *forum*; *l. Sed Celſus. 6. in princ. ff. de reb. credit. l. 5. de rer. diviſ. l. ergo. 30. de acquir. rer. dom.* quæ Juriſconſultus hic excludit: Alia ſunt publica, (quæ Juriſconſultus hic admittit) ex quibus populus præter publicam ſtationem uſumfructum decerpit; ut *prædia*, *tabernæ*, *inſulæ*, ex quibus proventus ſequitur; *peculia ſervorum civitatum.*

Peculia ſervorum. b] Servi civitatum peculia habere non poſſunt niſi conſentiente populo. Servis decedentibus, in peculia Reſpublica ſuccedit, ex quibus deinde populi proventus adcreſcunt.

IDEM §. 1.

Publica vectigalia intelligere debemus, ex quibus vectigal *fiſcus* a capit: quale eſt vectigal portus *b*, vel venalium rerum *c*, item ſalinarum *d* & metallorum *e*, & picariarum *f*.

EXPLICATIO.

Fiſcus. a] *Fiſcus* & *ærarium* differebant. Ille erat

erat *Principis*; hoc *populi*. Damnatorum bona publicata in ærarium, Saturni dictum; confiſcata in fiſcum ad privatam Principis utilitatem referebantur. *Sueton. in Auguſt. Tacit. Annal. lib.* 5. *Ælius Spartian in Hadriano. l.* 2. §. 7. *ff. ne quid in loc. publ.*

Portus. b] *Portus*, hic, ſignificat, navium ſtatio munita & concluſa, ut in ea naves merceſque illatæ efferendæ, tutæ à ventis, à procellis munitæ, à piratis concluſæ ſtent perſiſtant. Vectigal, quod ideo debetur, *portorium* dicitur; non tantum quod in portu, ſed & quod in tranſitu pontis pro exportandis mercibus ſolvitur. *l.* 203. *ff. hic. l.* 3. *C. de vectigal. l.* 60. § 8. *ff. locati.* Portitores Nomo & Donato, *Telonarii*, qui obſidentes portum ſciſcitantur omnia. *Quintilian. declam.* 371. Cicero. *lib.* 4. *de Republ.* inquit. *Nolo eundem Populum Imperatorem & portitorem eſſe terrarum: Optimum autem & in privatis familiis & in Republica vectigal eſſe duco parſimoniam.*

Venalium rerum. c] Omnium rerum negotiationis cauſſa vectarum penditur vectigal, *l.* 6. *C. de vectigal.* maximè pro mercibus peregrinis: *vid. l. ult. de publican.* Nonnullæ excipiuntur De quibus vide *l.* 4 *eod. l.* 5. *C. de vectigal. l. locatio.* 9 § *res.* §. *ult. de publican. l. ex praeſtatione.* 7. *C. de vectigal. l.* 3. *de vacat. muner. l.* 5. *de jure immunit. tit. C. Ne fil. pro patre*; Vectigal illud venalitium dicitur. *l.* 1. *Cod. de veteran. Cujac. ad l.* 4. *Cod. de prox. ſacror. ſcrinior.* Erat pars octava. *l.* 7. *C. de vectigal.*

Salina-

Salinarum. d] Ex ſalinis Princeps ſibi parat vectigal. *h. t. l. ſi quis ſine.* 11. *Cod. eod.* Inter Regalia computantur ſalinarum reditus. *in lib.* 2. *Feudor. tit.* 56. Sed & privatis Romano jure ſalinas poſſidere licuit, & ex iis capere vectigal. *l.* 4. *de cenſib. l.* 5. *de reb. eor. qui ſub. tut. l. general.* 32. *de uſufr. leg.* Hinc ſalinarum Mancipes, pro Publicanis Symmacho. *lib.* 10. *epiſt.* 58.

Metallorum. e] De hoc vectigali vid. Method. meam Codicis Enarrationem. *lib.* 11. *titul.* 7.

Picariarum. f] Picariæ ſunt picis fodinæ. Nam & picem foſſilem in veniri Plinius, *lib.* 16. *Hiſtoria Natural. cap.* 12. & Strabo, *lib.* 5. ſcribunt.

LEX XVIII.

Paulus Lib. IX. ad Edictum.

M*Unus* tribus *a* modis dicitur. uno *donum* b: & inde munera dici, dari, mittive altero *onus* c: quod cum remittatur, vacationem militiæ munerisve præſtat: indè immunitatem *d* appellari. tertio *officium* e: unde munera militaria, & quoſdam milites munifices *f* vocari. Igitur municipes *g* dici, quod munera civilia capiant.

EXPLICATIO.

Tribus. a] Imò quatuor. Præter modos enim infra enarrandos, & munus, omnia genera ludorum complectitur. *l. civitatibus* 122. *ff. de legat.* 1. *l. Publius Mævius.* 36. *in princ. ff. de cond. & demonſt. l. mortuo bove.* 49. §. *fin. ff. de legat.* 2.

Donum. b] Inter *donum* & *munus* hoc intereſt quod inter genus & ſpeciem. Nam donum genus eſt, munus verò donum eſt cum cauſſa; ut puta *natalitium, nuptiale. l. inter donum.* 194. *ff. hic. l. ſed ſi vir.* 31. §. *ſi vir uxori.* 2. §. *ſi vir uxori.* 8. *ff de don. int. vir. & uxor.*

Onus. c] *Munus publicum*, (quod & civile dicitur. *l. ult.* §. 28. *ff. de muner. & honor.*) ut onus acceptum, eſt officium privati hominis, ex quo commodum ad ſingulos, univerſoſque cives, remque eorum, imperio Magiſtratus extraordinario, pervenit. *l. pupillus.* 239. §. *munus ff hic.* Eſt vel *patrimoniale*, quod ſumptibus patrimonii & detrimento adminiſtrantis expeditur. *d. l. ult.* §. 18. & aut poſſeſſoribus ædium, agrorum, injungitur; aut ſolis municipibus & incolis imponitur. *l.* 6. §. *pen. d. l. ult.* §. 21. *l.* 3. §. 11. *ff. de mun. & honor.* Vel *perſonale*, quod animi vigilantia, & corporali labore, ſine ſumptu & ſine gerentis damno perpetratur. *l.* 1 §. *illud. d. l. ult.* §. 1. *ff. eod.* ſive id in adminiſtranda Republica ſine titulo dignitatis; *d. l.* 14. §. 1. ſive in adminiſtratione rei privatæ, ut tutela & cura conſiſtat. *fac. l. fin.* §. 1. *ff. eod.*

ff. eod. Vel *mixtum*, quod & corporali miniſterio geritur, & detrimentum gerentibus infert; ut tributorum exactio. *d. l. fin. §. 26. & §§ ſeqq.*

Immunitatem. d] Eſt ergò *immunitas* exemptio & vacatio munerum & onerum publicorum, à jure vel Principe conceſſa. Quæ conceſſio ſtrictè accipitur. Undè cui munerum vacatio conceſſa magiſtratum recuſare non poteſt; quia magiſtratus non munus eſt, ſed honos. *l. 12. ff. de muner. & honor.* Perſonis datæ immunitates, ad heredes non tranſmittuntur: *l. 1. § 1. ff. de jure immun.* niſi id in forma conceſſionis fuerit expreſſum. *l. 4. ff. eod.* Quo caſu tranſeunt in poſteros mares, non eos qui ex fœminis naſcuntur. *d. l. 1. in fin.*

Officium. e] *Officium eſt*, quaſi efficium ab efficiendo, quod unicuique perſonæ congruit, dictum. *Donat. in Terent. Adelph. act 1. ſcen.* Sic officium Magiſtratus & jus dicentis, ut Prætoris. *l 1. ff. de juriſdict. l. 27 ff. de verb. oblig. l. 22 ff. ſi cert. pet.* Officium modò munus publicum honoremque ſignificat. *l. 2. ff. de his qui ut ind. l. 4. §. 1. ff. de off. Proconſ. l. 12. §. pen. ff. de judic. l. 2. ff. de div. reg. jur.* ut hic; modo officiales ipſos & miniſtros magiſtratuum, ac præſidum. *l 6 §. ne tenuis. ff. de officio præſidum. l 72. ff. de furtis. l. 6. C. de ſententiis & interlocut.*

Munifices. f] *Munifices* dicuntur qui munera faciunt. *Feſto.* Unde milites dicebantur munifices, qui propter munera militiam facere coguntur. *Veget. lib. 1. de re milit.* Sic & munificum

cum prædium dicitur, publicæ functioni & vectigalis collationi ſubjectum. *l. 2. C. de præd. & om. reb. navic. lib.* 11. *l. ſi publicano. in fin. ff. de publ & vectig.*

Municipes. g] Sicut, ergò, munifex in militia, ita municeps in Republica nominatur.

LEX XIX.

Ulpianus Lib. IX. ad Edictum.

LAbeo libro primo Prætoris urbani definit, quod quædam *agantur*, quædam *gerantur*, quædam *contrahantur.* Et *actum* a quidem generale verbum eſſe, ſive verbis, ſive re quid agatur: ut in ſtipulatione, vel numeratione. *Contractum* b autem ultrò citroque c obligationem quod Græci συνάλλαγμα vocant, veluti emtionem, venditionem, locationem, conductionem, ſocietatem. *Geſtum* d rem ſignificare ſine verbis factam.

EXPLICATIO.

Actum. a] *Actus* generaliter intelligitur pro omni eo quod agitur: ſive verbis agatur ut ſtipulatione: §. 1. *inſt. l.* 1. *ff. de verb. oblig.* (Unde in ſtipulationibus cum quæritur quid actum ſit,

ſit, verba ſtipulationis ſpectanda ſunt; quæ ſi obſcura vel ambigua ſint, contra ſtipulatorem ſunt interpretanda. *l. ſtipulatio iſta. §. in ſtipulationibus. junct. l. eum qui calendis. & l ſequitur. in fin ff. eod*) ſive re agatur, ut in numeratione. §. 1. *Inſt. quib. mod. re contr. oblig.* Et generaliter etiam ſæpe de quocunque actu accipimus actum; ut cum dicitur, *quod actus agentium non operentur ultra illorum intentionem. l. non omnis. ff de reb cred.*

Contractum. b] *Contractus* eſt factum (Inde dicitur facti potius, quam juris. *l. 7. in fin. ff. de curat. furioſ.*) obligationem inter aliquos conſtituens. Factum quo obligamur, ſed non ipſum vinculum juris. quod eſt obligatio, ex contractu orta. *princ. Inſt. de obligat.*

Ultro citroque c] *Propriè* puta; Aliàs *impropriè contractus eſt*, in quo unus tantum obligatur; ut in mutuo, *l. 2. ff. de reb. cred.* ſtipulatione, *l. 1. §. 4 ff. de verb. oblig. l. 1. §. fin ff. de pact.* donatione, *l. 7. C de his quæ vi met. cauſ.* Impropriè magis diſtractus, ut tranſactio, *d. l. 7.* ſolutio, liberatio. *l omnem. 10. ff. de judic.*

Geſtum. d] *Geſtum* aut accipitur *ſtrictè, ut hic & l. 2. ff. de curat. bon. dand.* aut *latè*, & tum geſtum, & factum pro eodem ponitur. *l. licet* 58. *ff. hic.* Unde in edicto de minoribus hæc verba, *Quod cum minore quam viginti quinque annis natu geſtum eſſe dicetur*, Ulpianus *in l. 7. ubi & Cujac. ff. de minor.* ſic interpretatur; ut *Geſtum* accipiatur, qualiter, qualiter, ſive contractus ſit, ſive quid aliud contigit: proinde,

de, ſive emit, ſive vendidit, ſive ſocietatem coiit, ſive ſoluta ei pecunia, & eam perdidit, inde ei ſuccurretur. Sed & his Edicti verbis, *Quæ fraudationis cauſſa geſta erunt:* quæcunque in fraudem creditorum fecerit quis continentur, ſive alienaverit de ſuo, ſive liberationem debitoribus præſtiterit. *l* 1. *ff. quæ in fraud. cred.*

LEX XX.

Idem Libr. XII. ad Edictum.

Verba *contraxerunt*, *geſſerunt* a, non pertinent ad teſtandi jus.

EXPLICATIO.

Contraxerunt, *geſſerunt*. a] Ad *teſtamenti factionem* neque *contractus*, neque *rei geſtio* pertinet. Non *contractus* quia in contractu, proprie ſumto (ut dictum) utraque pars obſtringitur: in *teſtamento* autem neque *teſtator*, neque *heres* obſtringi ſolet. *Non teſtator*; quia voluntatem uſq; ad mortem habet ambulatoriam, & pro libitu teſtamentum poteſt immutare. *l. quod ſi iterum. ff. de adim. vel transfer. leg. Non heres*, quia ejus non requiritur conſenſus, & plerunque dum teſtamentum conficitur abeſt: quia, ſi heres neceſſarius adire cogitur; §. *neceſſarius. Inſt. de her. qual. & diff.* ſi ſuus, aut extraneus, ſi velit, renuntiare hereditati poteſt. *Geſtio* ad *teſtamenti factionem* non pertinet.

tinet. Quia ſine verbis perficitur & rebus conſtat; *l. præced. in fin.* teſtamenti autem factio magis verbis quam rebus.

LEX XXI.

Paulus lib. XI. ad Edictum.

PRinceps *bona* a concedendo, videtur etiam *obligationes b* concedere.

EXPLICATIO.

Bona. a] *Bonorum* appellatio, ſicut hereditatis, univerſitatem quandam ac jus ſucceſſionis, & non ſingulas res demonſtrat. *l. bonorum appellatio.* 208. *ff. hic.* Unde non mirum *bonis* ex Principis munificentia *conceſſis*, & *obligationes* concedi. Nam, ſi quòd amplius eſt, bona conceduntur: quis dubitet quin id quod minus eſt, id eſt, obligationes concedantur? quæ quaſi appendices bonis inhærent. *l.* 1. *&* 2. *C. de ſentent. paſſ.*

Obligationes. b] Intellige tantum eas, undè ei cui bona conceſſa commodum accedit, cum creditor effectus, nomina exigit: Non eas undè incommodum nanciſcitur, cum debitor effectus ad perſolvenda onera compellitur. *Bona* enim hic; cum beneficium Principis in ejus favorem cui aliquid indulget quam pleniſſime ſit interpretandum, *l. pen. ff. de conſtit.* *Princ.*

Princ. intelliguntur deducto ære alieno. *l ſubſignatum.* 39. §. *bona.* 1. *ff. hic.*

LEX XXII.

Cajus Lib. IV. ad Edictum Provinciale.

PLus eſt in *reſtitutione* quam in *exhibitione.* nam *exhibere* a eſt præſentiam corporis præbere: *reſtituere* b eſt, etiam poſſeſſorem facere, fructusque reddere. pleraque *c* præterea *reſtitutionis* verbo continentur.

EXPLICATIO.

Exhibere. a] *Exhibet* enim, hic, qui in publico apud Magiſtratum, poteſtatem videndæ & apprehendendæ rei facit, ut actor, copiam ejus habens, poſſit experiri jure, & actione exequi quod deſtinavit. *l.* 2. *ff. ad exhib. l.* 3 *ff. de lib. hom. exhib. l.* 3. §. 8. *ff. de tab. exhib.*

Reſtituere. b] *Reſtituere* eſt non ſolum videndi, tangendique, verum etiam abducendi, habendi & poſſidendi facultatem præſtare; *l. reſtituere.* 35. *l. reſtituere.* 75. *ff. hic.* fructuſque, id eſt, omne emolumentum & commodum, quod ex re reſtituenda vel ejus occaſione, ſupereſt, *l. ſed & partus.* 12. *l. item ſi.* 14. §. *quadruplatur. ff. quod met. cauſ.* reddere. *l. quod ſi minor.* 24. § *reſtitutio. ff. de minor. l ait Prætor.*

23. §.

23. §. *item ei. l. nec non.* 28. §. *fin. ff. ex quib. cauſ. major. l.* 3. §. *ex quibus ff. de alien. jud. mut. cauſ. l.* 17. §. *l.* 20. *l. fructus.* 33. *ff. de rei vind.* Dicitur enim *reſtituere* quaſi retrò *ſtatuere*, ſive *conſtituere*, & *dare* & *reddere. Varro.* Judex ergò ſi rem ſimpliciter, nullâ fructuum mentione factâ, reſtitui debere pronuntiavit, res ſine fructibus non rectè reſtituitur. *l. praterea.* 20. *ff. de rei vind.* Niſi res de qua agebatur aliud ſuadeat. *d. l. praterea. l. illud. ff. de petit. hered. l. videamus. ff. de uſur. l. in condemnatione.* 173. §. 1. *ff. de div. reg. jur. l. cum prator.* 81. *inf. hic.*

Pleraque. c] Puta; Ut caveatur rem deteriorem non eſſe factam; *l. metum.* 9. §. *ex hoc Edicto. ff quod met. cauſ.* dolum malum abeſſe; *l. ſi poſt acceptum.* 18. *l. ſeq. l. ſi homo.* 45. *ff. de rei vind.* Ut lucrum ex re vel occaſione rei acceptum unâ reſtituatur; *l.* 52. *ff. de rei vind.* Uſucapiendi cauſsâ reddatur, *d. l. ſi poſt acceptum. l.* 37. *l.* 75. *ff. hic.* item intereſſe. *l.* 4. *in fin. ff. de alien. jud. mut. cauſ.* ut deterioratio reſarciatur. *l. non ſolum* 13. *ff. de rei vind. l.* 3. §. 1. *ff. commod.* omniſque cauſa reddatur.

LEX XXIII.

Ulpianus Lib. XIV. ad Edictum.

R*EI a* appellatione, & *cauſſa* & *jura* continentur.

EXPLICATIO.

Rei. a] *Rei* nomine vult Juriſconſultus, tam ea quæ mancipi ſunt, quam ea quæ non mancipi denotari; id eſt, tam *corporalia*, quam *incorporalia*; per *cauſſas*, corporalia, per *jura*, incorporalia, indicans. Unde re venditâ, & ſervitus ei impoſita, vendita cenſetur. *l. ſi aqua. ff. de contr. emt.* Fundo ſimpliciter rei vindicatione petito, & ſervitutes debentur. *l. via, §. ſi fundum. ff. de ſerv. ruſt. præd.*

LEX XXIV.

Cajus Lib. II. ad Edictum Provinciale.

Nihil aliud eſt *hereditas* a, quam ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus habuit *b*.

EXPLICATIO.

Hæreditas. a] Similis definitio eſt *in lege hereditas.* 82. *ff. de div. reg. jur.* Et apud Ciceronem *in Topicis*, *in loco à definitione*; ubi inquit; *Hæreditas eſt pecunia, quæ morte alicujus ad quempiam pervenit jure, nec ea aut legata teſtamento, aut poſſeſſione retenta.* Sed Juriſconſultus ad vulgarem loquendi uſum reſpiciens, ut foro deſerviret, magis hereditatis aditionem, quam ipſam hereditatem definit. Nam

Nam cum hereditas, (*ut Oldend. in XII. Tab.*) ſit relatio juxta æqualitatem & inæqualitatem, ipſe maluit definire juxta actionem & paſſionem, ut eſt aditio. Quare & Ulpianus *in l. pecunia. § hereditas. ff. hic & l. hereditas. 50. ff. de hered. petit.* Hereditas, inquit, nomen juris eſt, quod & acceſſionem & deceſſionem in ſe recipit, & ſine ullo tempore juris intellectum habet. Hinc patet hereditatem non niſi ſucceſſione deferri; *l. 4. ff. de inutil. ſtipul. l. fin. C. de pact.* rei particularis non eſſe hereditatem; *l. quoties. 13. C. de hered. inſtit.* non intereſſe an quis ex aſſe heres inſtituatur cum ex parte ſcriptus, in partem juris univerſi ſuccedat: *l. cum heres 52. de acquir. hered.* hereditatem pro parte adiri, pro parte repudiari non poſſe. *l. 1. l. 2. l. ſi ex aſſe. 10. eod. Cicero, lib. 11. de Invent.* inquit; *Etenim unius pecuniæ plures diſſimilibus de cauſſis heredes eſſe non poſſunt. Nec unquam factum eſt, ut ejuſdem pecuniæ alius teſtamento, alius lege heres eſſet.* Eundem non poſſe pro parte teſtatum, & inteſtatum decedere: *l. jus noſtrum. 7. de reg. jur. Harmenopul. lib. 5. tit. 1.* viventis non eſſe hereditatem; jus illud in definitione poſitum, antequam heredi quæratur, & quamdiu hereditas jacet, dici; *l. heres quandoque. 54. ff. de acquir. hered. l. ſed ſi plures. 10. §. 2. ff de vulg. & pup. ſubſt.* hereditatem jacentem defunctum repræſentare. *l. hereditas. 34. ff. de acquir. rer. dom.*

Quod defunctus habuit. b] Ergò in dominium, *l. in ſuis. 11. de lib. & poſthum.* non in

 poſſeſſio-

poſſeſſionem, *l. cum heredes.* 43. *de acquir. poſſeſ.* non in factum, privilegium, crimen, cæteraque quæ ſingulari perſonæ jure continentur.

LEX XXV.

Paulus Lib. XXI. *ad Edictum.*

REctè dicimus eum *fundum totum noſtrum* eſſe, etiam cum uſusfructus alienus eſt *a:* quia uſusfructus non dominii pars *b*, ſed ſervitutis *c* ſit: ut *via* & *iter* d: nec falsò dici; [totum] meum cujus non poteſt ulla pars dici alterius eſſe: hoc & Julianus, & eſt verius.

EXPLICATIO.

Vſusfructus alienus eſt.] Quia cum dominio uſusfructus, cum nemo re ſua utatur, fruatur, concurrere nequit. *l. uti frui.* 5. *ff. ſi uſusfr. pet.*

Dominii pars. b] Quia uſusfructus in jure, non in parte conſiſtit. *l. Mævius.* 66. § *fundo. l. cum filius.* 76. § *dominus ff. de legat.* 2. *l. ſi à reo.* 70. §. *ſi à reo. ff de fidejuſſ.* Quoniam tamen uſusfructus totum rei emolumentum continet, *d. l. cum filius.* 76. §. *dominus.* 2. ideò licet verè non ſit pars dominii, tamen portionis inſtar obtinet; *ut in d. l. cum filius.* 76. §. *dominus.*

nus. l. qui uſumfructum. 58. *ff. de verb. oblig. l.* 4. *ff. de uſufr.* licet non ſemper. *l. ſi Titio.* 33. *§.* 1. *ff. eod.* Adeò autem in quibuſdam caſibus dominii pars eſt, ut iiſdem uſusfructuarius appellatione domini contineatur, ut in venditione bonorum, *l. in venditione.* 8. *in princ. ff. de reb. author. jud. poſſid.* in cauſſa damni infecti; *l. uſufructu.* 7. §. 1. *ff. de uſufr. l. qui bona.* 13. §. *ſuperficiarium. ff. de damn. inf.* Eſt enim etiam quoddam dominium uſusfructus, propter quod etiam uſusfructus vindicari poteſt. *tot. tit. ff. ſi uſusfr. pet.* Cæterum uſusfructuarius propriè ac verè nec dominus eſt, *l. falſus.* 43. *in fin. ff. de furt.* nec eſſe poteſt; cum uſusfructus per dominii acquiſitionem extinguatur. *l. ſi tibi.* 17. *l. ſi ſervus.* 27. *ff. quib. mod. uſusfr. amitt.*

Servitutis. c] Rectius ſervitus; Uſusfructus enim eſt ſervitus. *l.* 1. *de ſervit. l. dominus.* 5. *de uſufr.* Id eſt, impoſitio ad tempus qualitas, & habitus quidam. *l. qui fundum.* 12. *Quemadm. ſervit. amitt. l. quid aliud.* 86. *infr. hic.* Quod, quamvis fundi jus minuat, non tamen efficit quominus maneat, & vindicetur dominium proprietatis.

Via & iter. d] Uſusfructus, *Via*, *Iter*, hic comparantur ſecundum quid, & quatenus ſunt ſervitutes: Vel, *ut vult hic Accurſius*, ſunt partes, id eſt, ſpecies ſervitutis. Servitus genus eſt. Ejus ſpecies duæ *Prædialis*, (ut *Iter*, *Actus*, *via.*) & *Perſonalis*, (ut *Uſusfructus.*) In aliis valde diſcrepant.

IDEM §. 1.

Quintus Mucius *a* ait *partis* appellatione rem pro indiviſo ſignificari: nam quod pro diviſo noſtrum ſit, id non partem, ſed totum eſſe. Servius non ineleganter *partis* appellatione utrumque ſignificari.

EXPLICATIO.

Quintus Mucius. a] Vult Quintus Mucius *partis* appellationem pro indiviſo intelligi, id eſt, quæ nondum rationem ſectionemque à toto accepit; ut in bonis ſocialibus, in hereditate erciſcunda, in bonis dividundis, *l. 6. §. ſi quis partem. ff. com. præd.* & rectè; Quia *pars* nomen eſt ad aliquid: nam *pars* totius pars eſt, neque pars niſi toti conjuncta. A toto revulſa, pars amplius non eſt, ſed ex parte totum effectum. *l. locus. 60. inf. hic.*

Servius. b] Servius & *partem* eam dici vult, quæ *toti* conjuncta eſt, & rurſus eam quæ à toto abjuncta eſt: quæ poſterior ſignificatio procedit, ſi ad tempus quo adhuc toti erat annexa habeatur relatio; *l. inſulam. 56. §. fin. ff. de acquir. rer. dom.* ſi in re, puta fundo, cujus conſtitutio à domini voluntate pendet, appareat, eum velle ut pars ſit. *l. Cajus. 86. ff. de legat. 2.*

LEX

LEX XXVI.

Ulpianus Lib. XVI. ad Edictum.

PArtum a non eſſe *partem* b *rei furtivæ*, Scævola libro undecimo quæſtionum ſcribit.

EXPLICATIO.

Partus. a] *Partus*, hic, ut & aliàs, non pro ipſo actu pariendi, ſed pro ipſa prole accipitur; ut partus dotalium ancillarum eſt portio dotis. *l. cum poſt divortium. 69. § fin. ff. de jur. dot.* Itaque & partus continetur reditus appellatione, non autem fructus. *l. reducta. 58. §. hereditatem. 4. ff. ad SC. Trebell. §. partus. Inſt. de rer. div. l 68. ff. de uſufr.*

Partem. b] Unde à bonæfidei poſſeſſore poteſt uſucapi, *l. qui vas. 48. §. ancilla. ff de furt. l. ſervus. 10. pro emtore.* niſi apud furem conceptus & editus ſit. *l. ſi aliena. 10. §. fin. ff. de uſucap. l. 3. C. pro emtore. l. ancillæ. 12. C. de furt.* Matrem enim contrectando, & eum contrectaſſe qui ejus viſcerum antequam edatur, portio eſt. *l. 1. § 1. ff. de inſpic. vent.* videtur. Quod in furis herede, licet propter autoris ſui malam fidem uſucapere nequeat, non eſt. *l. ſi ego emi. 11. §. partus. ff. de public. in rem act.*

LEX XXVII.

Idem Lib. XVII. ad Edictum.

AGer a eſt locus, qui ſine *villa* b eſt.

EXPLICATIO.

Ager. a] *Ager* ideo dictus, *Autor. Varr. lib.* 9. *de ling. lat.* quod in eo ſemper aliquid fructus capiendi cauſa agatur; aut ſaltem agi poſſit. *Ager* igitur eſt locus in rure qui agitatur & colitur; ſive ſit *compaſcuus*, ſive *arvus*, ſive *floridus*, ſive *conſitus*. *Conſitus* habet arbores, *arvus* aratro proſcinditur, *compaſcuus* habet gramina, *floridus* ſervatur apibus & voluptati.

Villa. b] Si ſtrictè accipiatur. Quare agro legato, villa non cenſetur legata. Niſi alia videatur fuiſſe teſtatoris mens. *ut in l. uxori uſumfructum.* 35. *ff. de uſu & uſufr. leg.* Eſt autem *Villa* domus ruſtica: *l. fundi.* 211. *inf. hic.* à vehendo dicta, quaſi *vehilla*; in quam convehuntur fructus ex agris. Pænorum lingua appellatur *magal.*

IDEM §. 1.

Stipendium a à *ſtipe* appellatum eſt, quod per *ſtipes* b, id eſt, modica æra colliga-

colligatur. Idem hoc etiam *tributum* appellari Pomponius ait. Et ſanè appellatur ab intributione *tributum:* vel ex eo, quod militibus tribuatur.

EXPLICATIO.

Stipendium. a] Inter *ſtipendium* & *tributum*, quoad propriam ſignificationem & uſus originem, nulla eſt differentia. *hic.* Nam *ſtipendium* & *tributum* olim indifferenter appellatum fuit, quicquid in publicum colligebatur, ut ex eo miles publicè ſuſtentaretur: *ut ex Livio. Cicer. Gell. Plin. probari poteſt.* Poſtea, cum agris hoc onus imponi cæpiſſet, & quidam hac conditione in publicum venirent, ut quamdiu ſtipem conferrent emptores poſſiderent, quidam per cenſores locarentur; *Liv. lib.* 7. *de ſec. bell. Pun. Cicer. in* 5. *act. Verr.* aliqua *tributi* & *ſtipendii* differentia haberi cœpit. Puta ut *ſtipendium* dicatur ſi *tributum* perſonis eſſet impoſitum. cum ſcilicet aurum, argentum, æs penderetur; *Tributum* ſi agris impoſitum ut cum equi, veſtes, cæteraque ex eodem genere præſtabantur. *fac. l.* 3. *& fin. ff. de cenſib. juncto illud, Tertull. in Apolog. Si agri tributo onuſti, viliores: hominum capita ſtipendio cenſa, ignobiliora. vid. enarrat noſtram Cod. lib.* 10. *tit.* 16.

Per ſtipes, id eſt, modica æra. b] Varro *ſub finem libri* 4. *de lingua latina*, inquit, *Hoc ipſum ſtipendium ab ſtipe dictum, quod æs quo-*

que ſtipem dicebant. Nam quot aſſes libræ pondo eſſent, qui acceperant majorem numerum non in arca ponebant ſed in aliqua cella ſtipabant, id eſt, componebant: quo minus loci occuparet, à ſtipando ſtipem dicere cœperunt. Vid. l. 6. Cod. de poſtul.

LEX XXIIX.

Paulus Lib. XXI. ad Edictum.

A*Lienationis* a verbum, etiam *uſucapionem* b continet, vix eſt enim, ut non videatur alienare, qui patitur uſucapi. Eum quoque *alienare* dicitur, qui *non utendo* c amiſit ſervitutes. Qui occaſione adquirendi non utitur, non intelligitur *alienare* d: veluti qui *hereditatem* e omittit, aut *optionem* f intra certum tempus datam non amplectitur.

EXPLICATIO.

Alienationis. a] Alienationis verbum in genere latiſſimam habet ſignificationem: & id omne alienationem vocamus, quo quid ex unius patrimonio, ita in alterius transfertur, ut illud minuatur, hoc augeatur, ſive res ſit, ſive poſſeſſio, ſive jus. *l. ult. Cod. de reb. alien. non alien. l. ult. Cod. comm. utriuſque judic.*

Propriè

Propriè tamen alienatio eſt, ſecundum pleroſque, cum transfertur dominium, ſeu directum imprimis, ſeu utile: impropriè & largè, cum non dominium transfertur, ſed aliquod jus rei, vel poſſeſſio ſola. Rem ergò alienare prohibitus, non poteſt ſuper ea tranſigere; *l.* 1. *§. & ſi tranſigi. ff. ſi quid in fraud. patr.* nec eam obligare, ſive ſpecialiter, *c. nulli. de reb. Eccl. non alien.* ſive generaliter; *Vid. tamen Neguz. in tract. de pign. in* 5. *memb.* 2. *part. princ. num.*73. *cum ſeq.* vendere, locare, in emphyteuſin dare, *l. fin. C. de jur. emph.* dividere, *l.* 1. *ff. com. utr. jud.* permutare, *d. c. nulli. in princ. Inſt. quib. al. licet. vel non. l. fin. C. de reb. al. non alien.* niſi de contraria mente appareat. *l. fin. C. de præd. curial. lib.* 10. qui alienare non poteſt, nec poteſt alienationi conſentire; *l. fin. ff. de jur. dot.* ſi quidem alienatio per illum conſenſum perficeretur. *l. ſicut. §. alienationis. ff. quib. mod. pign.*

Vſucapionem. b] Quod ergò *alienari* prohibetur, uſucapi non poterit: *l. ubi.* 24. *ff. de uſucap.* ſi quidem prohibitio hoc efficiat, ut *alienatio* contra eam facta nulla ſit; ſi non; uſucapio procedit. *l. ea lege.* 3. *C. de cond. ob cauſ. dat.* undè res minorum, res litigioſæ, licet alienari prohibeantur, alienatæ tamen præſcribi poſſunt. *l. fin. C. in quib. cauſ. in int. reſt. nec. l.* 1. *C. de præſcr. long. temp.*

Non utendo. c] Quia tacitè videtur in ejus alienationem conſentire. *l.* 4. *§ fin. ff. de uſucap.* Imò & *alienare* cenſetur; qui aliter ac

tempus, modus, & ratio ſervitutis impoſitæ ferat utitur: vel permittat fieri, id, quo ſervitutis uſus intervertatur. *vid. l. ſi ſtellicidii.* 8. *l. ſi communem.* 10. *Quemad. ſervit. amitt. l. Labeo.* 17. *eod.* Eis tamen qui vi majore impeditus uti non potuit ſervitute, quamvis amiſſa reſtituitur: ut & ſi impeditus per caſum *fortuitum uſus. l. & Attilicinus.* 25. *de ſerv. præd. ruſtic. l.* 1. § *ſi quis propter. de itiner. actuque priv. l. ſi locus* 14. *Quemad. ſerv. amitt.*

Non intelligitur alienare. d] Quia *alienatio* cum præſupponat dominium; nemo *alienare* poteſt, quod ſuum non eſt; qui verò occaſionem acquirendi prætermiſit, hoc ipſo nomine teſtatur, ſuum non eſſe, quod nondum acquiſivit. Hinc non fraudantur creditores, cum debitor nihil acquirit, ſed cum de bonis diminuit. *l. non videtur.* 8. *l. non alienat.* 119. *l. non fraudantur.* 134. *hic.* Nec enim, ut dictum, poteſt videri à me alienatum, quod meum nunquam fuit: cum *alienare* ſit, de meo facere alienum. Undè debitori conceſſum eſt non augere facultates, & acquirendi negligere occaſionem. Pertinet etiam Edictum Prætoris *De iis qui in fraud. creditor.* ad eos qui diminuunt patrimonium, non eos qui id faciunt ne locupletentur. *l.* 1. §. *virum. ſi quid in fraud. cred. l. nemo.* 68. *pro ſocio.* Modò non fraudulenter. *l.* 6. *De iis qui in fraud. credit. l. in fraudem.* 45. *de jure fiſci.* Competit, enim tum Pauliana actio. *l. ult. de iis qui in fraud. credit.*

Hereditatem. e] Quia ea non, niſi adeunti,

ti, acquiritur. *l. non minus. 31. §. 1. ff. de hered. inſt.*

Optionem. f] Ratio cur is cui *optio* legata intra certum præfinitum tempus non amplectendo illud tempus, non cenſeatur alienare, eſt: Quod re integra, & antequam vendiderit heres, audiendus ſit Legatarius. Damnum enim non ſubiturus eſt heres. Cum tamen propter id decernere ſoleat Prætor. *l. mancipiorum. Cod. de repud. hered. Clem. 1. de conceſſ. prebend.*

IDEM §. 1.

Oratio a quæ neque *conjunctionem*, neque *disjunctionem* habet, ex mente pronuntiantis, vel *conjuncta*, vel *disjuncta* accipitur.

EXPLICATIO.

Oratio a] *Disjunctivam* habens *oratio* disjuncta eſt; quæ *conjunctivam*, conjuncta; neutram quæ habet, ex mente pronuntiantis an conjuncta, vel disjuncta ſit æſtimandum; puta in judiciis, *l. ſi quis. 67. ff. de judic.* & ultimis voluntatibus: *l. triplici. 142. ff. hic.* non contractibus, ubi contra proferentem fit interpretatio. *l. Labeo. ff. de contr. emt. l. veteribus. ff. de pact.*

LEX XXIX.

Paulus Lib. XVII. ad Edictum.

C*Onjunctionem* enim nonnunquam pro *disjunctione* a accipi. Labeo ait: ut in illa ſtipulatione, *Mihi heredique meo, te heredemque tuum.*

EXPLICATIO.

Pro disjunctione. a] *Conjunctio* & *disjunctio* non ad verba, ſed ad ſenſum pertinet: nam utraque verba *conjungit*, ſed ab altera ſenſus abjungitur, ab altera conjungitur. Particula *que* conjungit ſenſum, neque quicquam cum abjunctiva habet commune in ſtipulatione ejus quod tractum habet, ut, *Sibi heredique ſuo ire agere licere*; undè & heredi competit actio. *l. ſi ſic ſtipulatus.* 93. *l. ſi ſic ſtipulatus ſim.* 132. *ff. de verb. oblig. Disjungit* in ſtipulatione ejus, quod tractum non habet. ut *Mihi heredique meo centum dare promittis*; Unde alterutri, id eſt, mihi aut heredi, centum ſi ſolveris debere deſines. *Sed de his infra ad l. ſæpe ita.* 53 *ff. hic latius.* Notandum Syllabam, *Et*, conjunctionem facere: *Pompon. in l. ſi ita. 66. de hered. inſtit. & copulare æqualiter. d. l. ſi ita. 66. l. Clemens.* 81. *eod. l. ſi quis Atti.* 7. *ff. de uſufr. accreſc. l. ſi duobus.* 16. §. 2. *de legat.* 1. *l. interdum.* 13. *princ. ff. de hered. inſtit. l. reos.* 11. §. 1. *de duob.*

reis.

reis. Non tamen ſemper: Inſinuat enim quandoque ſucceſſivum ordinem; ut in feudali materia. *vid. lib. 1. feudor. tit. 8. § filia vero. 2. & tit. 6. §. quin etiam. 1.* Quandoque etiam eadem copula. *Et*, conjungit diverſa & ſeparata. *Rubr. de jur. & fact. ignor.* Nec tamen ſemper. Collocata enim inter res ſimiles cognatas & affines exegeticè ſive declarativè ponitur.

LEX XXX.

Cajus Lib. VII. ad Edictum Provinciale.

S*Ylva* a *cædua* b eſt, (ut quidam putant) quæ in hoc habetur, ut cæderetur. Servius eam eſſe quæ *ſuccíſa* rurſus *ex ſtirpibus* c, aut *radicibus* renaſcitur.

EXPLICATIO.

Sylva. a] *Sylva* appellatio licet generalis ſit, erat tamen apud veteres inter *Sylvam*, *lucum*, *nemus*, & *ſaltum* diſcrimen. *Sylva cædua* erat, quæ *exciſa* ſcilicet, repullulat. *Lucus* non erat cæduus, quin potius manu conſitus, religioſusque, atque alicui Deo conſecratus. Ovidius *libro faſtor.* 2. canit: *Multis in cæduus annis.*

Iunonis magna nomine lucus erat.

Nemus

Nemus erat locus amænitatis ac voluptatis plenus. Virgilius. 4. Æneid.

In nemus ire parant, ubi primos craſtinus ortus
Extulerit Titan, radiisque retexerit Orbem.

Martialis lib. 9. Epigram.

Tu colis elyſios, nemorisque habitator amœni;

Saltus erat ſylva invia nec tranſeuntibus pervia, ubi paſci atque æſtivare ſolent pecudes aut ſi locus atque aër patiatur, hiemare, Valla *lib.* 4. *Elegant.* Virgilius *lib.* 4. Æneid.

Dum trepidant alæ, Saltusque indagine cingunt.

——— ——— *Saltusque peragrat*
Dictæos: hæret lateri lethalis arundo.

Cædua. b] *Sylva cædua* eſt, quæ in hoc habetur, ut cædatur, & ſuccisa ex ſtirpibus radicibuſque repullulat, ac renaſcitur. Qualis, quæ conſtat arboribus cæduis. *l. fructus.* 7. §. *ſi fundum.* 12. *Soluto matrim.* Ea in fructu eſt, *l. qui fundum.* 40. § *cum fundum. ff. de contr. emt.* tum quoque cum intempeſtivè cæſa eſt. *l. ſi abſente.* 48. §. 1. *ff. de uſufruct.*

Stirpibus. c] *Stirpes* ſunt ferulæ, ſeu *virgulta*, quæ de radicibus naſcuntur: & germina dicta. *l. divortio.* §. *puto. ff. ſolut. matrim.*

IDEM §. 1.

Stipula illecta a, ſunt *ſpicæ* in meſſe deje-

dejectæ, necdum lectæ, quas ruſtici, cum vacaverint, colligunt.

EXPLICATIO.

Stipula illecta. a] *Stipula*, ſi propriè *& ex autoritate Varronis*, *lib.* 1. *cap.* 54. *de re ruſtic.* loquamur, ſunt *folia culmum ambientia. Culmus eſt* qui ſpicam ſuſtinet, *calamus* alio nomine dictus: *ſpica* verò granum ſuſtinet, à ſpe dicta hujus ſumma *ariſta* dicitur: quâ ſi careat *mutica*, quaſi mutila, nuncupatur. Juriſconſultus hic ſtipulam licenter pro *culmo* ac *ſpica* accipit. Quæ cum exciſa eſt à ſtirpe & in terram dejecta, tantiſper dum ruſtici, cum vacaverit, id eſt, ocium fuerit, eam colligant, illecta appellatur. Romani agricolæ fructibus perceptis hyeme ſacra faciebant Deæ Vacunæ. Ovidius *lib.* 6. *Faſtorum:*

Nam quoque cum fiunt antiqua ſacra Vacunæ,
Ante Vacunales ſtantque ſedentque focos.

M. Varro *lib.* 1. *de re ruſtic. cap.* 14 ſcribit: *Meſſe facta ſpicilegium venire oportet, aut domi legere ſpiculam.* Idem *lib.* 5. *de lingua latina*; inquit: *Nemo reprehenſus, quod à ſegete ad ſpicilegium reliquit ſpiculam.* Eſt tamen ſpicula in fructu. § *is verò.* 36. *Inſt. de rer. diviſ. l. qui ſcit.* 25. §. 1. *de uſur. l. ſi ejus.* 78. *de R. V. l. ſi fructuarius.* 13. *Quib. mod. uſusfr. amitt.*

IDEM

IDEM §. II.

Novalis a eſt terra præciſa, quæ anno ceſſavit, quam Græci νέαχιν vocant.

EXPLICATIO.

Novalis. a] *Novalis* eſt, terra *præſciſſa* (hoc eſt, nunc ante, ſuperiore nempe anno, aratro cæſa & ſciſſa, verſa & culta,) quæ anno ceſſat, hoc eſt, alternis annis ceſſare ſolet, *Plin.* 18. *cap.* 19. *Laur. Vall. lib.* 4. *elegant. cap.* 42. ut reparatis ceſſatione viribus, lætiores & uberiores fructus pariat. Virgilius Georg. I.

Alternis etiam feſſas ceſſare Novales,
Expediat.

Undè novalis fundi uſufructu legato, uſufructuarius ſingulis annis, nullâ vacatione datâ colere ac proſcindere non poteſt: ita enim vir bonus non uteretur, frueretur. *Vid. l. ſi cui.* 13. §. 9. *de uſufr. l. quid tamen.* 10. § 4. *Quib. mod. uſusfr. amitt.*

IDEM §. III.

Integra a autem eſt, in quam nondum dominus paſcendi gratia pecus immiſit.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Integra. a] *Integram terram*, dicit Juriſconſultus, quæ non modo non fuit præſciſſa, ſed necdum pecus in eam, paſcendi gratiâ miſſum eſt. Cicero *lib. de natur. Deorum* inquit: *Prabeo me tibi integrum diſcipulum*; id eſt, plane rudem, & ejus Philoſophiæ ignarum. Poteſt tamen legatarius, cui Integræ terræ uſusfructus eſt legatus, paſcendi cauſa iſtuc pecus immittere, licet nunquam immiſerit teſtator.

IDEM §. IV.

Glans a *caduca* b eſt, quæ ex arbore cecidit *c*.

EXPLICATIO.

Glans. a] *Glandis* appellatione omnes fructus continentur. *l.* 1. *§.* 1. *ff. de gland. leg. l. qui venenum.* 236. § 1. *ff. hic.*

Caduca. b] *Caduca* eſt, quæ ſua ſponte ex arbore decidit: *Varro. lib.* 2. *cap.* 2. ſicut *poma caduca*, & *procidua*, ad eorum differentiam, quæ ſtrictiva à ſtringendo nuncupantur: nam *ſtringere* pro *colligere* veteres dixerunt.

Cecidit. c] Ergo is cui *glandis caduca* uſusfructus conſtitutus, non omnes fructus qui caduci fieri poſſunt, ſed duntaxat eos qui ceciderunt colligere poteſt. *per l. ſi fructuarius ff. quib. mod.*

mod. uſufruct. amitt. l. ſi fructuarius. 13. *l. arboribus.* 12. §. 5. *de uſufr. l.* 80. §. 2. *de contr. empt.*

IDEM §. 1.

Paſcua ſylva eſt, quæ paſtui pecudum deſtinata *a* eſt.

EXPLICATIO.

Deſtinata a]. Hoc eſt, in quam jus eſt paſcendi cauſa pecora mittere. Hinc illud Ciceronis, in Topicis. *Si ager compaſcuus eſt, ergo in eo jus eſt compaſcere. Virgilius lib.* 3. *Georg.*

Paſcuntur vero ſylvas & ſumma Lycai,
Horrenteſque rubos, & amanteis ardua dumos.

LEX XXXI.

Ulpianus Lib. XVIII. ad Edictum.

PRatum a eſt, in quo ad fructum percipiendum falce duntaxat opus eſt, eo dictum, quod paratum ſit ad fructum capiendum.

EXPLICATIO.

Pratum. a] Quia ſine armentis arva coli difficile, & ſine fæno ali armenta non poſſunt: ut fœnum

fœnum habeatur cultus prati neceſſarius eſt. ***Pratum*** dicitur quia ad fructum percipiendum paratum, nec magnum deſiderat laborem. ***Colum. lib.* 2. *cap.* 17.** Vult Ulp. ***l. forma.* 4. *ff, de cenſib. pratum*** dici atque æſtimari, quod non tantum hoc anno, ſed & intra decem annos proximos, quis ſecuit: id eſt, totondit. Hinc dicit Brechæus. ***ad h. l.*** Quod ſi ſtatuto aut Lege ſit prohibitum, pecora duci in prata, illud etiam intelligendum eſſe de campo quantumlibet inculto.

LEX XXXII.

Paulus Lib. XXIV. ad Edictum.

M*Inus* a ſolutum intelligitur, etiamſi nihil eſſet ſolutum.

EXPLICATIO.

Minus. a] Non ſemper *minus* vim comparativi retinet *Valla lib.* 1. *cap.* 12. Auguſtinus contra Creſconium. *lib.* 3. *cap.* 74. copiosè hoc diſputat. unde quod non recepi rectè dixero minus recepiſſe: & minus tribuere videtur qui nihil tribuit. *l.* 7. §. 2. *ff. de tribut. act. l. verbum.* 82. *inf. hic. l. decem.* 116. *de verb. oblig. l. ſi ita.* 150. *hic.*

LEX

LEX XXXIII.

Ulpianus Lib. XXI. ad Edictum.

P*Alam* a, eſt coram *pluribus* b.

EXPLICATIO.

Palam. a] *Palam* in contractibus eſt, in præſentia Judicis, agnatorum, vel etiam amicorum; *Bart. ſing. in l. frater. à fratre. ff. de cond. ind. Iaſ. in l. ſingularia. in 7. col. verſ. pulchrum. ff. ſi cert. pet.* In teſtamentis, ut teſtes ſeptem exaudire poſſint; *l. 21. ff. quem. teſtam. fac. l. ult. ff. de jur. codicill.* In quæſtione taciti fideicommiſſi palam intelligitur relictum, quod teſtamento vel codicillis quis reſtituere rogatus, non domeſtica cautione vel chirographo. *l. 3. ff. de jure fiſci. Palam* alibi ſignificat *paſſim*, ſine *delectu*. Palam quæſtum facit quæ paſſim, ſine delectu ſe proſtituit. *l. palam 43. princ. junct. §. 1. de. ritu. nupt.* Cato de re Floriana. *Si palam corpore pecuniam quæreret, aut ſe Lenoni locaviſſet, & ſi famoſus aut ſuſpicioſus eſſet, vim in corpus liberum, non æquum cenſuere adferri.*

Pluribus. b] *Plures* & *multi* differunt. *Plures* non ſunt pauciores quam duo: *multi* non ſunt pauciores quam tres. *l. ubi numerus. ff. de teſtib. junct. l. 1. §. hoc reſcriptum. ff ad. SC. Tertul. Bart. ad l. Prætor. 4. num. 1. ff. vi bon. rapt.*

LEX XXXIV.

Paulus Lib. XXIV. ad Edictum.

A*Ctionis* verbo etiam *perſecutio* a continetur.

EXPLICATIO.

Perſecutio. a] Quin larga ſignificatione *actionis* verbo *perſecutio* contineatur, nullum dubium, & ſupra dictum eſt. Unde ſi eadem ratio ſit, quod in actione diſpoſitum, & in perſecutione, etiam in ſtricta materia, obſervabitur: *Alex. l.* 1. *ff. de juriſd. om. jud.* non ſi alia ratio. Unde minoribus quibus denegata actio, officio judicis ſuccurretur. *l. Quintus Mucius.* 7. *ff. de ann. leg.* Eſt *perſecutio* proprie dicta, quæ mero jus dicentis officio ſine formularum ſolemnitate, expeditur. *l. pecunia.* 178. §. *actionis. ff. hic.* Unde *extraordinaria* dicta: quia judicium nunquam ingreditur; actio ingreditur, etiamſi ſit in factum, vel utilis. Actiones quamvis utiles, omnes tamen dicuntur ordinariæ, extraordinariæ perſecutiones. *d. l. pecunia.* §. *actionis.* Hodie antiquatis formularum actionumque impetrationibus ſublatâque judicis dandi licentiâ, poſtquàm ipſi Magiſtratus judicare cæperunt, *l.* 2. *Cod. de pedan. judicib. l* 1. 2. *Cod. de formul. ſublat.* omnes actiones ſunt extraordinariæ. §. *ult. Inſt. de Interdict.* nullaque

que

que amplius inter actiones & perſecutiones differentia.

LEX XXXV.

Idem Lib. XVII. ad Edictum.

Reſtituere a autem is intelligitur, qui ſimul & cauſam actori reddit, quam is habiturus eſſet, ſi ſtatim *judicii accepti* b tempore res ei reddita fuiſſet, id eſt, uſucapionis cauſam *c* & fructuum.

EXPLICATIO.

Reſtituere a] *Reſtituit*, non qui tantum rem præbet, ſed eam, cum univerſa ſua, etiam uſucapiendi cauſa, acceſſione, fructu, uſura, intereſſe, & omni commodo ac emolumento, tam occaſione rei, quam ex ipſa re proveniente, reddit ac præſtat. *l.* 22. *l.* 35. *l. fin. in fin. ff. hic. l. qui reſtituere. l. præterea. l. ex diverſa ff. de rei vind. l.* 2. *l. videamus.* §. 11. *tantum ff. de uſur.*

Iudicii accepti. b] *Reſtituere* quaſi retrò ſtatuere, ſive conſtituere & reddere dicitur. *Varro.* Quare res ea in forma, acceſſione, & qualitate, reddi debet, in qua fuiſſet, ſi nihil adverſus id, cujus gratia reſtitutio deſideratur, factum eſſet. *d. l. videamus.* §. *in Faviana. l.*

non

non enim. ff. ad SC. Treb. d. l. præterea. d. l. ex diverſo. l.35. l.57. ff. hic. Qui ergò rem ut reſtituat condemnatus, fructus à tempore litis conteſtationis perceptos, ubi illi à lite conteſtata, (ut in obligationibus dandi regulare) debentur, reſtituere debet. *d. l. præterea.* 20. à tempore moræ perceptos in obligatione tradendi. *d. l. videamus.* 38. §. 1.

Vſucapionis cauſſam. c] Rem reſtituere damnatus, etiam reddere debet *uſucapionis cauſſam*; id eſt, rem poſt litem conteſtatam captam reddere. *l. nec bona.* 10. *Cod. de præſcript. longi temp.* Litis ergò conteſtatio ipſo jure non interrumpit uſucapionem. *l.* 18. *de rei vindicat.*

LEX XXXVI.

Ulpianus Lib. XXIII. ad Edictum.

LITIS *a* nomen omnem *actionem* ſignificat, ſive *in rem*, ſive *in perſonam*.

EXPLICATIO.

Litis. a] *Lis* in jure dupliciter accipitur. Aut enim *actionem* ſignificat, *ut hic.* tam criminalem, *l. in SCtum.* 15. § *ſi propter. ff. ad SC. Turp.* quam civilem; tam perſonalem, quam realem; *hic. & l. un. C. de lit. cont. l. properandum. C. de judic.* unde dicimus litem nobis cum

cum aliquo eſſe, *l. lis nulla. ff. eod.* litem edere, litem in judicium deducere. *l ſi mater.* 11. §. *hoc jure. ff de except. rei jud.* Aut ſignificat *inſtantiam*, ſeu *judicium*, quod conſtat Judice, actore, reo. *c. forus.* 10. *de verb. ſignif. d. l. properandum. l. rem non novam. verb. non aliter litium primordium. & §. patroni. C. de judic.* & comprehendit omnem tractum, qui à litis conteſtatione incipiens, uſque ad ſententiam definitivam durat & exercetur. *d l. properandum. l.* 2. *C. Theod. ad leg. Corn. de Falſ. l.* 2. *C. ut int. cert. temp. crim. qu. term.* quo ſenſu ante litis conteſtationem, nulla lis eſt. *Bart. & Alciat. hic. l. amplius non peti. ff. rem rat. hab. l. vinum. ubi Dd. ff. de reb. cred.*

LEX XXXVII.

Paulus Lib. XXVI. ad Edictum.

VErbum *Oportere* a non ad facultatem Judicis pertinet, qui poteſt vel pluris, vel minoris condemnare *b*, ſed ad veritatem refertur.

EXPLICATIO.

Oportere. a] Poteſt Judex, ſed non niſi ex cauſſa, *Alciat. hic.* Reum *pluris* vel *minoris* condemnare, quam libello licet verè, actor comprehenderit ſibi deberi; ut *ſi dixerit, Reum decem ipſi dare oportere. Pluris* condemnat in arbitra-

arbitrariis, *l. 1. ff. de in lit jur.* vel in his quæ ex inficiatione duplantur, *§. at adverſus. Inſt. de pœn. litig.* vel expenſarum, aut ejus quod intereſt ratione. *l. terminato. C. de fruct & lit. expenſ.* *Minoris* condemnat, ſi actor totius ſummæ non ſit capax, vel ſi pars aliqua poſt judicium cœpit non deberi. *l. ſi ſervus. ff de cond. furt.* vel etiam in executione, reo non niſi quatenus facere poteſt, convento. *l. ſunt qui ff. de re judic.*

Qui poteſt vel pluris vel minoris condemnare. b] Nec enim neceſſariò ſequitur quicquid ſubjicitur poteſtati Judicis: Ipſe quid ſuarum ſit partium æſtimat. *l. ſæpe. 7. cum l ſeq. de offic. præſid. l. non quicquid. 4. de judic.* Et intereſt multum, utrum quid nobis debeatur arbitrio officioque judicis, an actionis jure. *l. ult. Quod certo loco. l. 1. Cod. de judic l. in bonæfidei. 14. Cod. de uſur. l. 4. Cod. depoſ.* Obligatio eſt neceſſitatis vinculum. *§. 1. Inſt. de obligat.* Suidas τὸ δέον interpretatur ἀναγκαῖον. At *Officium judicis*, non cum neceſſitate ſed cum æquitate eſt conjunctum. Quæ ab ipſius pendent arbitrio, ſunt libera & ſoluta. Aliud eſt arbitrium, aliud judicium. *Seneca de benefic. lib. 3. Cicero pro Roſcio. Comæd.* Pœnas jure indictas nec remittere, nec intendere poteſt Judex, poteſt arbitrarias, *l. 11. l. pen. de pæn. l. 131. hic.*

LEX XXXVIII.

Ulpianus Lib. XXV. ad Edictum.

O*Stentum* a Labeo definit omne contra naturam cujuſque rei genitum factumque. Duo genera autem ſunt oſtentorum; unum, quotiens quid *contra naturam* b naſcitur, tribus manibus fortè, aut pedibus, aut qua alia parte corporis, quæ naturæ contraria eſt: alterum, cum quid *prodigioſum* c videtur, quæ Græci φαντάσματα, id eſt, viſiones vocant *c*.

EXPLICATIO.

Oſtentum. a] Hoc vocabulum generale eſt ab oſtentatione novæ & inconſuetæ formæ, ſic nominatum, & tam ad id quod contra naturam naſcitur, quam ad id quod prodigioſum videtur pertinet.

Contra naturam. b] Id eſt, *contra natura conſuetudinem* naſcitur. Hoc fit, cum cui naturali originis & generationis ſuæ formâ minime deſtructâ vel *augmentum acceſſit*, vel in aliquo *delibatum & detractum*, vel *mutilatum* eſt. *Aucta* erit *forma*, ſi naſcantur qui tres pluresve habeant manus; aut pedes: qui ſex pluresve digitos in ſingulis manibus: vel qui duobus

bus capitibus, tribus oculis. Qui, cum in iis natura larga fuit, & humana officia & membra amplificavit, inter liberos communerabuntur. *l. non ſunt.* 14. *verſ Partus ff. de ſtatu.hom* Undè & ad hos refer hermaphroditos, qui utroque ſexu donati. *de quib in l. quæritur.* 10 *ff. eod. Detractum* erit *forma*, ſi quis uno brachio vel pede, aut inverſis brachiis pedibuſque vel uno nullove oculo, aut ſine naribus, naſo, ventriculo, natus ſit. Qui etiam homo, cum humanam ſpeciem retinuerit, neque formam penitus exuerit cenſeri debet. Conſiderandum tamen hic, An ejuſmodi membrorum numerus major minorve non ſit impedimento, aut ſua inæqualitate terribilis. *l. idem.* 10. *l. qui clavum.* 12. *de Ædil. Edict.*

Prodigioſum. c] *Prodigioſa* ſunt quæ præter naturam eveniunt. Ut cum lapidibus pluiſſe, Livius *lib.* 7. *ab urbe cond. & decad* 3. *lib.* 1. ancilia cum crepitu, ſua ſponte mota, Idem *lib.* 1. *&* 5. *ab urbe cond.* In agro Marrucino Vectii Marcelli è primis equeſtris ordinis olivetum univerſum, publicam tranſgreſſum viam fuiſſe, arvis indè è contrario in locum oliveti profectis, ſcribit Plinius *lib.* 15. *cap.* 25. Quorum oſtentorum origo, ut inquit Auguſtinus *de civit. Dei. &* 1. *q.* 1. *c. Teneamus. &* 37. *diſt. §. huic etiam*, cauſſa non caret, etſi omninò cauſſa lateat.

Quæ Græci φαντάσματα, id eſt, viſiones vocant. c] *φαντάσμα* Cicero viſum interpretatur. Adjiciatur monſtroſum. Cum itaque nobis vel

dormientibus, & noctu, vel vigilantibus, & interdiu, aliquid apparet, ac veluti oculis noſtris ſe objicit, hoc ipſum φάσμα, id eſt, viſum, ſpectrum, imaginationem atque illuſionem appellandum, παρὰ τὸ φαίνεσθαι, hoc eſt apparere.

LEX XXXIX.

Paulus Lib. LII. ad Edictum.

S *Ubſignatum* a dicitur, quod ab aliquo ſubſcriptum eſt. Nam veteres ſubſignationis verbo pro *adſcriptione* b uti ſolebant.

EXPLICATIO.

Subſignatum. a] Aliud *ſignare*, aliud *ſubſignare:* Illud annulo, ut in teſtamentis faciendis, *l.* 21. *ff. de teſtib. l.* 3. § *hoc interdictum. ff. de tab. exhib. l.* 32. *ff. de furt.* vel ſigillo; *l. videamus.* § *qui vinum. ff. locat.* Hoc calamo perficitur. *hic.* Ita ſubſignat quis vel ut ſe rei geſtæ interfuiſſe teſtetur: *c.* 2. *de fid. inſtr. l. ad teſtium.* 22. §. *ſi quis. ff. qui teſtam.* vel ut ſe chirographo, cui ſubſcribit, obliget. *Bart. in l. emptor.* §. *Lucius. ff. de pact.* Unde & ſubſignare vel ſubſcribere, pro ſe obligare capitur. *l. ſemper.* 5. §. *conductus.* 10. *ff. de jure immunit.*

Pro adſcriptione. b] Imò pro *ſubſcriptione.* Nam adſignare eſt ſubſcribere. *Salmaſ. in ſpecimine*

cimine Confut. Animadverſ. Deſider. Heraldi. cap. 25. Ut chirographum mereatur fidem non ſufficit eſſe ſignatum, ſive ſigillo roboratum, ſed & oportet eſſe ſubſignatum, id eſt, eſſe ſubſcriptum. Quippe ſola ſcriptura non contrahitur obligatio, ſed probatur contracta. *arg h. l.* 4. *de fide inſtrum. l.* 17. *Cod. de pactis.* Imò, *ſecundum communem Doctorum opinionem*, nec publicum ſigillum ſine ſubſcriptione plenam fidem facit. *Alciat. hic, num.* 2. *per c. poſt. ceſſionem. de probat.*

IDEM §. 1.

BOna a intelliguntur cujuſque quæ deducto *ære alieno* b ſuperſunt.

EXPLICATIO.

Bona. a] Intellige *ſermonis proprietate.* Nam ex mente diſponentis aliter quandoque accipiuntur; cum aliàs aliquid abſurdum induceretur. *l. ſi quis ſervum.* 8. §. *fin. ff. de legat.* 2.

Ære alieno. b] *Æs alienum* eſt, quodvis debitum quod aliis debemus, *l. cedere diem.* 213. §. *æs alienum. ff. hic.* Illud à bonis deducendum; Nam cum bona naturaliter dicantur ex eo quod beant, id eſt, beatos, ſeu divites faciant *l. bonorum.* 44. *ff. hic.* ea propriè bona dici non poſſunt, quæ plus incommodi quam commodi habent. Quâ etiam ratione bona ab hereditate ſeparantur. *l.* 8. *ff. de legat.* 3. *l.* 16. §. 1. *ff.*

ad SC. Treb. Multumque intereſt inter hereditatem, & uſusfructus bonorum legatum. Hoc enim legato, æs alienum ex omnibus rebus eſt deducendum. *l 69. ff. ad leg. Falc. l. ult. ff de uſufr. leg.* At hereditatis appellatio etiam onera continet. Quintilianus *declam.* 273. inquit: *Bona mea, id eſt, quod liberum in patrimonio meo eſt. & quod propriè meum eſt ad te tranſire debet ære prius ſoluto.* Quo ſenſu, Theophylus *tit. Quod cum eo qui aliena poteſt.* peculium vocat καθαρὸν; Harmenopolus *lib.* 5. *tit.* 19. καθαρὰν ὕσιαν *vid. Nov.* 1. *&* 22. *l. ult. Cod. re-pud.* Sic dicuntur puri reditus, qui publica functione depenſa, apud ſequeſtrem, fidejuſſoremque ejus ſuperſunt, *in l. litibus.* 19. *Cod. de agricol. & cenſit.* eademque ratione fructus liberi, *l. ult. ad SC. Vellejan.* qui deductis impenſis ſuperſunt. *l. fructus.* 7. *ſoluto matrim. l.* 1. *Cod. de fructib. & lit. expenſ.* Meritò ergò dicit JCtus, ea demum cujuſque bona intelligi, quæ deducto ære alieno ſuperſunt. Præclare Caſſiodorus *lib.* 7. *epiſt. ult.* ſcribit: *Nam quid prodeſt, ſi quiſpiam videtur idoneus, & fieri non poſſit à contractis nexibus abſolutus. Egenti ſimilis eſt, qui reddere nequit alienum: nec dici poteſt proprium, quod liberare dominum non videtur addictum. Forner. ad hanc leg.*

IDEM

IDEM §. 11.

Deteſtari *a* eſt abſenti *b* denuntiare *c*.

EXPLICATIO.

Deteſtari. a] Inter *Deteſtari* & *Anteſtari* fuit differentia apud veteres. Illud erat abſenti denuntiare teſtatò, teſtibus præſentibus. *hic.* & *l. deteſtatio.* 40. *l plebs.* 238. *§.* 1. *inf. h. t.* Hoc erat, *ante* & *teſtari*: Scilicet antequam fieret manus injectio. Anteſtatus dicebatur, qui teſtibus adhibitis conveniebatur teſtatò. Nemo manu injecta ducebatur in jus, niſi teſtatò. Hinc Virgilius:

Cynthius aurem
Vellit & admonuit paſtorem, &c.

Et Horatius *lib.* 1. *ſermon. ſat.* 9.

Caſu venit obvius illi
Adverſarius, & quo tu turpiſſime? magna
Exclamat voce: & licet anteſtari?
Ego vero.
Oppono auriculam: rapit in jus: clamor utrinque.
Vndique concurſus: ſic me ſervavit Apollo.

Qui trahit in jus, anteſtatur prius, attrectat teſtium aures, monens ſymbolo hoc, attenderent & meminiſſent rei geſtæ.

Abſenti. b] Id eſt ei qui vadimonium deſeruit, judicio ſe ſubducit, & ſua abſentia judicem fruſtratur.

Denuntiare. c] Id eſt, diem ferendo teſtimonio dicere: hoc eſt ad judicium invitum teſtimonii ferendi gratia trahere.

IDEM §. III.

Incertus a *poſſeſſor* eſt quem ignoramus *b.*

EXPLICATIO.

Incertus. a] Etiam optimi juris poſſeſſor, *incertus* dici poteſt, ſi poſſidere ignoratur. *Tria* enim *poſſeſſorum genera* ſunt. Alii ſunt *noti* ac *certi*, de quorum poſſeſſione non ambigitur: alii *ignoti plane*, alii inter hos *medii*, incerti ſcilicet ac dubii, quorum poſſeſſio in ambiguo eſt. Atqui quæ nobis incerta ſunt, ignoramus. Reſpectu ſui nemo poſſeſſor incertus eſt, cum incertam (ratione loci; ſimulque quotæ portionis) rem nemo poſſeſſionis cauſa acquirere poſſit. *l.* 3. §. 2. *ff. de acquir. poſſ.*

Quem ignoramus. b] Qui licet certum quid poſſideat nos tamen ignoramus qui ille ſit, rem ſcimus, ſed ignoramus ejus poſſeſſorem. Nec intereſt quomodocunque. Non tamen omnis ignorantia excuſat facitque ut incertus poſſeſſor nobis cenſeatur, ſed tantum juſta, id eſt, facti probabilis. Vicina eſt ignorantiæ incertitudo: Qui dubitat pro ignorante habetur: *l ult.* Cod. *de cond. indeb. l. ult. verſ. ſinautem neſcius & dubitans.* Cod. *de furt. l. ad tempus.* 62. *de hered. inſtit.*

inſtit. l. ſi fuerit de reb. dubiis. ſcilicet quando exigitur ſcientia. Non tamen hic ICtus æquiparat incertitudinem & ignorantiam: ſed docet, ad incertum poſſeſſorem conſtituendum, non ſufficere, quod ſimus dubii, incerti & ambigui, ſed prorſus ignorare eum debeamus. Nam ſi dubitemus; in jus ipſum vocare debemus & de ejus poſſeſſione interrogare: *tot. tit. ff. de interrogat.*

LEX XL.

Ulpianus Lib. LVI.

D*Eteſtatio* a, eſt denuntiatio facta cum teſtatione.

EXPLICATIO.

Deteſtatio. a] Sic dicta à *Teſtatione*, quæ eſt denuntiatio teſtibus adhibitis facta. *l. 5. §. ult. ff. de admin tut. l. 1. §. ſed & ſi quis. ff. quod vi aut clam.* ſi fiat abſenti deteſtatio dicitur. *hic & l. prac. §. 2.* Utraque & *proteſtatio* dicitur *ſecund. Alciat. hic. vid. l. 16. de SC. Maced. l. ult. Cod. de negot geſt.* Quæ eſt animi noſtri declaratio, juris acquirendi vel conſervandi, vel damnum depellendi causâ facta. *Alciat. hic.* Hæc in his quæ à legis diſpoſitione pendet nihil operatur. *Gl. in l. alimenta. ff de neg. geſt.* Omninò in his quæ à noſtra poteſtate tantum. *l. ut ſi quis. § plerique. ff. de relig.* Nec tamen refert,

D 5 præſenti

præſenti fiat, an abſenti, in ſcriptis, an minus, cum cauſſa, an ſine; ſufficit enim pro ratione voluntas. *l quia. ff. ad SC. Trebell.* Valet etiam *proteſtatio* quæ à facto noſtro, itemque alterius pendet; dum tamen illi ſit facta, Quia conſentire debet, ſi de jure quæſito tollendo agatur; *l. perfectam. C de donat. quæ ſub mod. vid. l. fin. §. item ſi prædixerit ff naut. caup. ſtab. l. cum in plures §. locator. ff. locati.* ſi de jure quærendo agitur, ſufficit eum admoneri. *vid. Bart. in l pacta noviſſima. C. de pact. Gl. l. ſi fidejuſſor. ff qui ſatiſd cog. Proteſtatio* ea, quæ factum ejus cui denuntiamus reſpicit, valet ſi regulam juris imitatur; ut ſi quem admoneo ut faciat quod debet. *ut in l. quod ſi te. ff. de reb. cred.* Fieri poteſt quovis loco & tempore. *l. dies. C. de feriis.* Non valet, quæ regulis juris adverſatur. *l. fidejuſſor. ff de fidejuſſ. Vide hæc omnia latius apud Alciat. hic. nos pro inſtituto, ſtrictim agimus.*

IDEM §. 1.

Servi a appellatio & ad *ancillam* refertur.

EXPLICATIO.

Servi. a] Quod eſt præſtantius, id minus præſtans ſub ſe in eadem ſpecie colligit: ſub nomine filiorum filiæ, *l 16 ff. de teſt. tut.* ſub nomine viri mulier, *l. 1. hic.* ſub nomine ſervi ancilla,

ancilla, comprehenditur. *ut hic. & l. 62 ff. de legat* 3. non contra. *l. ſervis.* 81. *ff. eod.* Proinde ſervis, aut mulis legatis, & ancillæ, aut mulæ debentur. *d. l. qui duos.* 62. *& d. l. ſervis.* 81.

IDEM. §. II.

Familiæ a appellatione liberi quoque continentur.

EXPLICATIO.

Familiæ. a] De familiæ appellatione infra latius. Hic dicimus primum per *familiam* ſervos tantum denotatos fuiſſe; nempe à famulando, *e* cum *u* litera mutata. *Quo reſpexiſſe videtur Vlp. in l.* 1. *ff. de vi & vi arm.* Deinde liberi quoque, uxor, & omnes qui ſub unius poteſtate in eadem domo, natura, *l.* 195. *§.* 2. *ff. hic.* vel jure vivunt. *l.* 25. §. 1. *l.* 31. *§. idem Padius. ff. de Ædil. Edict. l.* 2. *§ familiæ. ff. vi bon. rapt. l.* 1. *§ fin. ff. de vi armat.* Unde paterfamilias dictus. Tandem *familiæ* ſignificatio ad totam ſanguinis cognationem porrecta. *d. l.* 195. §. 1. *&c.*

IDEM. §. III.

Unicus ſervus familiæ appellatione non continetur *a.* ne duo quidem familiam faciunt.

EXPLICATIO.

Non continetur. a] Puta vi ſermonis latini; Cicer. *in orat. pro Cæcin.* inquit: *Facilè probatur iis, qui latinè ſciunt, in uno ſervulo familiam non valere* Idem, *Familia conſtat ex pluribus ſervis: & unus homo familia non eſt.* Homo, id eſt, ſervus. *l. inſtructum.* 185 *l. in lege.* 203. *infra hic.* Cæterum ratio juris & interdicti, & Prætorum voluntas facit, ut & ſi unus ſervus dejecerit, vel vi aliquem ejecerit, familia intelligatur dejeciſſe, ejeciſſe. *d. l.* 1. *§. familiæ.* 16. *cum §. ſeq. ff. de vi armat.* Non enim eſt alia cauſſa æquitatis in uno ſervo, ac in pluribus.

LEX XLI.

Cajus Lib. XXI. ad Edictum Provinciale.

ARmorum a appellatio, non utique ſcuta & gladios, & galeas ſignificat, ſed & fuſtes & lapides.

EXPLICATIO.

Armorum. a] *Arma* (ab arcendis hoſtibus dicta. *Varro*) non tantum ea dicuntur quæ offendendi cauſâ,habemus, ut omnia tela, hoc eſt, *fuſtes, lapides, gladii, haſtæ, frameæ,* id eſt, tom-

romphææ; *l* 3. §. *armis. ff. de vi & vi arm.* ſed & quæ defenſionis cauſſà parantur, ut *ſcuta, galea, hic. lorica, tibialia, humeralia l. qui commeatus.* 14. §. *arma. ff. de re milit.* Arma ergò ſi portare prohibitum, non ſolum inſtrumenta bellica, ut galeæ, ſcuta, tela, ſagittæ, prohibita cenſentur; ſed & fuſtes, lapides, pugiones, & ſi quæ alia quibus major vis inferri poteſt. *hic & d. l.* 3. §. 1. *& l. armatos.* 9 *l. pen.* §. 1. *ad leg. Iul. de vi publ. l.* 2. *Cod. qua res export. non deb. l.* 14. §. 1. *de re milit* §. *recuperanda.* 6. *in fin. Inſt. de Interdict. Vide infra l.* 273. §. *telum.*

LEX XLII.

Ulpianus Lib. LVII. ad Edictum.

PRobrum a & *opprobrium* idem eſt. *Probra* quædam *natura* b turpia ſunt, quædam *civiliter* & quaſi more civitatis *c*, ut puta, furtum, adulterium, natura turpe eſt. Enimverò tutelæ damnari, hoc non natura probrum eſt, ſed more civitatis. Nec enim natura probrum eſt, quod poteſt etiam in hominem idoneum incidere *d*.

EXPLICATIO.

Probrum. a] *Probrum* & *opprobrium* non ſunt ipſum delictum, ſed facti cujuſque turpitudo & infamia. *l. probrum.* 41. *ff. de ritu nupt.* Interdum tamen probrum pro crimine ipſo ſumitur. *Teſte Valla.* Sed quia ex hujuſmodi delictis ignominia oritur, ſolentque ea à conviciantibus objici, frequentior uſus obtinuit, ut pro ignominia, conviciiſve accipiatur: ſicut & opprobrium, quod nihil aliud eſt quam objectum probrum.

Natura. b] Stoici nihil turpe putant, niſi quod vitio ſit conjunctum: *Cicer.* 3. *de offic.* Ob id nihil eis probroſum eſt, niſi quod natura improbatur. Sic furtum, adulterium turpe eſt quoniam utroque ſocietas humana violatur, quod vehementer naturæ repugnat: hæc enim hominem homini tam arcto conjungit vinculo, ut alter ad alterum æque ac ad ſeipſum ſe habeat.

More civitatis. c] Alii, qui in medio vivunt, nec tam arctè, ut Stoici, ad trutinam Critolai, *Cic.* 5. *de finib.* mores penſitant, probroſa quædam non ex natura, ſed hominum inſtituto judicant. ex. gr. More Hebræorum qui propinqui & conſanguinei ſui ſemen excitare recuſaverit fit infamis. *Deut. cap.* 25. More Romano, qui ex agnatis tutelam ſuſcipere detrectaverit, ad eam ſuſcipiendam ſententiâ Prætoris adactus, tutelæ damnatus dicitur. *l.* 1. *ff de leg. tut.* Quæ probroſa, non præſcripto naturæ,

ſed

ſed civili conſuetudine. *Gell lib* 11. *cap.* 18. Cicero *pro Roſcio Comad.* inquit: *Si qua ſunt privata judicia ſumma exiſtimationis, & pene capitis; tria hac ſunt, Fiducia, Tutela, Societatis. Æquè enim perfidioſum eſt, ac nefarium fidem fallere, qua continet vitam; & pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit, & ſocium fallere, qui ſe in negotio conjunxit* Accipiendum hoc, non de actione tutelæ contraria, quæ non famoſa; *§. ex quibuſdam. Inſt. de pœnis temere litigant. l. 6. in fin. de iis qui notant. infam.* ſed de directa.

In hominem idoneum incidere. d] Ergò natura non ſunt probroſa, functiones, Polinctorum, Veſpellionum, *l. ſed ſciendum.* 7. *l facta.* 63. *§. ſi vero. ad SC. Trebell. l. qui decem.* 72 *§. qui hominem. de ſolut. l. ſi ita.* 31. *de evictíon.* Libitinariorum, *Seneca lib. 6. de benefic. cap.* 38. Carnificum, *vid.* 1. *Samuel.* 15. 33. 1. *Reg.* 2. *verſ.* 34. Quia hi omnes in Republica neceſſarii.

LEX XLIII.

Idem Lib. LVIII. ad Edictum.

VErbo *Victus* a continentur quæ eſui, potuique, cultuique corporis, quæque *ad vivendum homini neceſſaria* ſunt, veſtem quoque victus habere viçem Labeo ait.

EX-

EXPLICATIO.

Victus. a] *Quæ vitæ neceſſaria* ſunt, id eſt, ſine quibus vita degi non poteſt, ea *victus* nomine continentur. Quare victu alicui legato, non ſolum eſus & potus debetur; ſed cultus quoque corporis, id eſt, *veſtiarium*, *calcearium*, *habitatio*, *lectus*. Idem alimentis legatis obtinet. *l. 6. & l. fin. ff. de alim. legat.* Niſi mens diſponentis alia fuerit.

LEX XLIV.

Cajus Lib. XXII. ad Edictum Provinciale.

ET cætera, quibus *tuendi*; *curandive* a corporis noſtri *b* gratia utimur, ea appellatione ſignificantur.

EXPLICATIO.

Curandive. a] Undè victu legato non ſolum ea debentur, quæ *tuendi*, ſed & quæ *curandi* corporis gratia adhibentur. Cujuſmodi ſunt Pharmaca tàm evacuantia, quam confortantia. *fac. l. in rebus. §. poſſunt. ff. commod. l. ſicut. ff. de uſufr. l. ſi cum dotem. §. ſi autem. ff. ſolut. matrim.*

Corporis noſtri. b] Rectè. Quamvis enim præclarum ſit hominem artium liberalium cognitione

gnitione imbui. *l. apud Iulianum.* 20. *de fidei-commiſſ. libert. l. quæ pater.* 52. *faml. erciſc.* & tutor pupillo ſumptus ſtudiorum cauſſa factos imputet. *l. ult. Cod. arbitr. tut.* tamen victus nomine potiſſimum corporis tutela continetur, non diſciplina. *l. cum hi.* 8 *de tranſaction.* Nemo ſine alimentis, nemo vento vivit, *d. l ult.* at plurimi citra inſtitutionem diſciplinatum vitam tranſigunt. Quæ tamen intelligenda, niſi vel perſonarum conditio, vel cauſæ aliud ſtatui ſuadeant.

LEX XLV.

Paulus lib. LVIII. ad Edictum.

INſtratum a *omne veſtimentum* contineri, quod injiciatur; Labeo ait, neque enim dubium eſt, quin *ſtragula veſtis* ſit omne pallium *b* περίστρωμα *c*. In victum ergo veſtem *d* accipiemus, non ſtragulam, inſtratum omnem ſtragulam veſtem.

EXPLICATIO.

Inſtratum. a] Veſtis omnis quæ vel ornatus, vel commodi gratiâ inſternitur, *inſtratum* dici ſolet: ſicuti & *ſtragula veſtis*, quæ lecto, abacis, equis, & nobis ipſis injicitur. *Alexan. ab Alex. lib. gen. dier.* 3. *cap.* 19. *Bayphius. l. veſtis. ff. de aur. & arg. leg.*

Pallium.

Pallium. b] Per *pallium* (quod Græcorum proprium eſt,) hic Juriſconſultus omnem ſuperiorem veſtem accipit, quæ ad ſubuculam & interiorem tunicam obtegendam major & laxior eſſe conſuevit. Inde apud Plautum. *Trinum.* 17. 30. *Tunica pallio propior.*

Περίστρωμα. c] *Stragulorum* & *inſtratorum* nomen etiam ſubeunt tapetia, amphitapetia; & quæ circa parietes obtenduntur, & ad avertendum pulverem deciduum, ritu veterum, ad tectum ſuſpenduntur: Græcè ſtromata, periſtromata & peripetaſmata appellantur. Cicero ſtragulam veſtem inter precioſam ſupellectilem ponit. Action. 4. *in Verrem* ita ſcribit: *verum eſto eripe hereditatem propinquis, da paleſtritis, prædare in bonis alienis nomine Civitatis, everte leges &c. poſtea. Nam illud quidem curatur, ut quicquid celati argenti fuit in bonis, ad iſtum deferatur, quicquid Corinthiorum vaſorum quicquid ſtragulæ veſtis.* Intellexit h c Cicero per ſtragulam veſtem, omnia tapeta, quibus potentiorum ſolent inſterni & circummuniri domus.

Veſtem. d] Victu legato veſtis debetur; non tamen omnis; ne legatarius & ſtragulam petat; ſed hoc ex boni & æqui formula eſt metiendum, & dignitas & conditio perſonæ ſpectanda; & hereditatis facultates inſpiciendæ. *arg l 6. §. 5. ff. de Carbon. Edict. l. Stichus.* 12. *ff. de legat.* 3.

LEX

LEX XLVI.

Idem Lib. LIX. ad Edictum.

PRonuntiatum a & *ſtatutum* idem poteſt. Promiſcuè enim & pronunciaſſe & ſtatuiſſe ſolemus dicere eos qui jus habent cognoſcendi *b*.

EXPLICATIO.

Pronuntiatum. a] Judex ut rectam ſententiam ferat, & rei veritatem diligenter debet explorare, & ſuam ſententiam idoneis verbis declarare. *in princ. Inſt. de offic. Iud.* Quod ſi fecit, pronuntiaſſe aut ſtatuiſſe dicitur: *l. 1. de re judic.* & ſic *pronuntiatum* & *ſtatutum* pro eodem accipitur; ſed alterum ad enuntiationem, alterum ad maturitatem conſilii ſpectat.

Cognoſcendi. a] Rectè ergò & arbitros, cum & hi jus cognoſcendi habeant; *l. ait Prætor. ff. de re jud.* pronuntiare vel ſtatuere dicimus. *l. qualem.* § 1. *l. quid tamen.* § *ſi arbiter. ff. de rec. arbit.* Appellabantur Judices Edititii *ſervius in Palæmone. Cicero pro L. Murena.*

IDEM § 1.

MAtrem-familias a accipere debemus eam quæ non inhoneſtè vixit. Matrem enim familias à cæteris fœmi-

fœminis mores diſcernunt, atque ſeparant. Proinde nihil intererit, *nupta* ſit, an *vidua*, ingenua ſit, an *libertina*. Nam neque nuptiæ, neque natales faciunt matrem-familias: ſed *boni mores*.

EXPLICATIO.

Matrem-familias a] Olim, ſi Nonio credimus, ea duntaxat uxor materfamilias dicebatur, quæ peperiſſet: Deinde & ea quæ in manum convenerat, licet nondum peperiſſet, & eſſet in parentum poteſtate. *Vid. Boet. in Topic. Cicer. Gell. lib.* 18. *cap.* 16. Poſtmodum Juriſconſulti; non ſolum in manus conventiones, aut natales, ſed honeſtatem matremfamilias facere definiverunt. *hic & l.* 3. *in fin. ff. de lib. exhib. l.* 15. *§.* 11. *ff. de injur. l.* 195 §. 1. *ff. hic.* Adeò quidem ut viduas, libertaſque patronorum concubinas. puellas, quæ ſui juris ſunt, & omnes notæ auctoritatis fœminas etiam matresfamilias appellarent. *l.* 41. *§.* 1. *ff. de ritu nupt. l* 4. *ff de his qui ſunt ſui vel al. jur. l.* 30. §. 1. *l.* 34 *ff. ſolut. matr. l.* 3. *ff. de lib. exhib.*

LEX XLVII.

Paulus Lib. LVI. ad Edictum.

L*iberationis* a verbum eandem vim *b* habet, quam *ſolutionis*.

EX-

EXPLICATIO.

Liberationis. a] *Solutio*, in genere, eſt quivis actus, quo debitor liberatur ab obligatione, qua creditori devinctus eſt. Hinc verbum *liberationis* eandem habet vim quam verbum ſolutionis: *hac. l. cui jun. l. ſolutionis.* 54. *ff. de ſolution.* adeò ut etiam verbo ſolutionis omnis ſatisfactio accipiatur. *l. ſatisfactio* 52 *ff. eod. l. ſolutionis.* 176. *hic.* & ſolutio non per numerationem, ſed etiam per novationem fieri dicitur. *l. liberto.* 21. § *Lucius.* 3. *ff de ann. leg.* Ita cauſſa, ut ſæpè alias, pro effectu, genus pro ſpecie ſumitur. Solutio enim ordine naturæ certè prior eſt, liberatio poſterior. *l. ſatisfactio.* 52. *inf. hic.*

Eandem vim. b] Utrumque enim verbum potiſſimum refertur ad juris effectum, id eſt, ab obligatione diſceſſionem. *l. ſolutionis.* 54. *de ſolution.* Differunt tamen; *Solutio* eſt facti & juris; *Liberatio* tantum juris. Omnis jure facta ſolutio parit liberationem, at non contra omnis jure facta liberatio oritur ex ſolutione. *vid. l. ſub conditione.* 16. *l. ſolutione.* 23. *l. ſi creditor.* 26. *eod.* Solutio ad ipſum obligationis vinculum, liberatio magis ad perſonam obligatam refertur. *l. non ſolum.* 8. §. *tale. de liberat. legata. Forner. hic.*

LEX

LEX XLVIII.

Cajus Lib. I. ad Edictum

QUi neque *a* ſequantur, neque ducantur.

EXPLICATIO.

Qui neque. a] Pertinent hæc ad Edictum de in jus vocando. Eorum qui in jus vocati alii ſequuntur ultrò, nec ducuntur; veluti è domo ſua vocati; *l. 21. ff. de in jus. voc.* vel ex aſylo; *Nov.* 17. vel ſatis offerentes: *tot. tit. ff. in jus voc. ut eant.* Alii ducuntur ſi nolint, ut cæteri ferè omnes; qui in jus vocari poſſunt: Alii neque ducuntur, neque ſequuntur; ut qui in jus vocari non poſſunt: quales ſunt vincti, nervo, aut compedibus, vel qui religione loci quaſi vincti tenentur. *l 2. ff. de in jus voc. vid. Cujac.* 7. *obſ.* 16. *Gotofr. hic.*

IDEM §. 1.

SOlutum a non intelligimus eum, qui licet vinculis levatus ſit, manibus tamen tenetur: ac ne eum quidem intelligimus ſolutum, qui in *publico* b ſine *vinculis* c ſervatur.

EX-

EXPLICATIO.

Solutum. a] Quia is demum ſolutus dicitur, cui eſt recedendi libera facultas. *l.* 2. *ff de lib. hom. exhib. l nec non* 28. §. 1. *ff. ex quib. cauſ. major.*

Publico. b] id eſt, in *carcere*; ut apud Plautum Soſia. *Vereor ne hac nocte adveniens, publico excipiar*; id eſt, in carcerem obtrudar. Cicero 5. in Verrem actione: *Pendere alios ex arbore pulſari autem alios & verberari porrò alios in publico cuſtodiri.* Idem *lib.* 1. *epiſtol ad Q. Frater.* de Æſopi ſervo fugitivo. *Hominem comprehendit, & in cuſtodiam Epheſi tradidit; ſed in publicum vel in piſtrinum non ſatis ex ejus litteris intelligere potuimus. vid. l.* 1. §. *unuſquiſque. l* 2. *l.* 4. *de fugitiv.*

Sine vinculis. c] In libera cuſtodia. Cicero de Clar. Orat. *Domi teneamus eam ſeptam liberali cuſtodia.* Jul. Firmicus Matheſeos *lib.* 5. *cap.* 1. *In cuſtodia quandoque, ſed libera exponetur & cap.* 3. *frequenter erit in libera cuſtodia conſtitutus.* Opponitur aſperæ cuſtodiæ. Tacitus *lib.* 13. ſcribit, Narciſſum Claudii libertum aſpera cuſtodia & neceſſitate extrema, ad mortem actum.

LEX

Computari. c] *Bona naturaliter* dicta, in quibus juris Civilis cognitio verſatur, ſunt *facultates*; quas & *fortunas*, *l. Sticho. in fin.* §. *de ſtatulib.* ſubſtantiam, *l. lex Cornelia. ff. de injur.* appellamus. Undè in bonis noſtris eſſe dicitur, quod in patrimonio noſtro aliqua ratione eſt. *l. 1. ff. de rer. diviſ. l 25.* §. *non ſolum. ff. quæ in fraud. credit.* Ita res per vim ablata in bonis eſſe dicitur ejus, qui vim paſſus eſt. *l. 9.* §. *licet. ff. quod met. cauſ.* Et ſervus domino non defendente ductus, in bonis ejus eſſe qui duxit; *l. 2.* §. *ult. ff. ſi ex noxal. cauſ.* In bonis etiam venditoris res vendita eſt, antequam ab eo emptori tradita. *l. 8.* §. *ſi debitor. ff. quib. mod. pign.* §. *cum autem. Inſt. de empt vend.* In bonis mariti eſt dos conſtante matrimonio. *l. 21.* § *item reſpondit. ff. ad municip. l. 7.* §. *ſi res. l. 75. ff. de jur. dot.*

Bona fide. d] Bona fide poſſidere dicitur, qui ignorat rem alienam eſſe. *l. 3. ff. ad leg. Fab. de plag.*

Superficiaria. e] Ea ſunt, ſive ſunt *prædia*, ſivè *ædes*, quæ in conducto ſolo certâ penſione annuâ habentur. *l. 10. ff. fam. erciſc. l. 16. ff. de pignor. act. l. ult. ff. de ſuperf. l. 74. ff. de rei. vind.* Dicuntur eſſe in bonis, quia in re ſuperficiarii aliquod jus habent: *l. 19. ff. de damn. inf.* Unde & Prætor ſuperficiarios loco dominorum habet, & utilibus in rem actionibus tuetur. *leg. 1.* §. *fin. l. fin. ff. de ſuperf. l. 18.* §. *ei qui. ff. de damn. inf. l. 74. & ſeq. ff. de rei vindicat. l. 16. in fin. ff. de pignorat. act.*

Æque bonis. f] Rem enim in bonis noſtris habere, intelligimus, quotiens poſſidentes exceptionem, aut amittentes ad recuperandam eam, actionem habemus. *l. rem in bonis.* 52. *ff. de acq. rer. dom.*

Si quid eſt in actionibus, petitionibus perſecutionibusque. g] Hæc omnem actionis ſpeciem complectuntur; quæ alias diſtingui ſolent. *l. ſi heres.* 70. *ad SC. Trebell. l. actio.* 8. *l. actionis.* 37. *de oblig. & action.* Sic in ſtipulatione Aquiliana concipienda. *Quarum rerum mihi tecum actio, petitio perſecutio eſt eritve.* §. *item per. Inſt. Quib. mod. tollit oblig. l. & uno.* 18 *de acceptilat.* Actiones idcirco civili bonorum appellatione veniunt, quod qui eas habet, τῇ δυνάμει & rem habere videatur: *l. is qui actionem.* 15. *de reg. jur.* Noſtrum & id quod nobis debetur, recte dicimus, cum verba accipiantur cum effectu. *l.* 1. *quod quiſque juris. l. meorum.* 40. *inf. hic.* Et quamvis interdum actiones juſtæ excludantur debitorum inopia, *l.* 6. *de dolo.* non eo minus tamen debentur. *l.* 4. *de hered. vel act. vend. Forner. hic.*

LEX L.

Idem Lib. LXI. ad Edictum.

NUrus appellatio etiam ad *pronurum* & *ultra* porrigenda eſt.

EX-

EXPLICATIO.

Nurus. a] *Nurus* appellatur filii uxor; *l.* 4. §. *affinis. ff. de gradib. affin.* ſed & *ſponſa*, licet minus propriè, nurus appellatione continetur. *l.* 6. *&* *l.* 8. *ff. eod. l.* 12. §. 1. *ff. de ritu nupt.* Nurus autem appellatio & in Edicto de poſtulando; *l.* 1. §. *fin. & l.* 3. §. 2. *ff. de poſtul.* & in quæſtione prohibitarum nuptiarum, *l.* 14. §. *ult. ff. de ritu nupt.* & aliàs ferè, *l.* 8. §. *pen. ff. de legat. præſt.* ad nepotum uxores, & ultra porrigitur, licet has pronurus & abnurus quidam rectè appellent. *dd. ll.*

LEX LI.

Cajus Lib. XXIII. ad Edictum Provinciale.

APpellatione *a parentis* non tantum *pater*, ſed etiam *avus*, & *proavus*, & deinceps omnes ſuper avos continentur: ſed & *mater* b, & *avia*, & *proavia.*

EXPLICATIO.

Appellatione. a] Parentis ergò appellatione omnes in infinitum adſcendentes, intelliguntur. *l.* 1. *& l.* 3. *ff. de grad. affin.* quod à Cajo Caſſio decretum, approbatum; *l.* 4. §. 2. *ff. de*

in jus. voc. cum antea parentes uſque ad tritavum; ſuperiores majores dicerentur. *d. l.* 4. §. 2. *& l. fin. §. parentes. ff. de gradib.* Parentes pro cognatis uſurpantur, & apud Feudiſtas, *lib.* 5. *Feud. tit.* 24. *Quemadmod. feud. ad fil. pert. & lib.* 2. *tit.* 33. *de conſuet. feud. rect.* Canoniſtas, *c. ult. qui cleric. vel vov. c. cauſam matrimonii. de offic. Deleg. c. cum in tria. de ſponſal. & matrim.* & Scriptores alios ut Trebellium in vita Probi. ubi: *Quo tempore Valerianum Flaccum adoleſcentem nobilem parentem è Quadorum manu liberavit. Saluſtium in orat. ad Bocchum: Parentes abundè habemus.* Donatus interpretans illud Terentianum in Hecyra. *Cum te poſtputaſſe omnes res pro parente intelligo:* ait: *Bene parente, quod nomen commune & cum patre eſt, & cum omnibus, quos hac neceſſitudo conjungit.*

Sed & mater. b *&c.*] Fallit ex ſubjecta materia: puta, in ſubſtitutione pupillari, in patria poteſtate, & aliis.

LEX LII.

Vlpianus Lib. LXI. ad Edictum.

PAtroni a appellatione & *patrona* continetur.

EXPLICATIO.

Patroni. a] Quia maſculinum, ut ſupra diximus comprehendit fœmininum. *vid. l.* 1. *l.* 40. §. 1. *l.* 174. *l.* 194. *in prin. ff. hic.* Jura ergò de patrono

patrono loquentia, & de patrona, quæ manumiſit, intelligi debent. Niſi aliter ſpeciali ratione ſit conſtitutum. *ut in l. ſicut.* 48. *§. fin. ff. de oper. libert.*

LEX LIII.

Paulus Lib. LIX. ad Edictum.

SÆpe ita comparatum *a* eſt, ut *conjuncta pro disjunctis* accipiantur, & *disjuncta pro conjunctis*, interdum *ſoluta pro ſeparatis*. Nam cum dicitur *b* apud veteres, *Adgnatorum gentiliumque* c, pro ſeparatione accipitur. At cum dicitur *d. Super pecunia tutelave ſua*, tutor ſeparatim ſine pecunia dari non poteſt. Et cum dicimus: *Quod eum dare facere oportet:* quodvis eorum ſufficit probare. Cum verò *e* dicit Prætor, *Si donum, munus, operas, redemerit* f: ſi omnia impoſita ſunt, certum eſt, omnia redimenda eſſe *g*, ex re ergò pro conjunctis habentur. ſi quædam impoſita ſunt, cætera non deſiderabuntur.

EXPLICATIO.

Sæpe ita comparatum. a] Quia *voces ideò inventæ* ut *ſententiis obſequantur*, *Cicer. pro Cecinna. non ut ſententiæ vocibus ſint obſequentes*; ideò prima debet eſſe ſententiarum animadverſio, ad quas deinde voces ſunt dirigendæ: Rectè ergò Juriſconſultus, non verborum, ſed ſententiarum habita ratione, tradit conjuncta pro disjunctis, disjuncta pro conjunctis, ſoluta pro ſeparatis, ſæpe accipi ſolere: commodis ad hoc exemplis ſubjunctis.

Nam cum dicitur. b] Conjunctæ dictiones, (ut ſunt, *Et, que, atque, quoque*,) naturaliter quidem ad hoc ſunt inventæ ut aliquid copuletur cum alio & ſic utriuſque conjuncti concurſus requiratur, *l. ſi hæredi. ff. de cond. inſt. t.* in jure tamen talis verborum ſignificatio nonnunquam invertitur ex re: ſi id *mens proferentis*, vel *rerum qualitas*, vel alia *ratio extrinſecus* urgeat. *Mens proferentis* conjuncta disjungere intelligitur; ſi alioqui inde abſurdum conſequeretur; ut cum quis filios & heredes ſubſtituit. *Bart. l. Gallus. §. etiam. ff. de lib. & poſt.* Cum filios & nepotes inſtituit. *d. l. Gallus.* § 1. Cum lex duodecim Tab. dicit: *Agnatorum gentiliumque hereditas ſit. Rerum qualitas* hoc facit; cum quis fundum, ejuſque fundi uſumfructum Titio legat: *l. ſi Titio. 10. ff. de uſufruct. leg.* uxorem facit dominam & fructuariam. *Bart. in d. l. ſi Titio. 10.*

Agnato-

Agnatorum Gentiliumque. c] Varro de lingua latina, *lib.* 7. ſcribit: *Vt in hominibus quædam ſunt cognationes & gentilitates, ſic etiam in verbis.* Separatur ergò ſtirps & gens à cognatione. *Agnati* ſunt eodem ſanguine procreati, at proximiores. *Gentiles* eodem inter ſe nomine, & eadem ſtirpe orti. Hereditates ſuis, conſanguineis, agnatis & cognatis legibus deferuntur. *l. ult. de gradib. l.* 1. *l.* 2. *de ſuis & legit. hered. t. tit. de legit. agn. ſucceſſ. t. tit. de ſucceſſ. cognat.* Sublatâ etiam hodie agnationis & cognationis differentiâ. *l. pen. C. de legit. hered. Novell.* 112. Gentiles quoniam ſunt remotiores, nec ex eadem familia, raro hodie ad ſucceſſionem vocantur. Vocati fuere olim. Cicero *lib.* 1. *de Oratore.* ait: *Ejuſdem hominis hereditatem ad ſe rediiſſe gente dicerent.* Plinius Panegyrico ad Trajanum, de hereditatum vigeſima *Tributum tolerabile & facile heredibus duntaxat extraneis, domeſticis grave: itaque illis irrogatum eſt; his remiſſum. Videlicet quod manifeſtum erat, quanto cum dolore laturi, ſeu potius non laturi homines eſſent, diſtringi aliquid & abradi de bonis, quæ ſanguine gentilitate ſacrorum denique ſocietate meruiſſent.*

At cum dicitur. d] Ut conjunctivæ dictiones ad copulandum, ita disjunctivæ (ut ſunt *aut, vel, ve, ſive.*) ad disjungendum inventæ naturaliter; proinde alterutrum tantum disjunctum requiritur: quod tamen nonnunquam non obſervatur; ſed disjuncta pro conjunctis habentur; puta quoties hoc vel *vis verborum,*

vel *leges*, vel *præſumpta loquentis mens* infert. *Alciat. hic. Vis verbi* hoc infert; cum legantur uxori, mundus, ornamenta, ſeu quæ ejus cauſa parata, & omnia debentur, verbum enim *Seu* vim habet ampliandi: *l. ſi quis ita.* 30. *ff. de aur. & arg. leg. Lex*, cum jubet tutorem ſuper pecunia tutelave pupilli dare: Nec enim tutela, ſine pecunia demandatur. *l. in eo. §. ubi. ff. hic. Mens diſponentis* hoc docet. In ea ſubſtitutione *Si filius meus inteſtatus, vel ſine liberis deceſſerit. l. generaliter. C. de inſtit.* Et in ea, *Si filius meus, vel filia heres non erit*; *Sejus heres eſto. l. ſi is qui.* 13. §. *fin. ff. de reb. dub.*

Cum verò dicit. e] Soluta oratio, aliquando disjungit, ſubjectâ materiâ hoc ſuadente, alioqui conjungit; quod docet hic dictio *interdum*, *in princ. leg.* cujus natura de frequentioribus caſibus excipere. *Alciat. hic.*

Domum munus, operas redemerit. f] Olim libertis pro libertate imponebantur *opera munus donum:* ne onerandæ libertatis id videretur factum, jurejurando interpoſito: *l. ſicut.* 7. *de oper. libert. l.* 1. *Quarum. rer. act. l. ult. de liber. cauſ.* Dimittebantur aliquando liberti operarum obligatione, redimendo ejuſmodi impoſita, conſequuti liberam teſtamenti factionem. *l. libertus.* 41. *de oper. libert. Vid. l. Iulianus.* 37. *de bonis libert.*

Omnia redimenda eſſe. g] Ratio. Tot ſunt ſtipulationes, quot res: Sic in hac formula *annua, bima, trima die id argentum quaque die dari?*

dari? tres trium ſummarum inſunt ſtipulationes. *l. pen. de Verbor. oblig.*

IDEM §. 1.

ITem dubitatum *a*, illa verba, *Ope, conſilio*, quemadmodum accipienda ſunt: *ſententiæ conjungentium*, aut *ſeparantium?* ſed verius eſt, quod & Labeo ait, *ſeparatim* b accipienda: quia aliud factum eſt ejus, qui *ope* c, aliud ejus qui *conſilio* d furtum facit. ſic enim alii condici poteſt *e*, alii non poteſt *f*. & ſane poſt veterum auctoritatem eo perventum eſt, ut nemo ope videatur feciſſe, niſi & conſilium malignum *g* habuerit: nec conſilium habuiſſe noceat; niſi & factum ſecutum *h* fuerit.

EXPLICATIO.

Dubitatum. a] Ratio dubitationis. Quia opem ſine conſilio animi ferre non videmur, adeò ut qui ſervo fugere perſuaſerit, furti non teneatur, niſi ut alius eum furto ſubduceret, hoc fecerit. *l. qui ſervo. 56. ff. de furt.* Deinde quia furtum non verbis, *l. ſi quis. 52. §. neque verbo. ff. eodem.* in quibus conſiſtit conſilium,

 l. 1.

l. 1. §. *perſuadere. ff. de ſerv. corr.* ſed contrectatione committitur. *l.* 1. *ff. de furt.*

Separatim. b] Quia quæ nomine differunt. re differunt, *l. non codicillorum. C. de teſtam. l ſi idem. C. de codicill.* Quæ re differunt, formis differant neceſſe. *d. l. ſi idem. & ibi. Dd.* Quæ formis differunt ſeparata ſunt. *l. Iulianus.* §. *ſi quis rem. ff. ad exhib.*

Ope. c] *Opem* fert, qui miniſterium atque auxilium ad ſurripiendas res præbet. §. *interdum. ubi vid. exempla. Inſt. de obl. quæ ex del. naſc.*

Conſilio. d] *Conſilium* dat qui verbis perſuadet & impellit, & inſtruit ad aliquid, ex. gr. *furtum,* faciendum. *vid. l. in furti.* 50. §. *ope. ff. de furt. d. l.* 1. §. *perſuadere. l. fin. C. de noxal. act.*

Condici poteſt. e] Qui conſilio opeve adjutus furtum fecit & furti actione & condictione tenetur. *l.* 7. *ff. de condict. furt. l. ſi quis.* 35. *l.* 54. §. *cum furti ff. de furt.*

Non poteſt. f] Qui ſpe ſaltem juvit, non contrectavit, aut conſilium dedit, non condictione furtiva tenetur, ſed actione furti pœnali. *l.* 6 *ff. de cond. furt.*

Conſilium malignum. g] id eſt, dolo opem tulerit.

Factum ſecutum. h] Quia neque verbo, neque Scriptura, ſed contrectatione furtum fit. *d. l. ſi quis uxori.* 52. §. *neque. ff. de furt.* At in aliis atrocioribus admiſſis vel ſcelerati conſilii pœna conſtituitur. *l. Majeſtatis.* 10. *ad Leg. Iul. Majeſt.*

Majeſt. Paulus *lib. 5. ſent. tit.* 29. Lege Julia Majeſtatis tenetur is; *Cujus ope conſilio adverſus Imperatorem vel Rempublicam arma mota ſunt.* In ipſa enim deliberatione ineſt facinus, etiamſi ad id non perveniatur. *Forner. hic.*

LEX LIV.

Ulpianus Lib. LXII. ad Edictum.

Conditionales a creditores dicuntur & hi quibus nondum competit actio, eſt autem competitura: vel qui ſpem habent, ut competat.

EXPLICATIO.

Conditionales. a] Is, cui ſub conditione legatum, pendente conditione non eſt creditor; quia legatum conditionale, ante conditionem exiſtentem, neque debetur, neque peti poteſt: *l. 4. & l. 5. l. 21. ff. quand. dies legat.* qui ſub conditione ſtipulatus eſt, ea pendente eſt creditor. *l. is cui ſub conditione. 42 ff. de oblig. & action. l. 27. ff. qui & à quib. § ex conditionali. Inſt. de verb. oblig.* ſiquidem conditionem exituram ſpes ſit, alias non. *hac. l.*

LEX LV.

Paulus Lib. XVI. Brevis Edicti.

CReditor autem is eſt, qui *exceptione perpetua* a ſummoveri non poteſt: qui autem *temporalem* b *exceptionem* timet, ſimilis eſt conditionali creditori.

EXPLICATIO.

Perpetua. a] Eâ qui ſummoveri poteſt, non intelligitur, quo ad juris effectum, creditor eſſe: ut nec cum dubium eſt an perpetua exceptio futura ſit. *l. ſufficit. 56. ff. de cond. indeb.* Eſt *exceptio perpetua*, quæ ſemper locum habet, ita ut nulla litis parte evitari poterit; quæque rem de qua agitur, hoc eſt, cauſſam principalem perimit. undè & peremptoria appellatur. Talis eſt, *exceptio doli mali, rei judicatæ, jurisjurandi, pacti conventi perpetui*, id eſt,. nè omninò petatur. *l. 3. ff. de except.* Quibus qui removentur, non habent actionem; Nihil enim intereſt ipſo jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur. *l. nihil intereſt. de reg. jur.* Nam quandocunque adverſus actionem perpetua obſtat exceptio idem eſt ac ſi nulla competeret actio. *l. & eleganter. §. ſervus pactionis. de dolo malo & ibi Bald.*

Temporalem. b] Sicut enim conditionalis creditor

ditor agere non poteſt, niſi conditio evenerit; ita *temporalis creditor* agere, niſi dies ceſſerit debitionis. *l. cedere diem. ff. hic.* Eſt enim *exceptio temporalis* quæ ad tempus tantum nocet; unde & *dilatoria* dicta. Ut eſt *pacti conventi temporalis*, id eſt, nè, fortè, intra quinquennium ageretur; *Iudicis incompetentis*; ea *quæ adverſus procuratorem competit. d. l. 3. ff. de except.*

LEX LVI.

Ulpianus Lib. LXII. ad Edictum.

COgnoſcere a inſtrumenta *b*, eſt relegere, & recognoſcere. *Diſpungere* c, conferre accepta & data.

EXPLICATIO.

Cognoſcere a] *Cognoſcere inſtrumenta*, non ſolum eſt relegere, quod ſcripturæ proprium eſt, verum etiam *recognoſcere*, hoc eſt, & ſigilla inſpicere, & veritatem agnoſcere, & deſcripta ſeu copias (ut vulgo ajunt.) cum ſuis originalibus conferre, malè deſcripta emendare.

Inſtrumenta. b] Ea appellatione hic venit omnis ſcriptura, quâ aliqua cauſa & quæſtio inſtrui poſſit. *arg. l. 1. ff. de fid. inſtrum.*

Diſpungere. c] *Diſpungere* eſt expungere, ſeu tranſverſo calamo rationem cancellare. Hic accepta

accepta & data conferre; & ex ea collatione (ut ait Accurſius.) Cancellare quod ſit redditum. Hinc diſpunctio ipſa rationis cancellatura. *vid. l. cum plures. ff. de bon. auct. jud. poſſ.* A *diſpungere* differt *expungere.* Hoc ſignificat ſimplicem cancellationem. Illud cancellationem cum annotatione, cum collatione acceptorum & datorum. *l. 6. §. ult. de ſtatulib. l. 15. de reb. auct. jud. poſſid.* Unde & Diſpunctores, qui *Diaſtolei* dicuntur. *in l. ult. Cod. de Tabul.* Retractari rationes expunctas dicit Modeſtinus: *in l. calculi. de admin. rer. ad civit. pertin.* Diſpunctas non poſſe Hermogenianus. *in l. in omnibus. de diverſ. temp. præſcript.*

IDEM § 1.

L*iberorum* a appellatione continentur non tantum qui ſunt in poteſtate, ſed omnes, qui *ſui juris* ſunt *b.* ſive fœminini ſexus ſint, exve fœminini ſexus *c* deſcendentes.

EXPLICATIO.

Liberorum. a] *Liberorum* ſignificatio multo laxior quam *filiorum: filiorum* in proximo, niſi ratio aliud ſuadeat, *qua de re inf. in l. 220.* conſtat, *liberorum* ad nepotes & pronepotes ac minores porrigitur. Atque ita ſemper in duodecim tabulis eſt annotatum. Imò Gellius. *lib. 2.*

cap. 13.

cap. 13. Crinitus. *lib.* 15. *cap.* 18. Valla. *lib.* 3. *cap.* 8. obſervarunt veteres liberorum nomine, &.unum filium filiamque ſignificaſſe.

Sui juris ſunt. b] Ut emancipati; imò & naturales; *Fac. l. tutelas. 7. in princ. verſ. ex nobis. ff. de cap. minut.* Niſi teſtatoris conditio & dignitas, *l. ex facto.* 17. §. 4 *ff. ad SC. Treb.* præſumptave ejus mens, aliud inducat. *l. fin. ff. de jur. delib.* Non ſpurii. *Auth. ex complexu. C. de inceſt. nupt.*

Exve fœminini ſexus. c] Adde *propagatione:* Quia inter liberos nepos quoque ex filia continetur. *l. fin. ff. de pollicit.* Etiam liberorum appellatione continetur unus; ut volunt Græci hic τῶν παίδων καὶ ὁ εἷς μόνος περιέχεται.

LEX LVII.

Ulpianus Lib. LIX. ad Edictum.

CUi *præcipua cura* rerum incumbit, & qui magis quam cæteri diligentiam & ſolicitudinem rebus, quibus præſunt, debent: hi *Magiſtri* a appellantur. Quin etiam ipſi *Magiſtratus* per derivationem à magiſtris cognominantur. Undè etiam cujuſlibet diſciplinæ præceptores, *magiſtros* b appellari à movendo, vel monſtrando.

EXPLICATIO.

Magiſtri. a] *Magiſter* eum ſignificat, cujus autoritatem & exemplum ſequimur, vel cui rei alicujus præcipua cura incumbit. *hac. leg.* Feſtus *Magiſtros* inde voluit dictos, quod cæteris magis poſſunt, vel quod magis quam cæteri diligentiam & ſolicitudinem rebus quibus præſunt, debent. Magiſtri officinæ hinc dicuntur tabernæ mancipes, qui modo præſcribunt ſellulariis. *Gell. lib.* 13. *cap.* 14. Magiſtri curiarum, quibus cura adminiſtrandæ curiæ incumbit, dividendæ puta pecuniæ gratia, exornandi ſuffragii, & alia id genus faciendi. &c.

A monendo, vel monſtrando. b] Dicit Ulpianus *in l.* 5. §. *ſi Magiſter. de Leg. Aquil. Sutor puero diſcenti, parum bene facienti quod demonſtraverat, forma calcei caput percuſſit.* Magiſtrare nihil aliud eſt, quam moderari & docere; Magiſterium, Magiſtratio, pro diſciplina & inſtitutione, καὶ τῇ παιδείᾳ. Impp. Theodoſ. & Valentinian. *Publicas magiſtrationes & cellulas in quibus diſcipuli colliguntur,* dixerunt, pro ludo litterario, privatisque parietibus oppoſuerunt. *L.* 3. *Cod. de ſtud. liberal. Vrb. Roma.* Gennadius in Caſſiano: *Scripſit experientia magiſtrante plano & liberali ſermone.* Spartianus in Adriano. *Ipſe quoque inter manipulares vitam militarem magiſtrans.* Hinc patet hic non legendum eſſe *Monſtrando*, ſed *Magiſtrando:* Oſtendit hoc manifeſtè Feſtus, ſic ſcribens

Magi-

Magiſtrare, regere, temporare, & moderari: Vnde Magiſtri non ſolum Doctores Artium, ſed etiam pagorum, ſocietatum, vicorum, collegiorum, equitum dicuntur. Quia omnes hi magis cæteris poſſunt: Vnde Magiſtratus, qui per imperia potentiores ſunt, quam privati. Et poſt: *Magiſteria dicuntur in omnibus rebus, quia magis cæteris poſſunt.*

IDEM §. 1.

P*Erſequi* a videtur & qui ſatis accepit.

EXPLICATIO.

Perſequi. a] Senſus eſt; Quamvis aliquis ſatis acceperit, id eſt, fidejuſſor judicio ſiſti ipſi datus eſt. *l. 5. §. 1. verſ. fidejuſſorem. verſ. qui non ſit l. Iulianus. ff. qui ſatiſd. cog.* tamen adhuc dicitur perſequi; quia ſatisfactio pro vera ſolutione non eſt. *l. 1. ff. eod. Perſequitur qui non deſinit ſequi.* Donatus in Andria: Meritò; Satis acceptio enim eſt ad confirmandum, non infirmandum.

LEX LVIII.

Cajus Lib. XXIV. ad Edictum Provinciale.

LIcet, *a* inter *geſta* & *facta* videtur quædam eſſe ſubtilis differentia: attamen

tamen καταχρηστικῶς. id eſt, *abuſive*, nihil inter *factum* & *geſtum* intereſt.

EXPLICATIO.

Licet. a] Quid inter *geſtum*, *actum*, & *contractum* interſit ſuperius *ad leg.* 19 diligenter ab Ulpiano excuſſum. Nunc Cajus inter *geſtum* & *factum* dicit quandam eſſe differentiam; nam facere promiſcuum eſt, gerere ad magnificas actiones refertur, inquit, Valla *lib.* 4. *cap.* 4. in jure etiam ad privatas. Dicimus enim negotium gerere. καταχρηστικῶς autem nulla eſt differentia. nam hæc plerunque à Scriptoribus confundi ſolent. Solent enim & JCti, & Auctores alii quaſdam ſubtileis verborum differentias & λεπτολογήματα negligere. Multa dicunt impropriè καταχρηστικῶς, imò ἀντιφραστικῶς. Sic apud JCtos *emere*, pro *vendere*, *l. veteres.* 19. *de action. empt.* *Dare* pro *tradere*, *facere* pro *vendere l.* 6. *l. ult. de praſcript. verb.* *Senatusconſultum* pro *Lege*: *l.* 7. *de capit. minut. &c.* Ut & apud Auctores alios: Quintilian. *declamat.* 264. Gellium. *lib.* 20. *cap.* 1. Baſilicon. *lib.* 46. *tit.* 11. & 45. *tit.* 1. Fuere & Antiphraſes JCtis uſitatæ: *Beneficium* pro *maleficio* & opera in malum conſumpta. *l. ex facto.* 40. *de aqua pluv. arc. l. inter.* 46. *de furt.* *Sperare* pro *metuere* JCtus Ulpianus *in l. qui bona.* 13. *de damno infecto.* ait: *Qualitate damni quod contingere ſperatur.* Sic Ammianus Marcellinus lib. 16. *Conſtantius impendio timidus,*

dus, *ſemper ſua ferire ſperabat*, *ut Dionyſius ille Tyrannus Siciliæ.* Quinctilianus lib. 8. cap. 1. *tantum potui ſperare dolorem.* Imò & JCti & Auctores alii contraria rebus nomina impoſuere. *vid. Sidon. Apollinar. lib.* 2. *epiſt.* 2. *Marcellin. lib.* 22. *Cedren. in Michaëlo. aliosque.*

IDEM §. 1.

P*Aternos* a libertos rectè videmur dicere noſtros libertos. *Liberorum* b libertos non rectè noſtros libertos dicimus.

EXPLICATIO.

Paternos. a] Quia liberi in vita Patris quodammodò rerum paternarum domini habentur. *l. in ſuis.* 11. *ff. de lib. & poſth.* Per conſequens juris patronatus. Quod ad liberos parente mortuo tranſit. *l.* 5. *l.* 18. *ff. de bon. lib.*

Liberorum. b] Quia liberi ſoli patroni ſunt: ſi quidem ſint emancipati; id eſt, Patria poteſtate liberati: vel certè peculium ipſis habere liceat. *l.* 8. *ff. de jure patron. l. antepen. ff. qui & à quib. l.* 22. *ff. de bon. lib. l.* 3. *ff. de caſtr. pecul.*

LEX

LEX LX.
Idem Lib. LXIX. ad Edictum.

P*Ortus* a appellatus eſt concluſus locus, quo importantur merces, & inde exportantur. eaque nihilominus *ſtatio* b eſt concluſa, atque munita. indè *angiportum* c dictum eſt.

EXPLICATIO.

Portus. a] *Portus*, (ab importando & exportando dictus) propria ſignificatione ſignificat inſulam, hoc eſt, domum mercium reponendarum gratia ita extructam, ut ab incendiis, fumis, incurſionibus, tutior ſecuriorque eſſet, ſejuncta ac munita à cæteris contiguis ædificiis. *l.* 3. §. *effractura. ff. de offic. Praf. Vigil. l.* 14. *ff. de ſerv. urb. prad.*

Statio. b] *Statio* navium per metaphoram etiam portus dicitur; cum concluſa ac munita ſit ad tuendum recipiendumque naves. JCtus *in l.* 1. *de fluminib.* ſcribit: Stationem *dicimus à ſtatuendo*, lege *à ſtando:* ſequitur mox: *is igitur locus demonſtratur, ubicumque naves tutò ſtare poſſunt.* Et paulò poſt: *Ne quid in mari inve littore quo portus ſtatio iterve navigio deterius fiat.* Dicit Cyprianus *epiſt.* 13. *lib.* 3. *Quid enim ſi in mari portus aliquis munitionibus ſuis ruptis, infeſtus & periculoſus eſſe navibus caperit;*

rit; nonne navigantes ad proximos portus naveis ſuas dirigunt, ubi ſit tutus & ſalutaris introitus, & ſtatio ſecura.

Angiportum. c] *Angiportum* ſive *angiportus*, *Feſt. & Nonius Marcell.* eſt legitimum illud ſpatium duorum ſcilicet pedum cum ſemipede, (quod ambitus quoque quia eam inſulam ambit, dicitur,) relictum inter inſulas ſeu portus, atque reliquas domus contiguas, ut per id merces importentur & exportentur. *Vid. Donat. in Adelph. act.4. ſcen.2.* Varro Angiportum deducit ab agendo & portu, quia nihil poteſt agi.

LEX LX.

Idem Lib. LXIX. ad Edictum.

L*Ocus* a eſt, non *fundus*, ſed *portio* aliqua *fundi: fundus* autem integrum aliquid eſt, & plerunque *ſine villa* locum accipimus. Cæterum adeò opinio noſtra & conſtitutio locum à fundo ſeparat, ut & *modicus locus poſſit fundus dici*, ſi fundi animo eum habuimus. Non etiam magnitudo locum à fundo ſeparat, ſed noſtra affectio, & quælibet portio fundi poterit fundus dici, ſi jam hoc conſtituerimus: nec non & fundus, locus conſtitui poteſt.

nam

nam ſi eum alii adjunxerimus fundo, locus fundi efficietur.

EXPLICATIO.

Locus. a] *Locus* & *fundus* differunt. *Fundus* præſcriptos ac præfinitos limites habet; non *locus*: ſi quidem pars omnis à fundo quomodocunque abſciſſa locus dici poteſt. Ad fundum dimetiendum & circumſcribendum, affectio & animi noſtri inductio plurimum facit. Nam & quælibet, etiam minima, portio fundi, ex noſtro arbitratu fundus poterit appellari. Contra fundus integer poteſt locus effici; ſi alterius in fundi partem conceſſerit. Fundorum enim & locorum nomina non conſtituuntur natura, *l. quod in rerum.* 24. *de legat.* 1. inſtitutum & deſtinatio cujuſque potiſſimum attenditur. *l.* 3. §. *quid ergo. de contr. tutelæ act. l. quæſitum.* 2. §. *ſi quis. de fund. inſtr. l. qui filium* 64. *de legat.* 3. Etſi enim ab hominum arbitrio non pendeat communis ac naturalis imponendorum nominum ratio. *l.* 4. *eod. l. Labeo.* 7. *de ſupellect. leg. Gellius. Noct. Atticar. lib.* 10. *cap.*4. tamen uti quiſque volet, rei ſuæ conditionem qualitatemque ac legem dicet. Ex duobus fundus unum, exque uno duos ſi commodum erit, efficiet. *l. ſi quis duas.* 6. §. *ſi quis partem. Commun. prædior. l. Cajus.* 86. *de Legat.* 2. Hinc legatum, vel ſtipulatio fundi in genere, ob incertitudinem nullius eſt momenti; cum vel ceſpitem terræ offerendo heres, vel promiſſor liberare-

beratetur. *l. cum poſt.* 69. § *gener. ff. de jur. dot. l. ubi autem.* 75. §. 1. *ff. de verb. obligat.* Nomen fundi ſi legato expreſſum, is totus debebitur, licet in plures regiones commodioris culturæ gratia teſtator eum diviſerit. Niſi heres de parte eum ſenſiſſe evidenter probet. *l. Cajus Sejus.* 86. *in fin. ff. de legat.* 2.

IDEM §. I.

LOci a appellationem non ſolum ad *ruſtica*, verum ad *urbana* quoque *prædia* pertinere Labeo ſcribit.

IDEM §. II.

SEd *fundus* quidem ſuos habet fines: *locus* verò latere poteſt quatenus determinetur & definiatur.

EXPLICATIO.

Loci. a] Eſt hæc inter locum & fundum differentia. quod *locus* ad *urbana* etiam *prædia* pertinet. *l.* 10. *Quib. mod. uſuſfr. amitt. l.* 1. *Cod. de præd. decurion. l. fundi.* 211. *inf. hic. Loca Civitatis fortia & munita occupare. l.* 1. *ad Leg. Iul. Majeſt.* Cicero. Philippic. 9. *circaque eam ſtatuam locum gladiatoribus, ludiſque, liberos, poſterosque ejus, quaque verſus pedes quinque habere.* *Fundus* autem, niſi generaliter loquamur, *l. fundi.* 211. *ff. hic.* cum urbanis

banis prædiis nihil habet commune. Nam fundus *in ruſticis* tantum haberi ſolet, undè & latifundia dicta ſunt, id eſt, ampliores fundi. *Plin. lib.* 3. *cap.* 22. *&* *lib.* 18. *cap.* 6.

LEX LXI.

Paulus Lib. LXV. ad Edictum.

SAtisdationis a appellatione interdum etiam repromiſſio continebitur: qua contentus *b* fuit is cui ſatiſdatio debebatur.

EXPLICATIO.

Satisdationis. a] *Satisdare* propriè dicitur is qui fidejuſſores dat: *l.* 1. *ff. qui ſatiſd. cog.* lex tamen propter conſenſum creditoris, & eum interpretatur ſatisdare qui repromittit. *l.* 5. §. 4. *ff. judic. ſolvi.*

Contentus. b] Quia conſentienti creditori aliud pro alio licitè ſolvitur. *l. manifeſte. C. de ſolut.* §. 1. *&* 2. *Inſt. quib. mod. toll. obl.* Non invito. *l.* 2. *ſi cert. pet. l. enim.* 16. *Cod. de ſolution.*

LEX LXII.

Cajus Lib. XXVI. ad Edictum Provinciale.

TIgni appellatione in lege duodecim Tabularum *omne genus materiæ* a,

riæ a, ex qua ædificia conſtant ſignificatur.

EXPLICATIO.

Omne genus materiæ. a] Tegula ergò & lapides, & cæmenta, & calx, & arena, cæteraque, ſi qua ſunt ædificiis utilia, tignorum appellatione continentur. *l. tigni. 7. ff. ad exhib. l. 1. §. 1. ff. de tigno junct.* Quod fit, non ex proprietate verbi; (Tignum enim propriè ligneum fuit, ſignificavitque quamcunque trabem tegendi cauſſâ ædificiis impoſitam.) ſed ex interpretatione prudentum ad legem XII. Tabularum. Theophilus, Græcus inſtitutionum Paraphraſtes *in §. cum in ſuo. 29. Inſtit. de rer. diviſ.* Tigni appellatione contineri ait, non modo lignum ſed etiam lapidem, & *beſalum*, & columnam: Beſalum, non eſt, ut vult Curtius *ibid.* peſſulum; ſed teſta, ſive later: ut in *Baſilic. ad l. fiſtulam. 19. de ſerv. urban. præd.* ἀπὸ βησαλων ex figlino opere in Gloſſis Laterculum, *βήσαλον ἢ ϛρατία. vide Cujac. 9. obſ. 26.*

LEX LXIII.

Ulpianus Lib. LXXI. ad Edictum.

PEnes te a amplius eſt, quam *apud te:* nam apud te eſt, quod qualiter qualiter à te teneatur: penes te eſt, quod quodammodò poſſidetur.

EXPLICATIO.

Penes te. a] *Feſtus. Apud* & *penes* in hoc diſferunt quod alterum perſonam cum loco ſignificat, alterum perſonam & dominium, ac poteſtatem, quod trahitur à penitus. Eſſe itaque penes te quidquam, eſt, non ſolum proximum habere, ſed ejus quoque rei poteſtatem ac facultatem tenere; ut de eo poſſis pro tuo arbitratu decernere. Itaque depoſitarius apud ſe, non penes ſe rem habet. *l.* 1. § *eleganter.* & §. *ſeqq. l.* 5. *l.* 8. *l.* 15. *l. ſi fidejuſſor.* 30. *ff depoſit.* ut & commodatarius, *l.* 5. §. *ſi, de l. in rebus.* 18 § 1. *ff commod.* mandatarius pecuniam mandati causâ exactam. *l. qui negotia. ff mand.* E contra penes ſe, non apud ſe rem habet, dominus, *l. Titia.* §. *hujus. ff. de legat.* 2. heres tabulas teſtamenti, *l.* 1. *ff. de caſtr. pec.* qui rem precario poſſidet, *l.* 15. §. *cum qui. verſ an is ff. de præcar.* qui hominem liberum bonâ fide ut ſervum poſſidet. *l qui bona l. quæſitum ff. de acq. rer. dom.* Quæ ita ſunt niſi res ſubjecta, vel verba prægnantiora adjecta, aut mens loquentis aliud moneat. *ut in l. traditio ff. eod. l.* 5. § *ſi de me. ff. commod. l. ſi quis in tantum. C. unde vi.* Nam *Penes* ponitur pro *Apud. in l. à Divo.* 15. *de re judic. l. ſi quis aliquid.* 38. §. 2. *de pœnis. l.* 1. §. *eleganter. l. ſi ſacculum* 29. *depoſit. l* 5. § *ſi de me. Commod. l.* 1. *de fidejuſſ. tutor. l quia.* 12 *de pecul l pen. de hered petit.* Viceverſa *Apud* pro *Penes* in *l. traditio.* 20. *de acquir. rer. dom. l ſi*

quis.

quis. 8. *Cod unde vi l.* 5. *Cod. de furt.* Subtiles enim verborum differentiæ plerunque negliguntur à JCtis *l. licet inter.* 58. *l. inter ſtuprum.* 101. *l. licet capitalis.* 103. *infr. hic.*

LEX LXIV.

Paulus Lib. LXVII. ad Edictum.

INteſtatus a eſt, non tantum qui teſtamentum non fecit, ſed etiam cujus ex teſtamento hereditas adita non eſt.

EXPLICATIO.

Inteſtatus. a] *Inteſtatus* dicitur, vel qui, cum poſſet jure teſtari, tamen teſtatus non eſt, ſive noluit, ſivè morte fortè impeditus, non potuit: licet codicillos fecerit, (Iis enim hereditas, cujus adjunctum eſt teſtatum aut inteſtatum eſſe, non datur. *§. codicillis. Inſt. de codicill.*) vel qui teſtamentum quidem fecit, ſed non jure, puta ſi ſolennitates à Jure requiſitas non obſervaverit: *l. ſi unus. C. de teſtam.* vel qui teſtamentum quidem jure fecit, ſed quod ex poſt facto infirmetur. *tot. tit. inſt. quib mod. teſt. infir.* Rumpitur agnatione: Irritum fit capitis diminutione, & ſi hereditas ex teſtamento adita non ſit. *hic. & in princ. Inſt. de hered quæ ab int. dèf.* Sed & qui teſtamenti faciendi jus non habent; ut impuberes, furioſi, prodigi pro Inteſtatis habentur.

bentur. *l.* 1. *de ſuis & legit. hered. l. credendum.* 4. *Qui pet. tutor. l.* 2. *§. ſi mater.* 23. *de SC. Tertull. l. ſciant.* 10. *Cod. de legit. hered. l. omnem.* 6. *Cod. de SC. Tertull. l. pater filium.* 14. *de Leg. Falcid. l.* 27. *Cod. teſtam.* Sicut enim ſine liberis dicitur decedere, qui liberos habere non poteſt; ita ſimiliter is dicitur inteſtatus, qui factionem teſtamenti non habet. *l. in teſtamento.* 6. *Cod. de teſtam. milit.* Inteſtatorum ergò vice continentur pupilli, prodigi furioſi.

LEX LXV.

Vlpianus Lib. LXXII. ad Edictum.

HEredis appellatio non ſolum ad proximum heredem, ſed & ad *ulteriores* a refertur. nam & heredis heres, & deinceps, heredis appellatione continetur.

EXPLICATIO.

Vlteriores. a] Quapropter, conditio *ut heredi Titio detur*, & in herede heredis adimpleri poteſt. *l. cum ita.* 63. *§. fin. ff. de cond. & demonſtr.* Certis tamen caſibus heredis appellatio ultra proximum non extenditur; ut ſi ſcripti heredis facta ſit mentio; *Bart. in l. qui liberis.* §. 1. *ff. de vulg. ſubſt.* vel ſui; *Bald. conſ.* 304. Si Titio ejuſque heredibus uſusfructus legatus; *l. cum antiquitas. C. de uſufr.* nè proprietas, conſo-

conſolidationis ſpe ſublatâ, reddatur inutilis; Si appellatio heredis extraneos non comprehendat; ut fit in materia emphyteuſeos eccleſiaſticæ, feudi. *c. ſi de feu fu. cont. int. do.*

LEX LXXVI.

Cajus Lib. LXXIV. ad Edictum.

M*Ercis* appellatio ad res *mobiles* a tantum pertinet.

EXPLICATIO.

Mobiles. a] Ut vinum, oleum, frumentum. *l. ult. ff. de condict. tritic.* Non ad ſervos. *l.* 1. §. 1. *ff. de tribut. act.* quamvis & ſervi mercis loco haberi dicantur; *l.* 73. *§. ult. ff. de legat.* 3. & Edictum de peculiaris mercis tributione ad omnes negotiationes porrigatur. *d. l.* 1. *&* *l.* 28. *ff. de pecul.* Generaliter autem merx quæcunque res in emptionem deducta appellatur. *l.* 1. *ff. de rer. perm.* Et mercis cauſâ parata dicuntur, quæ idcirco parata ſunt, ut veneant. *l.* 32. §. *uxori. ff. de uſufr. leg.*

LEX LXVII.

Idem Lib. LXXVI. ad Edictum.

A*Lienatum* a non propriè dicitur, quod adhuc in dominio venditoris *b*

toris *b* manet: venditum tamen rectè dicetur.

EXPLICATIO.

Alienatum. a] *Alienatio*, ſeu tranſlatio dominii, potiſſimum per traditionem fit; *l. traditionibus. C. de pact.* unde qui rem vendit, antequam eam tradat nullum jus dominii transfert, nec alienaſſe cenſetur. Proinde & perſonali actione tantum tenetur. Itaque emphyteuta, aut vaſallus rem emphyteuticam, aut feudalem, ſine conſenſu domini, vendens, nec tamen eam tradens, ea non privatur; quia non dicitur alienata, licet vendita dicatur: nec debetur ex illa venditione laudemium. *l. fin. C. de jur. emphyt.* Minus eſt vendere, quam alienare *l. 163. infr. hic.* Quod venditum, ſed adhuc apud venditorem eſt, non dicitur alienatum, ſed venditum: Venditæ rei necdum traditæ dominium non tranſit in emptorem: quia nudis pactis ſeu contractibus non quæruntur rerum dominia. *l traditionibus.* 20. *Cod. de pact. l. quoties.* 15. *Cod. de rei vendic. l. 6. Cod. de hered. vel act. vend.* Venditio autem nudo perficitur conſenſu ſimulatque de merce & pretio convenerit. *l. 2. de oblig. & action.* Nec tenetur venditor dare, ſed tantum tradere, at emptori; Domino evincente, auferetur. *l ſi ita. 25. l. rem. 28. de contrah. emt.*

In dominio. b] Propriè ſc. Conſtitutionibus enim poſterioribus alienationis nomen productum,

ctum, ad ſervitutis, uſusfructus, conſtitutionem, pignoris obligationem, manumiſſionem, venditionem, permutationem, Emphyteuſin, cæteraque id genus negotia, quibus non tantum abdicatur rei dominium, ſed & jus quacunque ratione deminuitur. *l. ult. Cod. de reb. alien. non alienand. l.* 1. *de fundo dotali. Novel.* 7. *Forner.*

IDEM §. 1.

DOnationis a verbum ſimpliciter loquendo, *omnem donationem* comprehendiſſe videtur: ſive mortis cauſſa, ſive non mortis cauſſa fuerit.

EXPLICATIO.

Donationis. a] Donationis duæ ſunt ſpecies; alia *pura*, alia *conditionalis*. *Pura* eſt, cum quis ea mente dat, ut ſtatim velit accipientis fieri, nec ullo caſu ad ſe reverti & propter nullam aliam cauſam facit, quam ut liberalitatem & munificentiam, exerceat: *l.* 1. *ff de donat.* Ea ritè facta nec pænitentia, nec reſcripto Principis retractatur. *l.* 3. *l.* 4. *l* 6 *Cod. de revocand. donat.* Recte donata jam retractantur dicit Plato *in Philebo. Conditionalis* eſt, cum quis ea mente dat, ut tum demum accipientis fiat, cum aliquid fuerit ſecutum; Item cum ipſe ea mente dat, ut ſtatim quidem fiat accipientis, ſi tamen aliquid factum fuerit, aut non fuerit, velit ad ſe reverti: ut eſt *donatio mortis cauſſa.*

d. l. 1. *in princ.* *Pura* ſimul ac facta; *Conditionalis*, poſt eventum conditionis propriè, ante impropriè: Quæ ſub conditione reſolvitur, tum cum nulla ſpes reſolutionis amplius ſubeſſe poterit, non interim, donatio fuiſſe cenſetur. *Alciat. hic.*

LEX LXVIII.

Idem Lib. LXXVII. ad Edictum.

ILla verba *Arbitratu* a *Lucii Titii fieri* jus ſignificant *b*, & in ſervum *c* non cadunt.

EXPLICATIO.

Arbitratu. a] Arbitri ſunt, ſecundum Doctores, triplices. 1. Qui ſurrogantur in Judicum ſuſpectorum locum; *l.* 16. *& ult. Cod. de judic.* Arbitri juris appellantur. 2. Qui adeuntur ex compromiſſo: cauſſam ſpecie quadam & figura judicii cognoſcentes atque decidentes: Arbitri recepti & Compromiſſarii dicuntur. *tot. tit. ff. & Cod. de recept. arbitr.* Quorum ſententiæ metu adjectæ pœnæ potius, quam juriſdictionis auctoritate parebitur, ſive æque, ſive inique judicaverint. *l.* 2. *Cod. eod.* Nec licet appellare. *l.* 1. *Cod. eod.* Quia *plurimum refert*, (inquit, Plinius *proœm. Natur. Hiſtor.*) *ſortiatur aliquis judicem, an eligat.* Lucianus in Abdicato: *Non ut in cæteris judiciis,*

ciis, quibus ex ſortitione judices ſententiam dicunt, ad alios judices provocare lex ſinit, ſi quis eorum ſententiam iniquam exiſtimet: ita qui ſponte Arbitros ſumpſerit. Nam cum ab initio integrum eſſet, ſeſe eorum poteſtati non ſubjicere ſi quis eos ultrò adierit, ſibique judices delegerit, par eſt, eorum parere ſententiæ. vid. & l. diem. 27. *§. ſtati. de recept. arbitr.* 3. Sunt Arbitratores: qui verbi cauſſa, in emptione venditione ad definiendum pretium adhibentur; *l. hac venditione.* 7. *de contra emt. l.* 76. *§. arbitrorum. pro ſocio.* in ſatiſdationibus ad probandos fidejuſſores, *l.* 8. *Qui ſatiſd. cogant.* in Falcidiæ controverſia ad defuncti bonorum quantitatem æſtimandam. *l.* 1. *§.* 6. *Si cui plus quam per leg. Falcid.*

Ius ſignificant. b] Id eſt, facultatem Jure Civili permiſſam & corroboratam. *Gothofr. hic.*

In ſervum. c] In ſervum ergò compromitti non poteſt. *l.* 7. *l.* 9. *ff. de recept. arb.* Quia in iis quæ ad jus attinent, ſervus omnino incognitus eſt, nec tantum civili jure, ſed etiam prætorio; nec ullam habet juris ſive civilis, ſive prætorii communionem: *l. qui teſtamento.* 20. *§. ſervus quoque. ff. qui teſtam. fac.* adeò ut neque extra ordinem computetur. *l. nullomodo.* 7. *ff. de leg. Corn. de falſ.* Verba, *arbitratu illius fieri*, jus inculcant; ut is cujus arbitrium eſt electum, arbitretur *jure*, & arbitretur *ſi jure arbitrari poſſit*; puta ſi ſit liber, non ſervus. Nam ſervus non poteſt eſſe arbiter. *l.* 7. *in princ. de recept. arbitr.*

LEX LXIX.

Idem Lib. LXXVII. ad Edictum.

HÆc verba, *Cui rei dolus malus aberit, afuerit*, generaliter *a* comprehendunt omnem dolum *b* quicunque in hanc rem admiſſus eſt, de qua ſtipulatio eſt interpoſita.

EXPLICATIO.

Generaliter. a] Et ſic non tantum factum ſuum heredumque, promiſiſſe contrahens intelligitur; *l. noviſſima. ff. judic. ſolv.* ſed &, cum ſtipulatio pænalis ſit, extranei: *l. ſtipulatio iſta.* 38 *§. ſi quis dolum. l. in illa.* 50. *l. inter.* 83. *in princ ff. de verb. oblig.*

Omnem dolum. b] Sive procedat ad aliquod maleficium nominatum, veluti, *furtum*, *homicidium*, *perjurium*, *falſum*; ſive producat factum criminoſum quod tamen ſpeciali nomine caret, unde *ſtellionatus* dicitur; *l. 1. & tot. tit. ff de ſtellion.* ſive afferat læſionem nullo tamen facto quod criminaliter accuſari poſſit; ut in commerciis hominum aliiſque modis fieri ſolet: & tunc doli appellationem, retinet *l. 1. & tot. tit. ff. de dolo.* Complectitur itaque illa ſtipulationis pars, qua dolum abeſſe abfuturumque comprehendimus, *l. 22. l. 53. l. 119. l. 121. l. 135. ff. de verb. oblig.* quicquid contra

bonam

bonam fidem & æquitatem fit. Dolo enim facit qui contra bonum & æquum aliquid facit. *l. qui æquitate ff. de dol. mal. except.* Dictam cautionem & ſtipulationem Doli mali (*Dolum malum abeſſe ab futurumque fore.*) Et Ambroſius *lib.* 3. *cap.* 10. *offic.* honeſtatis formulam appellat. *Nonne*, inquit, *honeſtatis formula ſunt, dolum malum abeſſe; eumque cujus dolus fuerit deprehenſus dupli pœna obnoxium fore.* Et paulò poſt: *Veterem autem iſtam de dolo, non Iuriſperitorum formulam; ſed Patriarcharum ſententiam.* &c. Solebat in ſtipulationibus aliiſque contractibus & judiciis interponi. *l.* 68. §. 1. *de contrah. emt. l.* 2. *l ex parte* 121. *in pr. de verb. oblig. l. non ſolum. de dolo. l. noviſſima.* 19. *judic. ſolvi l.* 3. *Cod. de recept. arbitr. l. ita demum.* 31. *ff. eod l.* 5. *Vſufruct. quemad. cav. l. ſi ſine.* 22. *Rem rat. hab. l. quæſitum.* 30. *de pecul.* Conſultum eſt ſtipulationibus quæcunque comprehendi poſſunt, ſpecialiter comprehendere. Et poſtea hanc generalem clauſulam ſubjicere. Nec enim ea pertinet, ad ea quæ ſpecialiter comprehenſa ſunt; ſed ad caſus incertos, qui in præſens contrahentibus ſuccurrere non potuerunt. *l. ſtipulationes.* 53. *de verb. oblig.* Supplet omiſſa, expreſſa non continet. Interdum omiſſa tacite ſubauditur. *ut in l eleganter.* 7. *de dolo. & d. l. ſi ſine.* 22. *l. ſi cum.* 68. *de contr. emt.*

LEX LXX.

Paulus Lib. LXXIII. ad Edictum.

SCiendum eſt, heredem etiam per multas ſucceſſiones *a* accipi. nam paucis ſpeciebus *heredum appellatio proximum* continet. Veluti in ſubſtitutione *b* impuberis. *Quiſquis mihi heres erit, idem filio heres eſto:* ubi heredis heres non continetur, quia incertus eſt. Item in lege Ælia Sentia *c* filius heres proximus *d* poteſt libertum paternum ut ingratum accuſare, non etiam ſi heredi heres exſtiterit. Idem dicitur in operarum exactione *e*, ut filius heres exigere poſſit, non ex ſucceſſione effectus.

EXPLICATIO.

Per multas ſucceſſiones. a] Heredis appellationem per multas ſucceſſiones accipi, nec tantum ad proximum heredem, ſed & ad ulteriores referri, ita ut heredis heres, & deinceps ea appellatione contineantur, ſupra *l. heredis. 65.* diximus. Paucas etiam ſpecies, in quibus heredis appellatio proximum tantum continet, excepimus; tres alias hic addit Juriſconſultus.

Subſti-

Subſtitutione. b] Qua proximos, & ſcriptos tantum heredes, & qui ex teſtamento heredes exiſterent, contineri placuit. Et ideò non tantùm heredem, ſed & patrem, qui per filium, dominum qui per ſervum heres extiterit, ab hac ſubſtitutione repelli; quia hi omnes non ex judicio teſtatoris veniunt; *l.* 3. *& l.* 8. *ff. de vulg. & pup. ſubſt. l.* 27. §. *qui ſuſpectam. l.* 55. §. *qui fideicom. ff. ad SC. Trebell.* cum ſint ei incerti: *l. hac.* nam filiusfam. emancipari; ſervus manumitti, vel vendi potuit.

Ælia Sentia c] Tulere hanc legem Sextus Ælius, & C. Senſius Coſſ. Anno DCCLVI. Auguſti tempotibus. Varia ejus fuere capita; quæ hic referre non attinet. *vid. Vlp. tit.* 1. *Inſt. Iuſtin. tit. Inſt. quib. ex cauſ. man. non licet. Iulian. l.* 42. *Paul. l.* 55. *l.* 57. *l.* 60. *l.* 83. *ff. de hered. inſt. l.* 70. *ff. hic. l.* 1. *C. qui man. non poſſ l.* 3. § 2. *ff. de ſuis & legit. l.* 33. *ff. de bon. lib.*

Heres proximus. d] Quia cum ingrati accuſatio, tanquam libertatis peremptoria, odio non careat, lex id juris heredi proximo eidemque filio tantum conceſſit. *Novel.* 78. *cap.* 2. *l.* 3. *C. de libert. & eorum. lib. junct. l.* 5. *C. de obſeq. patr. præſt.* Dicit Ambroſius *in lib. de Iacobo & vita beata: Ita libertatem accepiſti ut meminiſſe manumiſſoris tui debeas ut Patrono tuo noveris legitimum obſequium deferendum, nè ab ingrato revocetur libertas.* Donatus in illud Terentianum: *Haud muto factum; ſecundum jus,* inquit, *quod adverſus libertos ingratos eſt, ut in ſervitutem revocentur.* Formulam abrogandæ

dæ libertatis refert Valer. Maximus. *lib.* 2. *cap.* 1. hanc. *Superſedeo te habere civem, tanti muneris impium æſtimatorem. Nec adduci poſſum ut credam urbi utilem, quem domi ſceleſtum cerno. Abi igitur & eſto ſervus, qui liber eſſe neſciviſti.*

In operarum exactione. e] Siquidem exigantur *operæ officiales*, hæ enim ad filios tantum tranſeunt, etiamſi non ſunt heredes, *l. ſi operarum.* 29 *ff. de oper. lib.* non extraneos. *d. l. ſi operarum.* 29 & *l. fabriles.* 6. *ff. de oper. lib. Artificiales*, etiam ad heredem extraneum tranſeunt. *d. l. fabriles.* 6. non ejus heredem; *l. cum patronus.* 22. §. 1. *ff. eod.* Niſi ſint tales quarum æſtimatio heredi ex judicato fuit præſtanda; Heredis enim heres recte eam pecuniam petet. *l.* 37. §. 6. *ff. eod.*

IDEM §. I.

VErba hæc *a, Is ad quem ea res pertinet*, ſic intelliguntur, ut qui in univerſum dominium, vel *jure* Civili, vel *Jure Prætorio* ſuccedit, contineatur.

EXPLICATIO.

Verba hæc.] Verba hæc in Prætorum Edictis, & in ſtipulationibus, pro materia ſubjecta variam accipiunt interpretationem. Quandoque ſic intelliguntur, ut qui in univerſum dominium *Iure Civili*, vel *prætorio* ſucceſſerint, contineantur; *hoc.* §. *l.* 1. §. 1. *l.* 19. §. 5. *l.* 35. *ff.* *de*

de Ædil. Ediɛt. Undè *in l 53. ff de oblig & act.* cum adjicitur. *Sive ad quem ea res pertinebit*, & adrogati, & eorum qui jure nobis ſuccedunt perſonas comprehendimus. Iiſdem verbis heredes & bonorum poſſeſſores & cæteri ſucceſſores demonſtrantur. *in l. 1. §. prodeſt. & § alter. & l 2. §. 1. ff. quor. leg & in l. 40. ff ſi cert. pet. & l 33 §. pater emancipato. ff de legat.* 3. Sed & in Edicto de jurejurando, non eos tantum qui in jus univerſum, ſed & qui in rem ſucceſſerint, ea verba complectuntur. *l. 7. 8. ff. de jurejur. l. 3. l. 22. § in ſtipulatione. l ſeq ff. rem rat. hab.* In edicto de ventre inſpiciendo, eos continent, quorum intereſt partum non edi, & quos proxima ſpes ſucceſſionis contingit. *l. 1. §. de inſpiciendo. & §. quamvis & §. denuntiari. ff de vent. inſpic.* In cautione procuratoria. *Ratum habere, ad quem ea res pertinet*; dominus, non creditor continetur. *l 33. §. ait Prætor. l 32. §. alieno. §. quæritur ff. de procur.* In lege Julia de adulteriis, plenius hæc verba accipiuntur, ut omnes quorum intereſt comprehendant. *l 27. ff. ad. l. Iul. de adul.*

LEX LXXI.

Ulpianus Lib. LXX. ad Edictum.

Aliud eſt *capere*, aliud *accipere*. *Capere* a cum effectu accipitur. *Accipere* b eſt, ſi quis non accepit, ut habeat.

habeat. Ideòque non videtur quis capere, quod erit reſtituturus. Sicut *perveniſſe* c propriè illud dicitur quod eſt remanſurum..

EXPLICATIO.

Capere. a] *Capere* cum effectu accipitur: nempe de eo qui ſic accepit,ut habeat. Ideoque non videtur quis capere quod eſt reſtituturus. *hic. l.* 51. *ff. de reg. jur.* Unde capere, *in l. cum ei. ff. de legat.* 2. impropriè accipitur· Nam qui tantum erogat, quantum accepit, capere quid non videtur. *l. civitatibus.* 122. *in fin. ff. de lega.* 1.

Accipere. b] *Accipere* eſt, ſi quis non accepit, ut habeat. *Capimus* ergò nobis, *accipimus* alteri *Gothof. hic.* Interdum tamen etiam alii capimus. *l. cepiſſe.* 140. *ff. hic.* Accipimus *ait Alciat. hic.* de manu alterius ; noſtra verò auctoritate capimus. Et accipimus, quandoque rem ſine dominii ad nos tranſlatione. *Dec. in l. non videtur. ff. de div. reg. jur.* undè plerumque accepiſſe dicitur, qui tamen dominium adhuc non adquiſivit. *l. naturalis.* §. 1. *ff de praſcr. verb.* Quiſquis legatum ex teſtamento accepit, quod ei neceſsè eſt alii reſtituere, non prohibetur id teſtamentum dicere inofficioſum: *l. ſi pars.* 10. §. 1. *de inoff. teſtam.* Qui dotem à ſocru acceperat, & ei ſtipulanti promiſerat, dotem reddi ſoluto matrimonio, eamque dotem uxori teſtamento legaverat, quærebatur,

batur, an uxor eam conſequi poſſet: Reſpondit Scævola, ut refert Paulus, *Non videri dari uxori, quod neceſſe ſit matri reddi. l. pen. de dote præleg.*

Perveniſſe. c] Verbum enim *pervenire*, cum effectu eſt accipiendum. *l.* 164. *§. ult. ff. hic. l. utrum.* 23. *in pr. de hered. petit.* Niſi ex improbata cauſæ veluti *dolo, metu, delicto*, pervenerit. Tunc enim ſufficit vel momento perveniſſe. *l.* 127. *de R. Iur. l. quod.* 16. *in fin. cum ſeqq. Quod met. cauſ. l.* 2. 3. 4 5. *de Calumniatr.*

IDEM §. 1.

HÆc Verba, *a His rebus recte præſtari*; hoc ſignificant, ne quid periculum vel damnum ex ea re ſtipulator ſentiret.

EXPLICATIO.

Hæc Verba. a] Cautio, *His rebus rectè præſtari*, ab actore rei vindicatione convento, ut quod propter eam rem alteri promiſit indemnis ſervetur, præſtita, *l. ipſi quoque.* 29. *ff. de rei. vind.* ſecuritatem præſtat. Vetus enim formula eſt, qua ſignificatur nequid periculum vel damnum ex ea re ſtipulator ſentiat. *hac. & l. redhibere.* 21. *§. idem Pomponius. ff. de Ædil. Edict.* Quippe verbum *Recte* pro viri boni arbitrio eſt. *l. hac verba.* 73. *ff. hic.* Vir autem bonus non arbitrabitur in damno morari debe-

re

re eum qui ex neceſſitate fecerit, quod in fundi utilitatem facere debuit; quale illud eſt, ſi quis de damno infecto caverit. *l. illud* 40. §. *pen. ff. de hered. pet.*

LEX LXXII.

Paulus lib. LXXVI. ad Edictum.

APpellatione *a* rei, pars etiam continetur.

EXPLICATIO.

Appellatione. a] *Rei* appellatione & *tota res* & *pars* ejus continetur. *l.* 7. *ff de jurejur. l.* 4. §. 1 *ff. de damn. inf. l.* 13. §. 1. *ff. de fund. dot.* Undè eadem res peti intelligitur etiamſi pars petatur ejus, quod totum petitum eſt. *l.* 7. *ff. de except. rei. jud.* Nec intereſt utrum in corpore hoc quæratur, an in quantitate, vel in jure. *d. l.* 7. *in princ.* Eſt enim in pleriſque juris articulis idem in parte quod & in toto jus: ſic pars vindicari poteſt: *l. quæ de tota.* 76. *de rei vindic.* pars pro derelicto haberi *l.* 3. *pro derelicto. vid. l. ait.* 7. *l. ſi duo.* 13 §. *idem. de jurejur. l. dotale* 13. *de fundo dotali l. plane.* 34 § 1. *de legat.* 1. *l. cum debitore.* 17. *cum ll. ſeqq. Rem rat. hab. l. ſi ex duobus.* 14. *l. judicatum.* 16. *l. ult. Iudicat. ſolvi. l. fluminum.* 24. *de damno infecto. l. ſi ſervus.* 82. *de acquir. hered.* Quoties tamen res, vel natura, vel jure partium diviſionem

nem non recipit ut ſervitutes; *l. pro parte.* 11. *de ſervitut. l. ſtipulationes.* 72. *de verb. oblig.* Et cum ſeparatione totius, vel partium interiret utilitas, vel de rei pretio decederet plurimum, *l ſi ex toto.* 8. *in fin. de legat.* 1. *l fundus* 64. *de contr. emt.* appellatione rei non veniet pars.

LEX LXXIII.

Ulpianus Lib. LXXX. ad Edictum.

HÆc verba in ſtipulatione poſita, *Eam rem rectè reſtitui* a, fructus continent. *Rectè* enim verbum pro viri boni *b* arbitrio eſt.

EXPLICATIO.

Fructus. a] Cum verbum *reſtituas*, in lege vel ſtipulatione invenitur, etſi non ſpecialiter de fructibus additum eſt tamen etiam fructus ſunt reſtituendi. *in l. condemnatione.* 173. §. 1. *ff. de div. reg. jur l* 38 §. 1. *ff. de uſur. ut ſupra diximus.* Verbum ergò *rectè* in ſtipulatione poſitum non facit ut fructus reſtituantur, ſed eos boni viri arbitrio deberi oſtendit. Hinc *rectè* defendere, arbitratu boni viri defendere. *in l. jam tamen.* 5. §. 3. *ff jud. ſolvi.* Hinc illa formula *apud ICtum in l. lecta.* 40 *ff ſi cert. pet.* *Et hac quindecim proba rectè dari Calendis futuris ſtipulatus eſt Mævius.* Varro *lib.* 2. *de re ruſtic. cap* 4. *Illaſce ſues ſanas eſſe, habereque rectè licere, ſpondeſne?*

Viri

Viri boni. a] Id eſt, *diſcreti Iudicis* ac *probi* patrisfamilias, quem negotium controverſum non attingit. *Goed. hic ſecutus Menoch. de arb. jud. quaſt. in proœm.* Qui Probus ac peritus. *Plinius*, *lib.* 18. *Hiſt. Natur. cap.* 3. Ulpianus cum ait Prætor *impubem Prætoris arbitratu verberarii*; interpretatur, *utique quaſi boni viri: ut ille modum verberum imponat. l. ſed ſi unius.* 17. *de injuriis.* Cato de re Ruſtica cap. 144. *Solvito arbitratu boni viri.* In Lege Oleæ legendæ & faciundæ cap. 145. *Si quid redemptoris opera damni datum erit reſolvito, id boni viri arbitratu deducetur:* Idem cap. 148. de Lege vini in doliis. *Boni viri arbitratu deguſtato.* cap. ſeq. *Si quid emptor aut Paſtores, aut pecus emptoris domino damni dederit, boni viri arbitratu reſolvat.* Cujus generis & ſunt illa. Collationem bonorum fieri boni viri arbitratu: *l.* 2. *de collat. bonor.* Defendi boni viri arbitrio: *l. pen. & ult. de procur.* Uti frui boni viri arbitrio: *l. damni.* 18. *de dam. inf. l. ſi cujus* 13. *de uſufr. l.* 1. *Vſusfr. quemad. cav.*

LEX LXXIV.

Paulus Lib. II. ad Edictum Ædilium Curulium.

S*ignatorius annulus* a ornamenti appellatione non continetur.

EX.

EXPLICATIO.

Annulus. a] *Annuli* enim quidam ſignandi cauſſa habebantur, *ſignatorii* dicti: quidam ornatus cauſſa. Ornamentis ergò legatis, annuli ſignatorii non venient. *l. argumento.* 25. §. *ornamenta. ff. de auro & arg. leg.* Eorum uſus eſt in ſignandis tabulis publicorum privatorumque contractuum, ſyngraphis, chirographis, teſtamentis, codicillis & epiſtolis ad familiares mittendis. Obſignabant etiam Romani annulis cellas aliaque quæ vindicarent à ſervorum rapinis. *l. cum pater.* 77. §. 21. *de Legat.* 2. Ciceronis mater amphoras etiam inanes; ejuſque artificium commemorat Quintus Cicero. *lib.* 16. *Epiſt. famil.* vide de annulis his, & aliis qui ad ornatum. Plinium *Natur. Hiſtor. lib.* 33. *cap.* 1.

LEX LXXV.

Idem Lib. L. ad Edictum.

RESTITUERE a videtur, qui id reſtituit, quod habiturus eſſet actor, ſi controverſia ei facta non eſſet.

EXPLICATIO.

Reſtituere. a] Reſtituere *ut ſupra ad l.* 35. *diximus ubi etiam vide. ut & l.* 22. eſt *retrò ſtatuere*, id eſt, in eum caſum rem reſtituere, in quem

quem fuiſſet ſi nihil adverſus id, ob quod reſtitutio facienda, eveniſſet. Cum igitur res emta redhibetur, emptor quicquid occaſione rei conſequetur venditori reſtituet: Ut ecce, *Si quis ſervum emerit, & rapto eo, vi bonorum raptorum actione quadruplum conſequutus eſt, deinde ſervum redhibeat, reddere debebit, quod accepit: l. bovem.* 43. *de Ædil. Edict.* Sic maritus quod occaſione rei dotalis conſequutus eſt, una cum dote uxori, ejuſve heredibus reſtituet. *l. quoties.* 10. *l. non ſolum.* 52. *de jur. dot.*

LEX LXXVI.

Idem Lib. L I. ad Edictum.

D*Ediſſe* a intelligendus eſt etiam is, qui permutavit, vel compenſavit.

EXPLICATIO.

Dediſſe. a] Licet *dare* ſimpliciter pronunciatum, alienare eſt, & dominium per traditionem transferre, *ut in l. nemo rem ſuam. & l. ubi autem apparet. §. fin. ff de verb oblig.* tamen qui rem pro re alia, quam dare tenebatur commutavit, vel compenſavit; aut ſibi accepto latum eſt, is dediſſe cenſetur. *l. vel permutavit.* 19. *ff. de liber. cauſ. l.* 2. *l.* 3. *ff. de calumniat. l.* 8. *ff. de hered. vend. l. debet.* 17. *ff. de Ædil. Edict. l ſi mulier ff de cond. cauſ dat.* Non longa, *l. pecunia.* 78. *de ſolutionib. §. per traditionem.*

tionem. Inſt. de rer. diviſ. ac acquir. dom. ſed brevi manu *l. ſingularia. de reb. cred. l. licet. l. quoties de jure dot. l. 3. §. penult. & ult de donat. int. vir. & uxor. vid. Gœd. hic.* Undè ſi mulier nuptura ei, qui Stichum debebat, cum eo ita pacta eſt, *pro Sticho quem mihi debes, decem tibi doti erunt*; ſecundum id quod placuit rem pro re ſolvi poſſe, & liberatio contigit, & centum in dotem erunt. *text. in l. ſi ei nuptura. 25. ff. de jur. dot.* Sed & Ulpianus cenſet verbum *Dare*; non ſolum intelligendum de eo quod venditori datur; ut puta, pretium, uſuræ: ſed etiam ſi quid emptionis cauſa erogatum erit. *l. debet. de Ædil. Edict.*

LEX LXXVII.

Idem Lib. XLIX. *ad Edictum.*

FRugem pro *reditu* a appellari, non ſolum quod frumentis, aut legumi- nibus: verum & quod ex vino, ſylvis cæduis, cretifodinis, lapidicinis capitur. Julianus ſcribit *fruges* omnes eſſe, quibus homo veſcatur falſum eſſe: non enim carnem, aut aves, feraſve, aut poma, fruges dici: *Frumentum* b autem id eſſe, quod ariſta ſe teneat, rectè Gallum definiſſe, lupinum verò & fabam fruges potius dici c: quia non a-

riſta, ſed ſiliqua continentur, quæ Servius apud Alfenum in frumento contineri putat.

EXPLICATIO.

Reditu. a] *Reditus* dicitur quicquid ex re aliqua obvenit, & redit. *l.* 5. *§. non paſſim. ff. de reb. eor.* Sic reditus prædii, id eſt, proventus, qui quotannis redit. *l. pen. ff. de uſufr. leg. l. ſi reditus. ff. de fund. inſtr. l. Titia ff. de ſolut. L. æquiſſimum.* §. 1. *ff. de uſufr.* Quam ſignificationem & *fruges*, (à fruendo, *ut Varro*, vel frumine, quod ſumma gulæ pars, per quam cibus in ventrem dimittitur. *ut Serv. donat.* dictæ) recipiunt. Sunt *fruges* quæ culturam & induſtriam humanam requirunt, & redeunt. *ſec. Plin. lib.* 18. *cap.* 17. vel ſine ſemine, quæ generis nomen retinent; ut vina, olea, fruges ſeu fructus lapidicinarum, cretifodinarum, argenti aurique fodinarum, ſylvarum cæduarum, *l.* 30. *ff. hic. l.* 7. §. 13. *ff. ſolut. matr. l. fin. ff. de fund. dotal. l. ſi ex lapidicinis. ff. jur. dot.* non quæ ex animantibus naſcuntur, quæque ex aliis arboribus quam vite & oliva, coguntur: *hic.* vel ex ſemine, exinde ſegetes dictæ. Sunt vel frumentum, vel legumen. *Plin. d. cap.* 17.

Frumentum. b] *Frumenti* appellatione continetur id quod ariſta ſe tenet; ut *hordeum*, *avena*, *triticum*, *ſiligo* ſive *zea*, *ſecale* ſive *zypha*, *milium*, *panicum*, *milium indicum.* *Leguminis*

guminis quod ſiliqua, id eſt, theca modò rotunda, ut cicere; modò chilindracea, ut piſo; modò etiam longiſſima & pro menſa ſeminum lata. *Plin. cap.* 7. *lib.* 18. *Varro. lib.* 1. *cap.* 32. Hujus generis ſunt fabæ, lupinum, ervum, lens, cicer, linum. *Plin. d. cap.* 7. 8. 9. 10. 11. 12. *& ſeq. lib.* 18.

Fruges potius. c] Fruges & frumentum non nunquam apud Auctores confunduntur. Plinius *lib.* 18. *Hiſt. Natur. cap.* 11. (de primitiis; de quibus D. Hieronymus: *in cap.* 44. *Ezechiel.* quas Plutarchus *Sympoſiacis:* τὰς ἐπαρχὰς vocat) *Ac ne deguſtabant quidem novas fruges, aut vina antequam Sacerdotes primitias libaſſent.* Et cap. 3. *frugem aratro quæſitam furtim noctu paviſſe ac ſecuiſſe capitale erat:* Cicero lib. 1. Offic. *Vicinum citius adjuveris in frugibus percipiendis, quam aut fratrem aut familiarem.* Gellius de Caſſita *frumentis flaveſcentibus, lib.* 11. *cap.* 29. quibus Labeo oppoſuit *frumenta quæ in herbis erant. l. fiſtulas.* 78. *de contr. emt.*

LEX LXXVIII.

Paulus Lib. III. *ad Plantium.*

INterdum *a proprietatem* quoque verbum *poſſeſſionis* ſignificat: ſicut in eo qui poſſeſſiones ſuas legaſſet, reſponſum eſt.

EXPLICATIO.

Interdum. a] *Poſſeſſio* non ſolum apud Juriſconſultos, *l. ſi de vi.* 37. *ff. de judic.* & in conſtitutionibus, *l. fin. C. de præd. min. l. cum res. C. de contr. empt.* interdum (non ſemper. Eſt enim quiddam à proprietate ſejunctum. *l.* 115. *ff. hic.* Nihil cum poſſeſſione habet commune, *l. naturaliter.* 12. §. 1. *de acquir. poſſ.* Proprietas eſt juris: Poſſeſſio facti. *l. denique.* 19. *Ex quib. cauſ. major. l.* 1. §. *Scævola.* 16. *ſi is qui teſtium. lib. eſſe juſſ.*) pro proprietate ipſa, ſeu prædio capitur hic. In *l.* 4. *Cod de contrah. emt. Titulus poſſeſſionis duplicari non poteſt.* Poſſeſſionis, id eſt, Dominii. Dominium non contingit niſi ex una cauſa: *l.* 3. § *ex pluribus.* 4. *de acquir. poſſ.* Et paſſim in jure poſſeſſio ſignificat rem poſſeſſam: *hic. l. ſi prius.* 8. *Cod. de diſtract. pign. l. uxorem.* 41. §. 6. *de legat.* 3. *l.* 2. *Cod. de probat. l. ſi quidem.* 11. *Cod. de præd. minor. l.* 3. *Cod. ne uxor pro marito. l.* 2. *Cod. de ſervit. urb. præd.* ſed etiam apud alios autores. Ut oſtendit valla locupletiſſimis ex Cicerone & Quintiliano allatis teſtimoniis, Cicero *Philip.* 5. inquit: *Hic pecunias veſtras æſtimabat, poſſeſſiones notabat, & urbanas & ruſticas hujus mendicitas aviditati conjuncta in fortunas veſtras imminebat.* Hinc non mirum legato poſſeſſionum quas quis habet, proprietatem prædiorum, contineri: *l. uxorem.* 41. *§. legaverat. 6. ff. de legat.* 3. *l. Mævius. 66. §. pen. ff. de legat.* 2. *l. qui ſolidum.* 78. §. 1. *ff. eod.*

LEX

LEX LXXIX.

Idem Lib. VI. *ad Plautium.*

I*Mpenſæ neceſſariæ* a ſunt, quæ ſi factæ non ſint, res aut petitura, aut deterior futura *b* ſit.

EXPLICATIO.

Neceſſariæ. a] Veluti aggeres facere, flumina avertere, ædificia vetera fulcire, reficere, arbores in locum mortuarum reponere. *l.* 14. *ff. de imp. in res dot.* Has maritus & quilibet bonæ vel malæfidei poſſeſſor deducit, *l. domum. C. de rei vind.* Imò hæ ipſo jure dotem minuunt: proinde maritus ſoluto matrimonio eò minus reſtituit; *l.* 5. *l. pen. ff. eod. l. un.* §. *taceat. C. de rei ux. act.* Si dotem integram ſolvit, ei vel condictio indebiti conceditur, *d. l.* 5. *in princ. &* §. *fin..* vel actio mandati; aut negotiorum geſtorum. *l.* 7. §. *fin. ff. ſolut. matr.* Niſi ſint impenſæ modicæ, quas ferre debet. *l. omnino.* 12. *ff. de imp. in res dot. fact.*

Deterior futura. b] Proinde *impenſæ neceſſariæ ſunt*, quæ habent in ſe neceſſitatem impendendi: quæ eam non habent, alio jure habentur. *l.* 1. §. 1. *eod.* id eſt, aut utiles aut voluptariæ ſunt. *l.* 5. §. *fin. l.* 6. *l.* 7. *ff. eod.* de quibus infra.

IDEM § 1.

UTiles a *impenſas* eſſe Fulcinius ait, quæ meliorem dotem faciant [non] deteriorem eſſe non ſinant. ex quibus *reditus* b mulieri adquiratur; ſicut arbuſti paſtinatione ultra quam neceſſe c fuerat: item doctrinam puerorum, quorum nomine onerari mulierem ignorantem vel invitam, non oportet: ne cogatur fundo, aut mancipiis carere. In his impenſis & piſtrinum, & horreum inſulæ dotali adjectum, plerumque d dicemus.

EXPLICATIO.

Utiles. a] *Utiles impenſæ* ſunt *ut Ulp. in Inſtit. ait*, quibus non factis quidem deterior dos non fuerit, factis autem fructuoſior effecta eſt: veluti ſi *oliveta, vineta, arbuſta, paſtina, ſtercorationes* fiant. *l.* 5. §. *fin. cum l. ſeq. l.* 14. *ff. eod. l.* 39. *ff. de petit. hered. l. ult. ff. de pact. dotal.* Has maritus, niſi eſſent modicæ; *l. omnino.* 12. *ff. de imp. in res dot.* aut muliere invitâ factæ, *l. utilium.* 8 *ff. eodem.* vel exigebat, *l.* 7. §. 1. *ff. eod.* vel de dote deducebat. *d. l. utilium.* 8. Hodie earum nomine deductione denegatâ, marito vel actio mandati conceditur, ſi eas volente

volente uxore fecit, vel negotiorum geſtorum, ſi eâ inſciâ. *l. un.* §. *taceat.* 5. *verſ. ſed nec ob impenſas. C. de rei uxor. act.*

Ex quibus reditus. b] Quia utilitas in reditibus ſtatuitur. Varro *lib.* 1. *de re ruſtic.* ait *Vtilitas quærit fructum, voluptas delectationem, ſed & hæc adjiciunt ad fundi pretium, & enim faciunt vindibiliorem.*

Vltra quam neceſſe. c] Una alteraque paſtinatio, id eſt foſſio, eſt neceſſaria, quia aliàs arbuſtum fieret deterius; tertia eſt utilis. *Columella lib.* 3. Cavendum tamen nè ſupra neceſſitatem, & ſupra utilitatem ſit. Ne noceat.

Plerunque. d] Nec enim ſemper faciunt rem meliorem; ſed aliquando id tantum, ne ſit deterior. Ergò potius neceſſariæ. *l.* 1. *de impenſ. in rem dot.* aliàs regulariter utiles *l.* 6. *eod.* Utilia ſunt fructuoſa à quibus ſcilicet ſunt proventus. Voluptuaria à quibus nihil præter uſum ſit, quod ſit æſtimandum. *Ariſtot. lib.* 1. *Rethor. Alber. Gent. hic.*

IDEM. §. 11.

VOluptuariæ a ſunt, quæ ſpeciem duntaxat, non etiam fructum augent: ut ſunt *viridia* b, & *aquæ ſalientes* c, *incruſtationes* d, *loricationes* e, *picturæ.*

EXPLICATIO.

Voluptuaria. a] Ad ornamentum ſolum pertinent. *l.* 7. *ff. de imp. in res dot. fact.* Niſi factæ ſint in rebus promercalibus, id eſt, venalibus; tum enim pro utilibus impenſis habentur. *l. quod ſi heres.* 10. *ff. eod.* Voluptuarias impenſas, etiam voluntate mulieris factas, maritus, ſi ſeparationem admittant, alias non, tollere poteſt. *l.* 9. *l.* 11. *in princ. ff. eod.* Si dotem, non habitâ earum ratione, integrè ſolvit, eas condicere non poteſt, *l.* 39. §. 1. *ff. de hered. pet.* quia nullo obligationis jure debentur. *d. l.* 11. *d. l. un.* § *taceat. l.* 25. *ff. de cond. ind.*

Viridia. b] Alias *viridiaria* & *viridaria*: loca virentia arboribus conſita: ut horti penſiles, quos fere in tectis, in feneſtris ſtatuebant & adornabant. *l. ſi cujus.* 12. §. *fructuarius. de uſufr. l. inſtrumento.* 8. *de inſtrum. leg. Rus eſt mihi majus in feneſtra. Martialis.*

Aquæ ſalientes. c] τὰ ἀναῤῥέοντα ὕδατα, Jabolenus *Vaſa anea ſalientis aquæ poſita, item ſi quid aliud deliciarum magis, quam uſus cauſſa paratum eſſet, non eſſe ſupellectilis. Labeo & Trebatius putant. l.* 9. *de ſupell. leg.*

Incruſtationes. d] *Incruſtationes*, ſunt tectoria parietum, ex cruſtis marmoreis facta. *de quibus ICtus in l. quidam.* §. 1. *ff. de ſerv. urb. præd.* Cruſtæ ſunt tabulæ marmoris: unde & marmorati parietes & cruſtati. Iſidoro. *lib.* 19. *Etymol. cap.* 13. & marmorarii. *l.* 2. *Cod. Theod. de excuſ. artif.*

Lori-

Loricationes. c] *Lorica* rectorium eſt, parieti in modum loricæ inductum: idem ferè quod incruſtatio.

LEX LXXX.

Idem Lib. IX. *ad Plautium.*

IN generali *repetitione* a legatorum etiam *datæ libertates* b, continentur ex mente *c* Legis duodecim Tabularum.

EXPLICATIO.

Repetititione. a] *Repetitio* eſt iteratio, ejus quod relictum eſt. *l. ſi ſic.* 13. *l. ſi purè.* 54 *l. in repetundis.* 63. *l. cum in ſubſtitutione.* 77. *ff. de legat.* 3. *l. avia.* 77. *l. libertis.* 108. *ff. de cond. & demon. l. legatarii* 19. *l. licet.* 74. *l. ſervo.* 113. §. 1. *ff. de legat.* 1. *l.* 13. *ff. de hered. inſt. l. cum ſervus.* 18. *ff. de cond. inſt.* Fit vel *generaliter*, quoties præcedentia legata, vel inſtitutionis gradus repetuntur per verba generalia; ut amplius, *ut d. l. legata* 19. *d. l. ſi purè.* 54. *d. l. avia.* 77 *d. l. libertis* 108 quiſquis, *l.* 3. § *filius.* §. *ſeq. ff. de lib. & poſth. l. quæ conditio.* 39. *ff. de cond. & demonſt.* præterea, item, & ſimilia: *d. l. licet* 74. *d. l. in repetundis.* 63. *l. cum ſervus.* 82. *ff. de cond. & demonſt.* vel *ſpecialiter*, cum res legatæ aut perſonæ nominatim repetuntur, aut certis notis repetitæ demonſtran-

 tur:

tur: ut ſi teſtator dicat, *Quas pecunias legavi, quibus dies appoſitus non eſt, annua, bima, trima die heres meus damnas eſto. d. l. legata.* 19. Vel *Quod Titio legavi, pure legatum volo: Quod Sejo legavi, ita legatum volo, ſi decem heredi dederit.* Habet autem repetitio varios effectus. Nam ſi eidem legetur ſive conjuncta, ſive ſeparata ſcriptura, vel *plenius legatum* facit, *l. qui ita. ff. de dote prael. l Sejo. §. pen. ff. de ann. leg.* & utile id quod erat inutile, *d. l. legata.* 19. & conditionem adjicit priori ſcripturæ; *d. l. ſi pure.* 54. *in princ. ff. de legat.* 3. aut inferiori: *d. l. in repetundis.* 63. *d. l. cum ſervus.* 18. Vel *exiguius legatum facit*, ut ſi puro legato dies aut conditio adjiciatur. Si autem diverſis legetur; aut verba *hoc amplius* priori legatario in eandem rem pecuniamve collegatarium & conjunctum adjiciunt, *d. l. ſi ſic locutus.* 13. *ff. de legat.* 3. aut legatario unius rei ſeparatim in aliam rem alium legatarium adjiciunt, non collegatarium, *ut l ſi ſervus.* 108. *§. ſi ita ſcriptum.* 7. *ff. de legat.* 1.

Libertates. b] Undè cum in ſubſtitutione legata repetuntur, libertates etiam continentur. *d. l. cum in ſubſtitutione.* 77.

Ex mente. c] Verba legis XII. Tabul. erant, *Uti quis legaſſet, rei ſua, ita jus eſto. l.* 120. *ff. hic.*

LEX

LEX LXXXI.

Idem Lib. X. ad Plautium.

CUm Prætor *a* dicat, *ut opus factum reſtituatur*, etiam damnum datum actor conſequi debet: nam verbo *reſtitutionis* omnis utilitas *b* actoris continetur.

EXPLICATIO.

Cum Prætor. a] Cum Prætor in Interdictis ait, *quod vi clamve, aut ſpreta novi operis nuntiatione factum, reſtituatur*, non ſolum opus reſtituendum, *l. ſemper. §. in hoc. ff. quod vi aut clam*, ſed etiam omne damnum reſarciendum. Ea enim vis eſt verbi reſtitutionis. *l. antepen. §. ſive. ff. de oper. nov. nunc.*

Omnis utilitas. b] Ergò & lucri ceſſantis habenda ratio: *Alciat. hic. Diſſ. Bald. conſ.* 152. *in* 1. Non tam quia hoc veniat nomine damni quam quod reſtitutionis verbo quo omnis continetur utilitas, adeoque & hoc lucrum. Suis itaque ſumptibus reſtituit reus. *l.* 2. *§. reſtituere. ff. Ne quid in loco public. l. ult. de Interdict.* Et ita ne etiam periculum damni ſuperſit. *l.* 14. *de aqua pluvia arcenda.*

LEX LXXXII.

Idem Lib. XIV. *ad Plautium.*

VErbum *Amplius* a, ad eum quoque pertinet, cui nihil debetur *b*: ſicuti ex contrario *minus* ſolutum videtur, etiamſi nihil eſſet exactum.

EXPLICATIO.

Amplius. a] *Amplius* & *minus* comparativa quamvis ſint, tamen ex ſubjecto argumento vim comparationis quandoque amittunt, *vid. ſupra. l. minus. & infra. l. ſi ita.* poniturque amplius pro toto, minus pro nihilo. *vid. l.* 1. §. *hac verba.* 11. *ff. ſi cui plus quam per leg. Falc.*

Nihil debetur. b] Undè ſi ei cui nihil legatum, cum hac adjectione, *Hoc amplius* aliquid legetur, illud debetur. Ut & ſi ab eo qui mihi nihil debet, ita fuero ſtipulatus, *Amplius quam mihi debes, decem, dare ſpondes*, decem debentur. *l. ſi ſervus legatus.* 108. §. *ſi ei* 8 *ff. de legat.* 1.

LEX LXXXIII.

Javolenus Lib. V. *ex Plautio.*

PRopriè *bona* a dici non poſſunt, quæ plus incommodi, quam commodi habent.

EXPLICATIO.

Propriè bona. a) Quia bona dicuntur, quod beent id eſt, beatos, ſeu fortunatos, aut locupletes faciant. *l. bonorum.* 49. *& l. ſubſignatum.* 33. *§. bona. ſupra. ubi. vid.* Impropriè & Civili ſignificatione bona etiam dicuntur, quæ & plus incommodi & nihil commodi habent: ut in bonorum poſſeſſione contingere poteſt. *l.* 119. *hic. Alb. Gentil. hic. Forner. eod.* Sed hic de viventis patrimonio & bonis agitur, omni ære alieno deducto. *l. ſubſignatum.* 34 *hic.*

LEX LXXXIV.

Paulus Lib. II. *ad Vitellium.*

F*Ilii* a appellatione *omnes liberos* b intelligimus.

EXPLICATIO.

Filii. a) Non propriè, *l. quod ſi nepotes. ff. de teſtam. tut.* ſed ex *interpretatione.* Quæ in diſpoſitione legis, niſi ratio aliter ſuadeat, *ut in l. ſed & milites.* 8. *ff. de excuſ. tut. & l. jubemus.* 6. *§. fin. C. ad SC. Treb.* generaliter procedit. *l. filium.* 14 *ff. de SC. Maced. l. Senatus Conſulta.* 59. *ff. de ritu nupt. l.* 2. *§. ſi mater. ff. ad SC. Tertull.* Non in diſpoſitione hominis, §. *fin. Inſt. qui dar. tut.* niſi mens diſponentis aliunde alia fuiſſe appareat. *l. liberorum. ff. hic ut in*

l. Lucius. ff. de hered. inſtit. l. alimenta. ff. de alim. leg. vide infra. l. liberorum. 220. §. *fin.*

Omnes liberos. b] Id eſt, *cujuſcunque gradus.* Etiam adoptivos. Niſi in fraudem fiat adoptio. *l. patris.* 7. *cum l. ſeq. de in jus voc. l. ult. de bon. damnat.* Omnes, in quam cujuſcunque ſexus & ordinis: Fuere veteres lubentius uſi liberorum, quam filiorum voce. *tit. de liber. exhib. agnoſcend. alendis. praterit. vel exhered. tit. de ingrat. lib. tit. de jure liberor. Cod. Theod.* In formula Prætoris, qua Prodigo bonis interdicebatur. *Quando bona paterna avitaque nequitia diſperdis, liberoſque ad egeſtatem perducis. Paul. lib.* 3. *ſent. tit.* 4. Filiorum ſeu liberorum loco non habentur ſpurii: Niſi de jure naturæ aut matris ſucceſſione agatur vel certo patris judicio conſtet. *l.* 4. *l.* 5. *l.* 6. *de in jus voc. l. ult. de iis. qui not. infam. l. ult. de jure delib.*

LEX LXXXV.

Marcellus Lib. I. *Digeſtorum.*

NEratius Priſcus *tres* a, *facere* exiſtimat *collegium* b, & hoc magis ſequendum eſt.

EXPLICATIO.

Tres. a] A *paucioribus* ergò quàm *tribus* collegium conſtitui non poteſt; licet per duos, imò etiam per unum, conſervari ac retineri poſſit.

poſſit. *l. ſicut. 7. §. fin. ff. quod cujuſque univ.*

Collegium. b] *Collegium*, ſive *corpus*, dicitur ſocietas quædam hominum ita contracta, ut ex pluribus perſonis, veluti una perſona, & unum corpus fiat. *l. 1. ff. eod.* Itaque mortuis quibuſdam collegis & aliis in eorum locum ſubſtitutis, idem collegium ſemper manet: *l. proponebatur. ff. de judic.* & ob delictum collegii non temerè plectuntur ſinguli; ſed potius collegium ipſum. *l ſi uſufructus. 21. ff. quib. mod. uſusfr. amitt. l. aut facta. §. fin. ff. de pœn.* Sed ſciendum nullum collegium licitum eſſe, niſi ſit ſpecialiter permiſſum. *l. 3. ff. de colleg. & corpor. l. 1. ff. quod cujuſque univ. l. 2. ff. de extraord. crimin.* Illicitum collegium qui contraxerunt, extra ordinem, ad exemplum ſcilicet legis Juliæ de vi publica, puniuntur. *l. 2. ff. de coll. & corpor.*

LEX LXXXVI.

Celſus Lib. V. *Digeſtorum.*

QUid aliud ſunt *jura* a *prædiorum*, quam prædia qualiter ſe habentia? ut *bonitas* b, *ſalubritas* c, *amplitudo* d.

EXPLICATIO.

Iura. a] Per *Ius* hic Iuriſconſultus intelligit, *qualitatem rei inhærentem:* & vult eum qui prædia

dia cum ſuis juribus reſtituere promiſit, ea ejuſdem qualitatis reddere cujus accepit; ejuſdem ſcilicet, bonitatis, ſalubritatis, amplitudinis. Alioqui jura prædiorum ſunt ſervitutes. Quæ licet ſint incorporea ſoloque juris intellectu conſtent; *l.* 1. *de rer. diviſ.* §. *ult. Inſt. de reb. corp. & incorpor.* eaque à corporibus fere ſeparentur ac diſtinguantur; *l. ſervitutes.* 14. *de ſervitut. l. qui bona* 23. §. 1. *de dam. inf.* hic tamen prædia nominantur. Non abſurde. Cum qualitas ſine ſubjecto fingi nequeat. Prius quid eſſe oportet, quam de ipſius quæratur qualitate. *Non entis nulla ſunt qualitates.* Ulpianus *l.* 1. *Commun. præd.* dicit: Ideo ſervitutes prædiorum appellantur: *Quoniam ſine prædiis conſtitui non poſſunt.*

Bonitas. b] Generis nomen. *vid. l.* 3. *ſi cert. pet. l* 13. *cum ſeqq. de eviction. l.* 75. *de V. O: l.* 25. *de S R. P. l.* 15. *Cod. de oper. publ. l.* 30. *l.* 35. *locat. l.* 58 *de legat* 1.

Salubritas. c] Vide *l. pen. de reb. eor. l.* 1. *de don. l. pen. Cod. de ædil. edict. l.* 19. *locati.*

Amplitudo. d] Modus, quantitas, fines, qualitas, &c. *l.* 2. *l.* 4. *l ſi in qualitate.* 22 *l. ſi duorum.* 42. *de act. empt.*

LEX LXXXVII.

Marcellus Lib. XII. *Digeſtorum.*

UT Alfenus ait, *urbs* a eſt *Roma*, quæ muro cingeretur. *Roma* eſt etiam,

etiam, qua continenti ædificia eſſent. Nam *Romam* non muro tenus exiſtimari, ex conſuetudine cottidiana poſſe intelligi, cum diceremus *Romam* nos ire, etiam ſi extra urbem habitaremus.

EXPLICATIO.

Vrbs. a] *Vrbem* ſimpliciter cum legimus, *Romam* per excellentiam intelligimus, quæ olim *inter alias tantum caput extulit urbes*, ut ait Virg. in Bucol. *Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi. Et ita in l.* 1 *ff. de Senator. l.* 1. *ff. ad l. Iul. de amb. l. pen.* §. *negotiatores. ff. de muner. & hon. l.* 7. §. *conſtitutum. ff. de interd. & releg. Vrbis* tamen appellatio proprietate ſermonis anguſtior eſt, quam *Roma*: *urbs* enim muris, *Roma* verò continentibus demum ædificiis finitur. *l.* 2. *ſup. ubi latius.*

LEX LXXXVIII.

Celſus Lib. XVIII. *Digeſtorum.*

TAntum quiſque *pecuniæ* a relinquit, quantum ex bonis ejus refici *b* poteſt. Sic dicimus, centies aureorum *c* habere, qui tamen in prædiis, cæteriſque ſimilibus rebus habeat. Non idem

idem eſt in fundo alieno legato, quanquam is hereditaria pecunia parari poteſt: neque quiſquam eum, qui pecuniam numeratam habet, habere dicit, quicquid ex ea parari poteſt.

EXPLICATIO.

Pecunia. a) *Pecunia* verbum tribus modis in jure accipitur. Primo *generaliſſimè:* quo refertur ad omnia ea quæ ſunt in patrimonio; *l.* 5. *ff. hic.* ſive res ſint corporales, ſive incorporales, ſive mobiles, ſive immobiles. *l. pecunia.* 178. *l. pecunia.* 222. *ff. hic.* Secundo aliquanto *anguſtius* capitur, ut eas duntaxat res contineat, quas JCtus *in l.* 2. §. 1. *ff. de reb. cred.* ait in ſuo genere functionem recipere; id eſt, quæ pondere, numero, vel menſura conſtant. *d. l.* 2. §. 1. *l. talis ſcriptura.* 30. *ff. de legat.* 1. Tertio pro *pecunia numerata* accipitur; ut hic.

Refici. b) Quia res pecunia rectè æſtimantur; pecunia autem rebus æſtimari nec poteſt, nec debet. *l. ſi ita fidejuſſorem.* 42. *ff. de fidejuſſ.* In rerum autem æſtimatione quanti vendi poteſt res, *l. mortis cauſa.* 18. § *fin. ff. de don. mort. cauſ. l. quærebatur.* 82. *ff. ad leg. falc.* conſideratur.

Centies aureorum. c) Id eſt centies centena millia aureorum. *l. antepen. ſi cert. pet. vid. l. Auſidius.* 97. *de legat.* 3. *Auguſtin. lib.* 2. *cap.* 6. *Emend.*

Non

Non idem. d) Non enim ſequitur, ex pecunia hereditaria fundus emi poteſt, is ergò in hereditate fuit.

LEX LXXXIX.

Pomponius Lib. VI. *ad Sabinum.*

BOves, magis *armentorum* a, quam *jumentorum* b generis appellantur.

EXPLICATIO.

Armentorum. a) *Armenta* Varro ab arando dicta, tradit, quod principalis eorum is uſus eſſet. Quaſi aramenta: Alii ab armis; quod humeris (unde & armorum nomen) opera ruſtica faciant: Quod proprie de bobus accipitur. *Iſidor. lib.* 12. *cap.* 1. *l. plenum.* 12. §. *ſed ſi. de uſu & habit.* Armento igitur legato etiam boves contineri convenit; non jumenta. *l. legatis ſervis.* 65. §. 5 *ff. de legat.* 3. non etiam greges ovium, caprarum. *l. ſervis legatis.* 81. §. 3. *ff. de legat.* 3.

Iumentorum. b] *Iumentorum* (quæ à jungendo ut vult Nonius appellata, quod currui jungerentur.) *vid. Gellium Noct. Attic. lib.* 40. *cap.* 1. appellatione, equus, mulus, & alia dorſualia animalia, ut elephanti & cameli; *l.* 2. §. *fin. ff. ad leg. Aquil.* continentur. Boves verò licet collo domantur, quia tamen collo non ferunt, eadem appellatione non continentur.

l. 38.

l. 38. § *juramentorum. ff. de Ædil. Edict.* Undè jumentis legatis non debentur boves. *l. legatis ſervis.* 65. §. *jumentis.* 5. *ff. de legat.* 3. Pecoribus legatis quadrupedes continentur quæ gregatim paſcuntur: Jumentis legatis & equæ continentur. Ovibus legatis, agni non continentur. Pecudibus autem legatis, & boves, & cætera jumenta continentur. Armento autem legato etiam boves contineri convenit, non etiam greges ovium & caprarum. Ovibus legatis neque agnos, neque arietes contineri, quidam rectè exiſtimant. Ovium verò legato, & arietes & agnos deberi nemo dubitat. *l. legatis.* 65. §. 4. *cum ſeqq. l. ſervis.* 81. *de legat.* 3. *Paul. lib.* 3. *ſentent. tit.* 6. Boves aratores, cum agri colendi gratia præcipue parentur, cenſentur eſſe ejus loci, ubi opus faciunt: non ubi manere conſueverunt: cætera pecora agri ſtercorandi vel fructuum cauſa comparata, fundo inſtructo legato debentur. *l.* 4. *l. in inſtrumento* 8. *de fundo inſtr.* Boves aratores (favore rei ruſticæ) in cauſam pignoris capi non poſſunt; ne quidem pro fiſcali debito. *l.* 1. *Cod. Theod. de pignorib.* nec à cultura terræ abſtrahi, *l.* 1. *Cod. Theod. de curſu publ.* Nec boves occidere, aut immolare olim impune licuit. *Cato, Varro, Columella. lib.* 6. *Plinius lib.* 18. *cap.* 45.

IDEM

IDEM § I.

HOc ſermone, *Dum* a *nupta erit*, primæ nuptiæ *b* ſignificantur.

EXPLICATIO.

Dum. a] *Dum* particula & eam ſignificationem habet, quam donec, & quamdiu. Virgilius *lib.* 2. *Æneid.*

——— Et pervius uſus
Tectorum inter ſe Priami poſteſque relicti
A tergo: infœlix qua ſe dum regna manebant.

Id eſt donec regna manebant. Dictio *donec* teſte Valla *l.* 2. *elegant. cap.* 48. duobus accipitur modis. *Dabo operam voluptatibus donec moriar*; id eſt, uſque ad mortem: & *Dabo operam voluptatibus donec vivo*; id eſt, quandiu vivo. Ejuſdem naturæ eſt *Dum:* ſignificat enim ἕως modò donec, modo quamdiu, tantiſper. *Donec* D Hieronymo teſte, aliquando tempus, aliquando, etiam infinitum ſignificat; potiſſimum in Scriptura Sacra. *vid. Matth. cap.* 1. *Geneſ. cap.* 7.

Primæ nuptiæ. b] Quæ favore digniores, quam ſecundæ, tertiæ, ac deinceps, incontinentiæ ſuſpicione laborantes. Quintilian. *declam.* 306. inquit: *Viduitas genus pudicitiæ.* Tertullianus D. Ambroſius, D. Hieronymus, ſecundum matrimonium deteſtantur, quaſi honeſtum

neſtum adulterium. Valer. Maximus lib. 2. cap. 1. inquit: *Multorum matrimoniorum experientiam, quaſi legitimæ cujuſdam intemperantiæ ſignum eſſe credentes.* Exuit omnem pudorem mulier quæ multoties nubit. Vide Caſſiod. *lib.* 4. *Epiſt.* 12. Tertiò nubens lege notatur infamia: *teſte* Marcellino Hermogenis Interprete. *Forn. hic.* Undè dos cum nupta erit promiſſa, non niſi in primis nuptiis debetur. *l. dotis promiſſio.* 68. *l. ſi ſponſalibus.* 56. *ff. de jur. dot.* Dos quam ſtipulatus eſt Titius ſibi ſoluto matrimonio reddi, facto divortio, reddenda licet matrimonium ſit redintegratum. *l. ſtipulatio.* 63. *l. ſtipulationem.* 21. *cum l. ſeq. ff. eod.* Sarmo enim ſimpliciter prolatus intelligitur de prima vice. *Gothofr. ad d. l.* 21. Niſi vel ſit negativus; *l. ſi ſic ſtipulatus.* 132. *ff. in fin. ff. de verb. oblig.* vel prior actus nullus. *l. hac conditio.* 10. *in fin. princ. ff. de cond. & demonſt.* vel materia ſit favorabilis, ut alimentorum; *Alciat. hic.* vel natura rei iterationem requirat, ut in veſtitu legato. *Bald. l.* 1. *C. de fideicom.* Plures exceptiones vide apud Tyraquellum. *in tractatu ſuo ad hunc.* §.

IDEM §. 11.

INter *edere* a & *reddi rationes* multum intereſt. nec is qui edere juſſus ſit, reliquum reddere debet. nam & *argentarius* b edere rationem videtur, etiamſi

etiamſi quod reliquum ſit apud eum non ſolvat.

EXPLICATIO.

Edere. a] Plus eſt enim *reddere rationes*, quam *edere*. Nam *edere rationes* juſſus inſpiciendi & deſcribendi tantum facultatem præbere debet. *l.* 1. §. 1. *ff. de edend. Reddere* verò juſſus hoc amplius eam pecuniam, quæ ex reliquis colligitur reddere cogitur. *l. 69.* §. *Servus. ff. de eviction. l.* 31. *ff. de ſtatulib. l.* 80. 82. *l.* 32. *ff. de cond. & demon. l. 9.* §. *is qui reddere ff. de liber. leg.* Ad *reliquorum* tamen onus damna, quæ ita contigerunt, ut nihil imputari poſſit, non pertinent. *l.* 41. §. *Titius. ff. de fideicom. libert.* Qui ad reliqua non tenetur, nec rationes reddere debet. *l. qui libertatis. 69.* §. *ſervus.* 4. *ff. de eviction.* Eſt enim rationes reddere, nihil aliud quam reliqua ſolvere. *d. l. quamvis.* 32. *d. l. cum ſervus.* 82. *ff. de cond. & demonſt.*

Nam & argentarius. b] *Argentarii*, qui privatorum pecunias ſub fænore locabant, viri lecti, & fidei magnæ, quorum libris præſtabatur fides. Hi rationes edebant, non reddebant, quia adhibiti erant negotiis alienis, *Gentil. hic.* quaſi fide publica. *vid. Gell. Noct. Attic. lib.* 14. *cap.* 1. Plautus, Cicero, *Viros bonos* appellat, Iſocrates *in Trapez.* πιστικοὶ, id eſt, *fideles*; quibus, ut idem ait, διὰ τὴν πίστιν creditur. *Forn. hic.*

LEX

LEX XC.

Ulpianus Lib. XXVII. *ad Sabinum.*

QUi *uti optimæ maximæque* a *ſunt*, ædes tradit: non hoc dicit, ſervitutem illis deberi: ſed illud ſolum ipſas ædes liberas eſſe, hoc eſt, nulli ſervire.

EXPLICATIO.

Optimæ maximæque. a] Adjectio hæc *uti optimæ maximæque ſunt*, non in traditionibus modò, ſed in emptionibus, ſtipulationibus, teſtamentis, hoc ſignificat, ut ædes *liberæ ab omni ſervitute* præſtentur, non ut etiam ſervitutes eis debeantur. *l.* 126. *& l.* 169. *ff. hic. l. pen. ff. de evictíon. l.* 69. *§. ſi fundus. ff. de legat.* 1. Plerumque etiam ad inſtrumentum ædium vel prædii hæc verba referuntur. *l. fundo.* 22. *ff. de inſtr. & inſtrum. leg.* Verba, *Optima*, *Maxima*, idem, valent, quod liberum, plenum, ἀνυπόδικον nulli obnoxium, vel ſubditum. *ut in l. cum fundus.* 48. *l. pen. de evict. l. cum venderes.* 39. *de contr. emt. d. l. fundo.* 22. & in capite teſtamenti M. Megonii, *Optima maximaque ſunt*, *finibus ſuis*, *quæ mea fuerunt.* Sic optimo jure poſſidere, *l. fidejuſſor.* 29. §. *pater. de pignor.* Optimo jure venire in poſſeſſionem, id eſt, minime obæratum; apud Quintilia-

num

num *declam.* 336. *vid. l. pro oneribus.* 20. *Cod.* de jure *dot. l.* 7. *de jur. dot. l. un. Cod. de impon. lucr. deſcript.*

LEX XCI.

Paulus Lib. II. *Fidei-commiſſorum.*

M*Eorum* & *tuorum* a appellatione actiones quoque contineri dicendum eſt.

EXPLICATIO.

Meorum & tuorum. a] *Meorum, tuorum, ſuorum*, appellatione deſignantur omnia bona, non ſolum corpora & res, ſed & actiones, ſeu quod eſt in actionibus. *l. nam quod.* 18. *l. ſeqq. l. ſi legatus.* 30. *§. ſi quis bona. ff. ad SC. Treb.* Nam *meum, tuum, ſuum*, id omninò deſignat, quod jure dominii, vel quaſi; aut jure poſſeſſionis, vel obligationis, alicujus eſt; *l. cum, ſua.* 7. *l. ſeq. l. ſuos autem.* 73. *ff. de legat.* 3. etiamſi id cum aliis commune habeat: *l. ſi quis ſuos.* 74. *ff. de legat.* 3. *l. duo. ff. de hered. acquir. l. ſervus communis. ff. de ſerv. ſtip. Bald. ad l.* 1. *C. de comm. rer. alien.* vel hypothecæ pignorive alteri dederit. *d. l. ſuos.* 73. §. 1. Generaliter ergò omnia ſua, aut omnes res ſuas donans, & nomina debitorum donaſſe intelligitur. *d. l. ſi legatus.* 30. §. *ſi quis. d. l. nam quod.* 14. *§. fin.* Non ſi dixerit argentum meum, aut veſtes meas,

dono,

dono, vel lego. tum enim quæ ſunt in credito donaſſe non cenſetur. *l. Quintus.* 27. §. *argento. ff. de aur. & arg. leg. d. l. ſuos autem.* 73. §. 1. Cicero *in Topicis*, inquit; *Non ſi uxori vir legavit omne argentum, quod ſuum eſſet; idcirco quæ in nominibus fuerunt, legata ſunt. Multum enim differt, in arcane poſitum ſit argentum, an in Tabulis debeatur.* Quia cum meum, ad certam ſpeciem referat, ſatis deſignat, ſe non de omni argento, veſtibus, quas habet, quaſve habere, aut aliquo jure conſequi poteſt, agere; ſed de iis, quæ nunc quando deberi incipiunt, ipſius ſunt.

LEX XCII.

Idem Lib. VII. *Quæſtionum.*

P*Roximus* a eſt, cui nemo antecedit. *Supremus* b eſt, quem nemo ſequitur.

EXPLICATIO.

Proximus. a] *Proximus* ſuperlativum nomen eſt, & ideo ex natura ſua poſitivum præſupponere deberet; ſicut optimus præſupponit ceterorum meliorem. *l. ubi.* 75. §. 2. *ff. de verb. oblig.* Sed tamen in jure: *l. proximus. l. illa verba. ff. hic.* & alias; *Laur. Vall. lib.* 1. *eleg. cap.* 17. aliquando vim poſitivi habet. Undè *proximus* non ſolum accipitur qui ante aliquem eſt, ſed etiam is ante quem nemo eſt, quamvis ipſe ſolus

lus ſit. *l. ex duobus.* 34. *ff. de vulg. ſubſt. l. proximi.* 155. *infr. hic alii vide. Proximus* ergò agnatus dicitur qui teſtatori ſic conjunctus eſt, ut eum nemo antecedat. *l.* 2. §. 3 *ff de ſuis & legit. l.* 1. §. *proximus. ff. unde cognati.* Et, ſi nullum teſtamentum factum eſt, proximus intelligitur qui morienti eſt proximus; ſi factum eſt; tum demum cum deſtitutum eſſe conſtiterit. *l.* 2 §. 4. *&* 5. *ff. de ſuis & legit.*

Supremus. b] Quod de proximo diximus & in *ſupremo* obtinet. Undè ſupremas tabulas ſecundum quas Prætor bonorum poſſeſſionem ſe daturum pollicetur accipimus noviſſimas, poſt quas aliæ nullæ factæ ſunt. *l.* 1. §. 1. *l. pen.* §. *plane. ff. de bon. poſſ. ſecun. tab.* Sed & illæ habentur ſupremæ tabulæ, quæ ſolæ ſunt. *l.* 161. *ff. hic.* In vulgari quoque ſubſtitutione quâ ei, qui ſupremus morietur, heres ſubſtituitur, rectè heres ſubſtitutus etiam unico intelligitur. *l. qui duos.* 9. *ff. de reb. dub.* Cum verò plures ſunt, ei qui noviſſimus deceſſerit, ex his rebus ſubſtitutus ſuccedet. *d. l.* 9. *& l.* 14. *in fin. ff. ad leg. falcid.*

Quem nemo ſequitur. c] Hujus uſum oſtendit JCtus *in l.* 34. *in princ. de vulg. & pupill. ſubſtit.* propoſito hoc caſu. Duos filios impuberes heredes inſtituit Pater & pupillariter ſubſtituit ei qui *Supremus* moreretur. Perierunt ſimul in mare. Quæritur, ſubſtitutus neutri, an utrique heres ſit? Et videbatur neutri eſſe heres propterea quod non apparet, quis *Supremus* deceſſerit. Sed verius eſt, utrique heredem fore.

Quia, inquit JCtus, ſupremus non is demum qui poſt aliquem, ſed etiam poſt quem nemo ſit, intelligitur. *d. l. 34. l. qui duos. 9. in princ.*

LEX XCIII.

Celſus Lib. XIX. *Digeſtorum.*

M*Oventium* a, item *mobilium* appellatione idem ſignificamus. ſi tamen *b* apparet defunctum animalia duntaxat, quia ſe ipſa moverent, moventia vocaſſe: quod verum eſt.

EXPLICATIO.

Moventium. a] *Moventia* dicuntur propriè animalia quæ per ſe moventur; ut *ſervi, jumenta, pecora*. *Mobilia* verò, quæ anima carent, ut *vaſa, veſtes*, & alia id genus, *l. 2. ff. de ſupellect. leg. l. 1. ff. de Ædil. Edict. l. pen. C. de jure dot. l. un. §. cum autem. C. de ſervitut.* Sed hæc differentia plerumque confunditur. *l. 32. § ult. ff. de uſufr. leg. l. ult. ff de requir. vel. abſ. damn l. 21. §. certe ff. de furt.* Undè mobilibus legatis etiam animalia venient: Contra moventibus legatis, res etiam inanimatæ *l. hac. l. 2. de ſupellect. leg l ult. de req. reis.* Niſi aliter de mente teſtatoris conſtet. *l 15. § in venditione. 2. ff de re jud.*

Si tamen b] Legendum *Niſi* Eſt enim exceptio. Paulus *lib. 3. ſentent. tit. 6. ſic. Mobili-*

bus legatis aurum, vel argentum non debetur; niſi de iis quoque manifeſte ſenſiſſe teſtatorem poſſit oſtendi.

LEX XCIV.

Idem Lib. XX. *Digeſtorum.*

VErbum *reddendi* a quanquam ſignificatum habet *retrò dandi*, recipit tamen & per ſe *dandi* ſignificationem.

EXPLICATIO.

Reddendi. a] *Reddere* quamvis propriè ſignificet *retrò dare*, & quod acceperis reſtituere, *l.* 3 § *ſi quis ſervum l.* 39. §. *ſi heres. ff de ſtatulib.* tamen & pro *dare*, tam apud Ciceronem, Quintilianum, Virgilium, *lib.* 1. *Georg* Senecam, *lib. de benef.* 6. quam Juriſconſultos, *hic l. cum quidam uxori ff. de legat.* 2. *l. heres meus.* 100. *in princ ff de legat.* 3. aliquando accipitur. Itaque reddere juſſus ſimul & dare juſſus intelligitur. *d. l heres meus.* 100 *in princ.* Et ideò ſi quis alicui pecuniam reddi juſſerit, etſi debitam non appareat, ex fidei-commiſſo tamen ea rectè petetur. *d l heres meus.* 100. *in princ. l. Lucius. Titius.* 93. §. 1. *ff eod.*

LEX XCV.

Marcellus Lib. XIV. *Digeſtorum.*

POteſt *reliquorum* a appellatio & *univerſos* ſignificare.

EXPLICATIO.

Reliquorum. a] *Reliquum*, propriè, eſt pars reſtans. Nonnunquam tamen à proprietate ſermonis recedimus *materiâ*, vel *narrantis intentione*, hoc ſuadente. Et tum *reliquum* quandoque nihil, quandoque totum inducit. Nihil ſi teſtator, expleto aſſe, dicat. *Titius ex reliqua parte heres eſto.* quoniam nihil reliquum eſt Titius ex nulla parte heres erit: *l. idem quod Sabinus.* 17. §. 3. *ff de hered. inſt.* ſi teſtator *Mævium ex parte quam per leges capere poteſt, heredem inſtituat, ex reliqua Titium.* ſi Mœvius ſolidum capere poterit, Titius heres non erit. *l. qui non.* 78. §. *fin. ff. eod.* Totum inducit. ſi heres ex parte inſtitutus, nullius capax ſit: *l. quodſi.* 80. *ff. eod. l.* 2. *C. eod.* Si unius ſervi optione Sempronio legatâ, reliquos Cajo legat, Sempronio non optante omnes Cajo debebuntur: *l. cum optio.* 17. *ff. de opt. vel elect. leg. l. cæterorum.* 160. *ff. hic.* Parte domus quam vivens inhabitare ſolebat uxori legatâ; tota, ſi integram inhabitare ſolebat, debebitur. *l. uxori.* 33. *ff. de legat.* 3. Sunt defunctorum voluntates

tates plenius interpretandæ. *l.* 12. *de div. reg. jur. l. plenum.* 12. §. 2. *de uſu & habit. c. cum dilecti.* 6. *in fin de donat.* Alioquin à propria ſignificatione vocis *Reliquorum*, quæ cæteram partem denotat, non temere eſt recedendum. Unde ſi duorum fidejuſſorum unus promiſerit decem, alter *reliquum*, & prior non ſit ſolvendo, non condemnabitur alter in ſolidum; fuit enim inter eos obligatio diviſa. *vid. Capoll. Alciat. hic.* Niſi in ſolidum fidejuſſerint *Brechæus hic. per l. ſi ita fuerit.* §. *quæſtio. de manumiſſ. teſtam.*

LEX XCVI.

Celſus Lib. XXV. *Digeſtorum.*

L*ittus* a eſt, quouſque *maximus fluctus* à mari pervenit. idque Marcum Tullium ajunt, cum arbiter eſſet, primum conſtituiſſe.

EXPLICATIO.

Littus. a] *Littora* dicuntur loca maris proxima, & quæ ipſo mari allui ſolent: Indè quod ad ea mare allidat: Vel quod navigantes eundo ac redeundo in littore litabant & ſacrificabant. Propriè *Littus* maris eſt: *Ripa* verò fluminis: ſed à Poëtis alterum pro altero aliquando uſurpatur. Eſt *Littus maris* quatenus hybernus fluctus maximus excurrit. §. *eſt autem.* 3. *Inſt. de*

rer diviſ. At Gallus Aquilius *apud Ciceron. in Topic.* Littus per tranſlationem definire ſolebat, *qua fluctus eluderet.* Ripam definit Ulpian. *in l.* 1. §. *ripa. de flumin.* id quod flumen continet, naturalem curſus ſui rigorem tenens. Cæterum ſi quando imbribus, vel mari, vel qua alia ratione excrevit ad tempus, non mutat ripas. In ripis ſpectatur rigor naturalis, & certior curſus æſtatis; quam hiemis, perpetuam ſui menſuram retinens. *d l.* 1. §. *ripa l un Ne quid in flumin.* Quamvis quædam flumina æſtate augeantur.

IDEM §. I.

PRædia a dicimus aliquorum eſſe, non utique communiter habentium ea, ſed [vel] alio aliud habente.

EXPLICATIO.

Prædia. a] Ordo hic eſt inverſus. Et vult Juriſconſultus *prædia* non tantum aliquorum dici quæ *diviſa* ſunt, quod non eſt dubium; ſed & quæ adhuc *communia* ſunt; quod enim commune eſt, quaſi meum eſt. *l. merito* 51. *ff. pro ſocio. l. illud dubitationis.* 46 *ff. de ritu nupt. l ſi ex duabus.* 12. *ff. de adſign. libert. l. item apud Labeonem.* 15. §. *ſi communem.* 36. *ff. de injur. l.* 1. §. 6. *ff. de SC. Syllan.*

LEX

LEX XCVII.

Idem Lib. XXXII. *Digeſtorum.*

CUm ſtipulamur *a*, *Quanta pecunia ex hereditate Titii ad te pervenerit:* res ipſas, quæ pervenerunt *b*, non pretia earum ſpectare *c* videmur.

EXPLICATIO.

Cum ſtipulamur. a] Emptor hereditatis, qui à venditore. *Quanta pecunia ex hereditate ad eum pervenerit*, ſtipulatur, ſpecies ipſas, non earum pretia ſtipulatus videtur. *l. ſi creditor.* 37. *ff de peculio.* Quod & in legatis obtinet. Verbum enim *quanta*, non ad numeratam pecuniam duntaxat refertur. *l. quiſquis mihi.* 95. *ff. de legat.* 3.

Pervenerunt. b] Perveniſſe intelligitur id omne per quod in effectu per hereditatem venditor factus locupletior. *l.* 2. *§. perveniſſe. & paſſim ff. de hæred. vend.*

Spectare. c] Rectius fortè *ſtipulari. Græci* hic, *αὐτὰ τὰ πϱάγματα δοκῶ, ἐπεϱωτᾷν, οὐ μὴν τὰ τιμήματα αὐτῶν. Ferner. hic.*

LEX XCVIII.

Idem Lib. XXXIX. *Digeſtorum.*

CUm *biſextum* a *Kalendis* b eſt: nihil refert [utrum] priore an poſteriore die quis natus ſit, & deinde ſextum Calendas ejus natalis dies eſt. nam id biduum pro uno die habetur: ſed poſterior dies intercalatur; non prior. Ideò quo anno intercalatum non eſt ſexto kalendas natus, cum biſextum kalendis eſt, priorem diem natalem habet.

EXPLICATIO.

Biſextum. a] *Biſextum* (alias biſſextum) *hic & in l.* 3. §. *minorum. ubi Bart. ff. de minor.* diem ſignificat, qui quarto quoque anno intercalatur. *Biſextus*, inquit Iſidorus, *lib.* 6. *cap.*17. eſt poſt quatuor annos unus dies adjectus. Creſcit enim per ſingulos menſes quarta pars aſſis; id eſt, duodecim horarum. At ubi quarto anno aſſem compleverit, biſſextilem annum facit. Id biduum pro uno haberi; poſterioremque diem Kalendarum intercalari ſcribit hic Marcellus. *& in d. l.* 3. §. *minorum.* Ulpianus. Quod & Pontifex probat, *c. quæſivit.* §. 1. *de verb. ſignif.*

Kalen-

Kalendis. b] *Kalendæ* inquit Varro: *lib.* 5. *de ling. latin. Primi dies menſium nominati, ab eo, quod his diebus kalentur ejus menſis Nonæ à Pontificibus, quintanane, an ſeptimanæ ſint futuræ, in Capitolio in Curia Kalabra ſic dictæ. Quinque Kalo Iuno Novella, Septem Kalo Iuno Novella.* Nonæ appellatæ, aut quod ante diem nonum Eidus ſemper, aut quod ut novus annus Kalendæ Januariæ ab novo Sole appellatæ, novus menſis, nova Luna Noneis. Docet Varro, ante Nundinas inſtitutas, (quæ nono quoque die obſervabantur) ipſis *Nonis* populum mercaturæ & ſacrorum cauſa ad Urbem conveniſſe. *Idus* dictæ fuere ab *Iduando*, id eſt, dividendo. *Iduare* lingua Hetruſca eſt dividere. *Idus* menſem dividebant.

IDEM §. 1.

CAto putat, *menſem intercalarem* additicium *a* eſſe, omneſque ejus dies pro momento temporis obſervat, extremoque diei menſis Februarii attribuit Quintus Mucius.

EXPLICATIO.

Additium. a] Rectè, ante annnm à Julio Cæſare reformatum. Quia intercalabant eum, hoc eſt, vocato Populo Pontifices interponebant, ut annus ad Lunæ curſum quadraret. Romani enim ex diſtributione Numæ Pompilii,

ad Lunæ curſum, ſicut Græci, annum computabant. *Macrob. lib.* 1. *Saturnal. cap.* 13. Poſtea Julius Cæſar, *teſte Tranquillo in Iulio Cæſare cap.* 40. ad ordinandum Reipublicæ ſtatum converſus, non ex curſu Lunæ, quæ paulo minus menſe in Zodiaci circuitione conſumit: ſed ad rationem Solis, qui 365. diebus & quadrante curſum ſuum conficiens, ad ſignum à quo digreſſus fuit, revertitur; totidem diebus annum conſtare voluit. *Vid. Dion. lib.* 45. Et ne quadrans deficiens temporis ſupputandi errorem ingereret, ſtatuit; ut quarto quoque anno unum diem Pontifices intercalarent, eodem tempore, quo antea menſis intercalari ſolebat: hoc eſt; ante quinque ultimos Februarii dies: idque biſextum appellavit. *Budæus hic.* Quam Cæſaris conſtitutionem poſteriores Juriſconſulti receperunt. *l.* 51 *ff. ad leg. Aquil. l.* 4. *§.* 5 *ff. de ſtatulib. l.* 154 *ff. hic.*

IDEM §. 11.

MEnſis autem *intercalaris* a conſtat ex diebus viginti octo.

EXPLICATIO.

Intercalaris. a] *Intercalaris menſis*, hic, eſt Februarius, ſic dictus, quod ei dies unus interſeritur: Is à Julio Cæſare ſublatus Undè hodie cum menſis fit appellatio, triginta dies intelliguntur. *l fin. C. de iure. delib. Alex. conſ.* 114. *in* 5. *tom. Socin. reg.* 260.

LEX

LEX XCIX.

Ulpianus Lib. III. *de Officio Conſulis.*

NOtionem a accipere poſſumus & cognitionem & juriſdictionem.

EXPLICATIO.

Notionem. a] *Notionis* (quæ nihil aliud eſt, quam poteſtas quædam cognoſcendi examinandique factum. *l.* 3. § *cauſa cognitio.* § *ſeq ff. de Carbon.. Edict. l.* 4. *ff. de off. ejus cui mand. eſt juriſd.*) verbum latiſſimum eſt; nam & in *civilibus* & in *criminalibus cauſſis* uſurpatur In *civilibus*, Prætoris dicitur notio, qui utrum actio danda, an deneganda ſit cognoſcit: *l. ult.* §. *fin ff. de oblig. & action.* aut cum de habitatione, vel veſtiario, vel alimento relicto tranſigendum eſt. *l* 8. *ff. de tranſact.* In *criminalibus*, Præfectus urbi eorum quæ intra centeſimum lapidem fiunt, dicitur habere notionem. *l.* 1. §. 1. *ff de offic. Præf urbi. vid. & l. pen ff. de calumn l.* 6. *C. quom. & quan. jud.* Propriè tamen videtur *Notio* eſſe rerum non criminalium, & *in facto conſiſtentium*; veluti cum apud Prætorem diſceptatur, utrum qui filius eſſe dicitur in poteſtate ſit, necne *l.* 3. § 1. *ff. de lib. exhib.* Quæ quidem ita ſe habent, cum propria verbi cujuſque ſignificatio exquiritur; *vid.*

Brechaum. hic. ſed Ulpianus hic *Notionem* ſic poſſe accipi ſcribit, ut & juriſdictio, & cognitio intelligatur. *vid. & l. ait. Prator. 5. ff. de re jud.* Quare Aſſeſſores, ſive amici qui in conſilium Proconſulum adhibentur, cum etiam ipſi cognoſcant, dicuntur habere notionem. Arbitri quoque quos ex compromiſſo adimus, habent notionem. Cum enim ex pacto privatorum juriſdictio conferri nequeat, conſequens eſt, ut ſaltem notionem habere dicantur. *Alciat. hic.*

IDEM §. 1.

CONtinentes *provincias* a accipere debemus eas quæ Italiæ junctæ *b* ſunt: ut puta *Galliam.* ſed & Provinciam *Siciliam* magis inter continentes accipere nos oportet, quæ modico freto Italia dividitur.

EXPLICATIO.

Provincias. a] *Provinciæ* dictæ, quaſi procul victæ, in quas mittebantur Proconſules aut Prætores, jus dicturi. Erant aliæ continentes, ut *Gallia*, *Illyricum*, *Rhetia*, intra quas etiam numerabatur *Sicilia*; quoniam modico freto tantum ab Italia dividitur: aliæ transmarinæ, ut *Aſia*, *Aphrica*, *Syria*, *Achaja.* In illis dilationes breviores; in hic prolixiores conceduntur.

duntur. *l.* 1. *C. de dilat. l.* 4. *l.* 13. *Cod. Theod. de jure fiſci.*

Italiæ junctæ. b] Inſulæ Italiæ pars ſunt. *l. inſula.* 9. *de judic.* Quarum docente Ariſtotele, aliæ ſunt ἐξαιρετοὶ & cenſentur præcipuo jure: ut *Britannia*, *Cyprus*, *Creta*: aliæ προσνέμονται, Finitimis partibus attribuuntur. Sic *Sicilia*, quamvis ſit inſula, attribuitur *Italiæ*; Quoniam ei aliquando adhæſit, ac modici freti ſpatio disjungitur. Sic *Plinius Hiſt. Natur. lib.* 2. *cap.* 90. & 91. *Virgil. Æneid.* 1. Philo Judæus. *Quod mundus ſit incorruptus*: τὸ παλαιὸν ἠπείρῳ Ἰταλίας Σικελίαν συνάπτουσαν. *Forner. hic.*

IDEM §. 11.

INſtrumentorum a appellatione quæ comprehendantur, perquam difficile erit ſeparare. Quæ enim propriè ſint inſtrumenta, propter quæ dilatio danda ſit, indè dignoſcemus, ſi in præſentiam perſonæ, quæ inſtruere poſſit, dilatio petatur: puta qui actum geſſit, licet in ſervitute, vel qui actor fuit conſtitutus, putem videri inſtrumentorum cauſa peti dilationem *b*.

EXPLICATIO.

Inſtrumentorum. a] Duo hoc §. docet JCtus. Primum in facto magis quam jure conſiſtere, quæ-

quænam inſtrumenta dilatione digna haberi debeant. *Vid. l.* 1. *Cod. de dilation. l.* 18. *Cod. Theod. Quor. appell. non recip.* Siquidem ſi cauſam non inſtruant, ſi otioſa vel aliena ſint fruſtra petitur dilatio; Eſt enim odioſa. Alterum eſt Inſtrumentorum appellatione, non ſolum contineri tabulas rationes, ſcripturas, literas, verum etiam teſtes ac teſtimonia. *l.* 1. *de fide inſtrum. l quoniam.* 10. *Cod. de teſtib.* Quintilianus *lib.* 5. *cap.* 7. *de teſtib. inquit. Inſtrumentum excutere tua cauſſa volo. Teſtimonio inquis, utor ejus quem tu Patrem dicis. Putemus adhuc eſſe teſtimonium; unius eſt, &c.* Hunc §. Goeddæus ſic interpretatur; Et recte: *Inſtrumentorum appellatione* (Quæ in hac dilationum materia, ut & alias, generalis eſt. *l. oratione.* 7. *de feriis. d. l.* 1. *de fide inſtrum. d. l.* 1. *Cod de dilation.* ſignificans quicquid cauſam inſtruere poteſt: literas, tabulas, libros, rationes, perſonas. *d. l.* 1. *Cod. de dilat. l.* 1. *de teſtib.*) *quæ comprehendantur difficile erit ſeparare.* (Id eſt diſcernere & per regulam juris definire: Uti cætera omnia quæ in facto verſantur, quæque à circumſtantiarum varietate pendent, Vix certa aliqua lege definiuntur *l. pen. de impenſ. in res dotal fact. l. de acceſſionibus.* 14. *de praſcript. l aut facta* 16. *de pœn. l quaſtioni* 1. 7 *de quaſtion.* Ideoque arbitrio judicis relinquuntur. *l.* 2 *de re judic. l.* 1. §. 1. *ad SC Turpill. l.* 3. *in fin. de teſtib.*) *Quæ enim propriè ſint inſtrumenta, propter quæ dilatio* (de qua *in d. l. oratione. &. d. l.* 1. *Cod.*

de

de dilat) *danda ſit* (pro tribunali & cauſſa cognita. *d. l. oratione. in fin. d l* 1. *l. à procedente Cod de dilat.*) *indè dignoſcemus* (judicantes ſcilicet; & ex eo, ſeu hoc exemplo melius, quam regula aliqua juris arbitrium noſtrum inſtruere poſſumus, ut in ſimili facti genere idem ſtatuamus, *arg. l. non poſſunt. cum ſeqq. de legib*) *ſi in præſentia perſona* (hoc eſt ut ipſam teſtis coram adducere liceat:) *quæ inſtruere poſſit.* (Judicem ſcilicet longè melius ſi ipſamet perſona præſens ſit, quam ſi audiaper alium, & teſtimonium deſcriptum remittatur.) *dilatio petatur: puta qui actum geſſit:* (Is enim longè felicius & melius judicem de cauſa cognoſcentem coram, & præſens erudire poterit, quam ſi ab alio ejus provinciæ, in qua verſatur, Magiſtratu examinaretur) *licet in ſervitute.* (Nam hæc manumiſſio veritatem dicenti non obſtat: Manomiſſus quia novus homo cenſetur; *l. qui res* 98. *§. aream. de ſolut. l. ſervum.* 27. *de adim. leg.* de iis quæ ſervus ipſe viderit teſtimonium liber dicet) *vel qui actor* (ejus negotii quod in controverſiam vocatur.) *fuit conſtitutus, putem* (Ego JCtus) *videri inſtrumentorum cauſſa* (juſta & probabili, ob quam danda ſit *l. à procedente. Cod. de dilation.*) *peti dilationem.*

Peti dilationem. b] Dilationes rationum reddendarum nomine non debent ſæpius poſtulari, ſemel tantum, aut certe bis concedantur. *d. l.* 1. *Cod. de dilation. l.* 6. *fin l* 7. *de edend. l. cumplures.* 15. *de reb. auctor. judic. poſſid.* Acto-

ri

ri quia paratus meditatusque accedit ad judicium, nulla dilatio danda: Reo in cujus poteſtate non eſt quando conveniatur plures indulgendæ. *l.2. Cod. de dilation. l.5. §. fin. de doli mali except.* In pecuniariis cauſſis omnes dilationes ſingulis cauſſis plus ſemel non tribuendæ: In capitalibus reo tres, accuſatori duæ dandæ, utrumque cauſſa cognita. *l. ult. de feriis.* Olim dabantur ad cauſam agendam accuſatori horæ duæ, Reo tres. *Dion. Nicæus lib.39.* Certe ſemper Reo plures, accuſatori pauciores. *Aſcon. Padian. in Milonian. & 3. Verrin.* Crebræ dilationes fruſtrationis & calumniæ ſuſpicione laborant: *l. ſi calvitur.* 233. *hic.* lites efficiunt immortales. *l. properandum.* 11. *Cod. de judic. l. eas* 80. *de cond. & demonſtr.* Egregiè Ammian. Marcellin. tabularum deſcribens fraudes *lib.* 30. inquit: *Si quem ſemel intra retia ceperant, caſſibus mille impediant, per morborum ſimulationem viciſſim conſultò ceſſantes: atque pervulgati juris profatur lectio una, ſeptem vendibilis introitus praparant, dilationum examina longiſſima contexentes: & cum nudatis litigatoribus dies ceſſerint, & menſes, & anni tandem obtrita vetuſtate controverſia intromiſſa. Forner. hic.*

LEX C.

Idem Lib. II. *de Officio Conſulis.*

SPecioſas a *perſonas* accipere debemus, *clariſſimas perſonas* utriuſque ſexus *b.*

ſexus *b.* item eorum, quæ ornamentis Senatoriis utuntur.

EXPLICATIO.

Speciosas a] Quatuor ſunt in jure dignitatum nomina, *Illuſtres*, *Spectabiles*, *Clariſſimi*, *Novel.* 71. *Perfectiſſimi. l.* 1. *C. de perfect. dignit. lib.* 11. Clariſſimi erant Senatores. *l.* 2. *C. de iis qui ven. ætat. impet. l.* 2. *C. de ſent. paſſis. l.* 5. *ff. de curat. furioſ. l fœmina. ff. de Senator. Lamprid. in vita Alex. Severi.* Hos inter aliquis erat gradus. Primi enim ordines Senatorum, *inquit Iſidor. etymolog. lib.* 8. *cap* 9. dicebantur *Illuſtres*; ſecundi, *Spectabiles*, tertii Clariſſimi. *vid. & Novel.* 71. *& l. fin. ff. de Senator. Illuſtres* erant, qui ex Senatoribus majores Magiſtratus gerebant; ut *Conſulatum*, *Præfecturam Prætorio*, *Magiſterium militum*, *Præfecturam urbis*, *Quæſturam Cæſaris*. *Spectabiles* erant, qui vel à Senatu ſortitò deligebantur; ut *Proconſules*; vel à Principe ex Senatu alio titulo ad provincias, aut militiam regendam mittebantur; ut *Comites conſiſtoriani*, *Sacri patrimonii*, *orientis Vicarius*, *Præfectus prætorio Orientis aut Aphricæ*; *&c.* Functi iis officiis Clariſſimi ſimpliciter dicebantur. *l. un. C. de præpoſ. labor. lib.* 12. Hi omnes ſua habebant ornamenta. Gerebant enim Senatores latum clavum, *l. ſi Rufinus. C. de teſtam. milit.* Conſules, Prætores, trabeam veſtem. *l. fin. C. ut dignit. ord. ſerv. lib.* 12. &c. Speciosi omnes hic vocantur. *Perfectiſſimi* erant,

tant, qui nec ex Senatu, nec ex Equeſtri ordine ad dignitates aſſumebantur. *l* 1. *C. de perfect. dign. lib.* 11. *Amm. Marcell. lib.* 21. *l.* 1. *C. Theod. de his qui ven. ætat. imp. Method. noſtr. Enarrat. Cod lib.* 12. *tit.* 1.

Vtriuſque ſexus. b] Et ita fœminas. Quæ maritorum dignitate illuſtrantur. *l* 1. *l* 8. *ff. de Senator.* Sequuntur eorum conditionem & honores. *l.* 1. *C. de dignit. l. ult. Cod. de incolis.* Plinius lib. 6. epiſt. 32. *Nuptura Nonio Celeri, cui ratio civilium officiorum neceſſitatem quandam nitoris imponit, debet ſecundum conditiones mariti veſte, comitatu augeri; quibus non quidem augetur dignitas, ornatur tamen & inſtruitur.*

LEX CI.

Modeſtinus Lib. IX. *Differentiarum.*

INter *ſtuprum* a & *adulterium* hoc intereſſe quidam putant: quod *adulterium* in nuptam, *ſtuprum* in viduam committitur; Sed lex Julia de adulteriis hoc verbo indifferenter utitur *b*.

EXPLICATIO.

Inter ſtuprum. a] *Stuprum* generaliter eſt coitus lege vetitus, iſque duplex: alter cum nupta, honeſta puta, non meretrice; *l. ſi ea.* 22. 29. *C. de*

29. *C. de adult.* quem dicimus *adulterium:* alter *ſtuprum* in ſpecie dictum, aut *contra ordinem naturæ*, cum maſculo; *l. 2 ff de ſervo corrupt. l. 1. § removet. ff de poſtul l. 8 ff quod met cauſ. l. ult ff. de off. Præſid.* aut *natura ordine concurrente*, cum qualibet muliere quæ neque uxoris, neque concubinæ loco habetur. *l. 3 ff de concub. l. ſtuprum.* 43. *ff. de adulter.* Adulterii pœna ex lege Julia erat relegatio; *l. 5. ff. de quæſt l. 8 ff. de divort. Cujac. lib. 6. obſ.* 12. aut deportatio: *l.* 4. *§ adulterii. ff. de re milit. l.* 11. *ff. de adult.* Poſtea ex Principum conſtitutionibus, facta eſt gladii: *l. quamvis.* 30. *§.* 1. *C. eod.* Ex noviſſima autem Juſtiniani conſtitutione, adultera tantum virgis cæſa, in monaſterium detruditur, *Nov.* 134 *cap* 10. & dotem amittit, marito, ſervato liberis jure proprietatis in quota parte, *l 8 §. fin C. de repud.* aſſignandam. *d. l.* 8. *§ fin. C. eod. Nov* 117. *§. quia vero. Nov.* 134. *§. antepen.* Maritus præter capitis pœnam, amittit donationem propter nuptias, mulieri una cum dote, ſalva tum liberis proprietate, *d. l.* 8. *§ fin.* obvenientem. *d. l. 8 d. l. fin Nov.* 134. *§ ſi quando.* Stuprum contra naturam gladio punitur. *l. cum vir.* 31. *C. de adult.* In viduam honeſte viventem, vel virginem commiſſum, ſi ſtuprator honeſtus ſit confiſcatione dimidiæ partis bonorum, ſi humilior corporis coërcitione, cum relegatione, punitur: *§.* 4. *Inſt. de publ. jud.* Niſi fuerit violentum, quod lege Julia de vi publica, *l.* 3. *ff. ad leg. Jul. de vi pub. l.* 29. *§. fin. ff. de adult.* ſecundum

dum doctores *in d.* §. 4. gladio punitur: *fac.* §. 9. *verſ. ſin autem. Inſt. eod.*

Hoc verbo indifferenter utitur. b] Id eſt, promiſcue: Non quod omne ſtuprum ſit adulterum: ſed quod omne adulterium ſit ſtuprum. Valla *lib. 6. cap.* 45. *Neque,* inquit, *recte ICti excipiunt ſtuprum à nupta: quum etiam in quotidiano ſermone ſic loquamur.* Cicero *Act. ult. in Verrem. Noctu ſtupri cauſa in urbem introferri ſolitus eſt ad mulierem nuptam uni, propoſitam omnibus.*

IDEM §. 1.

D*Ivortium* a inter virum & uxorem fieri dicitur, *repudium* verò ſponſæ remitti *b* videtur. quod & in uxoris perſonam non abſurdè cadit *c.*

EXPLICATIO.

Divortium. a] *Divortium* nomen generale eſt, ac de amicitia interrupta dicitur, & inter amantes divortium eſt. Eſt & animæ corporiſque divortium. Propriè tamen eſt, ſi vir & uxor ſeparentur: *Repudium* verò, ſi ſponſus à ſponſa dirimatur; Ergò in hoc differunt, teſte Paulo, *infrà. l.* 191. quod repudiari etiam futurum matrimonium poteſt: non rectè autem ſponſa divertiſſe dicitur. Confunduntur tamen hæc vocabula. *l. ſi qua. ff. de ritu nupt. l. quod Servius. ff. de condict. ob turp. cauſ.*

Sponſa

Sponſa remitti. b] Forte *mitti:* ut alias ſup. *l.* 4. *l. Divus.* 8. *Cod. de repud. Harnepol. lib.* 6. *tit. ult.*

Et in uxoris perſonam cadit. c] Id eſt, promiſcue utroque vocabulo Leges abutuntur. *Divortium* autem non eſt, niſi verum, quod animo perpetuam conſtituendi diſſenſionem, ſeu diſceſſionem, ſeu diviſionem fiat. Itaque calore iracundiæ dimiſſa, mox reverſa uxor, divertiſſe non videtur, nec divortium ſed frivolum, vel fribuſculum potius dicitur. *l. quicquid.* 48. *de R. l. Iſidor. lib.* 10. *Etym.*

IDEM §. 11.

VErum *a* eſt *morbum* eſſe temporalem *corporis* b imbecillitatem, *vitium* verò perpetuum corporis impedimentum. veluti ſi *talum excuſſit* c: nam & luſcus utique vitioſus eſt.

EXPLICATIO.

Verum. a] Quid inter ſe *morbus* & *vitium* differant, inter Veteres non convenit. Cicero *lib. Tuſcul. diſput.* 4. ait, *Morbum* appellant totius corporis corruptionem: *Ægrotationem*, morbum cum imbecillitate: *Vitium*, cum partes corporis inter ſe diſſident: ex quo pravitas membrorum, diſtortio, deformitas. Itaque illa duo; *morbus* & *ægrotatio*, ex totius valetudinis corporis conquaſſatione & perturbatione gignun-

gignuntur: *vitium* autem integra valetudine ipſum ex ſe cernitur, ſed in animo, tantummodo cogitatione poſſumus morbum ab ægrotatione ſejungere. Modeſtinus hic inquit *Morbum* eſſe temporalem corporis imbecillitatem: *vitium* verò perpetuum corporis impedimentum. Labeo apud Sabinum *Morbum* definit; eſſe habitum cujuſque corporis contra naturam quo uſum ejus ad id faciat deteriorem, cujus cauſa natura nobis ejus corporis ſanitatem dedit: id autem aliàs in toto corpore, aliàs in parte accidit: Namque totius corporis morbus eſt; puta *tabes, febris*; Partis veluti *cacitas. l.* 1. *§ ſciendum. ff de Ædil Edict. vid. & Gell lib.* 4. *cap* 2. *Vitium* eſt ſi, integrâ valetudine corporis, qua ſit unius partis alicujus corruptio & pravitas ea, quæ nec ex imbecillitate ejus partis naſcatur, nec ejus partis uſum auferat; puta quis ſit *ſtrabo*, *blæſus*, *balbus*.

Corporis. b] Non enim animi vitia, niſi in corpus penetrent; præſtantur: nec eorum nomine vendita mancipia, corpori alioqui ſano, redhiberi placuit. *l.* 1. *in fin. l.* 4. *l. ult. de ædilit. Edict. Cic. lib.* 3 *Officior.*

Si talum excuſſit. c] *Plinius lib.* 25. *Hiſt. natur. cap.* 11. inquit: *Talis tumentibus limus aquaticus cum oleo ſubactus, mirè prodeſt.* Niſi ita excuſſus eſſet, ut nulla medendi ſpe, perpetuo cogeret *talipedare*, id eſt, *ut Feſtus exponit*, pedibus vacillare, & quaſi talis inſiſtere

IDEM

IDEM § III.

S*Ervis* a *legatis* b etiam ancillas deberi, quidam putant: quaſi commune nomen utrumque ſexum contineat.

EXPLICATIO.

Servis. a] Non quod maſculinum ſemper contineat fœmininum: *ut ſupra l.* 1. *ff. hic & l. qui duos.* 162. *l. ſervis legatis.* 81. *ff de legat* 3. ſed quia verba generaliter accipienda quatenus ex vi ſermonis inferre poſſunt. *l.* 1. *ff de aleator. Serva* autem, ut ſervus, in ablativo habet ſervis. Nam non dicitur *ſervabus.*

Legatis. b] Si ergò teſtator ſcripſerit: *Servos lego. Servos, decem lego, quos optavit:* poterit Legatarius & ancillas optare, & quidem omnes. *Sempronio ſervos decem heres damnas eſto dare.* poterit & ancillas dare.

LEX CII.

Idem Lib. VII. *Regularum.*

D*Erogatur* a legi, aut *abrogatur: derogatur* legi; cum pars detrahitur, *abrogatur* legi cum prorſus tollitur.

EX-

EXPLICATIO.

Derogatur. a] Lex aut *rogatur*, id eſt, fertur, aut *abrogatur*, id eſt, prior lex, cum expreſsè, tum tacitè per deſuetudinem, *l.* 32. *ff. de legib.* tollitur; aut *derogatur*, id eſt, pars primæ tollitur; aut *ſubrogatur*, id eſt, aliquid primæ legi adjicitur; aut *obrogatur*, id eſt, aliquid ex prima lege mutatur. *Vlp. in Inſt. tit.* 1. Nulla Lex, inquit Plato, *in libro, qui Civilis inſcribitur* tam circumſpectè ferri poteſt, ut omnibus juſta æquè ac commoda ſtatuere videatur. Concinit Ariſtoteles *l.* 2. *cap.* 6. *Polit. lib.* 5. *Ethic. cap.* 7. Cicero *lib.* 3. *ad Atticum epiſt.* 23. inquit: *Videſne nunquam obſervatas ſanctiones earum legum, quæ abrogarentur. Nam ſi id eſſet, nulla fere lex abrogari poſſet: Neque enim ulla eſt, quæ non ipſa ſe ſapiat difficultate abrogationis.* Proponit paulò poſt exemplum. *Si quid hac rogatione ſcriptum eſt, quod per Leges, Pleb. ve SC. Hoc eſt, quod per Legem Clodiam promulgare, abrogare, derogare, obrogare, S. F. Sua non liceat, non licuerit, Quodve ei qui promulgavit, abrogavit, derogavit, obrogavit, ob eam rem pœna mulctæ ne ſit, E. H. L. N. R.* Legum publicæ probatarum reſciſſio ſemper fuit odioſa. Legibus, *ut dixit Pauſanias* convenit auctoritas in homines; non hominibus in Legem.

LEX

LEX CIII.

Idem Lib. VIII. *Regularum.*

LIcet *capitalis* Latinè loquentibus omnis *cauſa exiſtimationis* videatur: tamen appellatio *capitalis* [a] mortis, vel amiſſionis civitatis, intelligenda eſt.

EXPLICATIO.

Capitalis. a] *Capitalis pœna* (ſic dicta quod per eam caput è civitate eximitur,) eſt quæ *mortem*, vel *amiſſionem civitatis* continet. *hic.* Undè & judicia capitalia ex quibus pœna mors, aut exilium eſt, hoc eſt, aquæ & ignis interdictio. Sic in Edicto Prætoris quo rei capitalis damnato bonorum poſſeſſio denegatur, res capitalis intelligitur, ex qua damnato vel mors, vel etiam exilium, aut civitatis amiſſio, vel ſervitus contingit: *l.* 13. *ff. de bon. poſſ. l.* 2. *ff. de pœn.* Sic & in *l.* 4. *ff. ſi quis caution.* & in ea parte Edicti; quâ à bonorum poſſeſſione liberti patronus repellitur, qui eum capitis accuſavit; capitis accuſaſſe æſtimatur is, qui tali judicio appetit, cujus pœna aut ultimum ſupplicium, aut exilium, quod fit vice deportationis, ubi civitas amittitur. *l.* 14. *§. is demum. ff. de bon. liber. l.* 10. *ff. de jur. patron.* Capitis ergò pœna eſt, ad furcam damnatio, capitis amputatio,

vivi crematio, in inſulam deportatio, beſtiis objectio, vel aliæ ſimiles. *l.* 11. *§. ult. junct. l.* 28. *ff. de pœnis.* Latinè tamen loquentibus, (*inquit hic ICtus*) omnis cauſa exiſtimationis capitalis dicitur, ut & ex Orat. Cicer. pro Quintio patet. Et ſic *in l.* 1. *§. removet. ff de poſtul.* capitali crimine damnatum accipe, cujus pœna exiſtimationem minuit. Exiſtimatio eſt inlæſus ſtatus, legibus ac moribus comprobatus: qui ex delicto noſtro auctoritate Legum, aut *minuitur* aut *conſumitur*. *Minuitur*, quoties libertate manente, circa dignitatis ſtatum pœna plectimur: Sicuti cum relegatur quis, vel movetur ordine, vel prohibetur honoribus fungi: &c. *Conſumitur* quoties magna capitis diminutio intervenit; id eſt, cum libertas adimitur: Veluti, cum aqua & igni interdicitur. *l. pen. de extraord. cognit.*

LEX CIV.

Idem Lib. II. *Excuſationum.*

[H] Τῶν τέκνων προσηγορία καὶ ἐπὶ τοὺς ἐγγόνους ἐκτείνεται.

Id eſt,

Natorum a appellatio & ad *nepotes* extenditur.

EXPLICATIO.

Natorum. a] *Natorum* appellatio latiſſimè patet, comprehendens eos quicunque nobis nati

nati ſunt, at qui ex filiis aut nepotibus noſtris naſcuntur, nobis etiam naſci dicuntur. Undè ſi lex ita in agenda re dicta eſt. *Tibi Semproni; & qui ex corpore tuo naſcentur*; & nepos comprehendetur. Jus enim avi erga nepotem pendet ex jure patris erga filium, & ſicut filius ex patre eſt, ita & nepos per patrem ex avo eſſe videtur. Denique *ut ait Celſus l. dotem. 6. ff. de collation.* quod pater filio, id avus propter filium eſt nepoti. *vid. & l Lucius. 65. ff. de hered. inſtit.*

Ad nepotes. b] Imò & ad poſteros. Sunt enim ἔκγονοι filii filiæve, nepotes vel neptes: & deinceps poſteri ex his deſcendentes. *Brechæus. hic.*

LEX CV.

Idem Lib. XI. *Reſponſorum.*

MOdeſtinus *a* reſpondit; his verbis, *Libertis libertabuſque meis*, libertum libertæ teſtatoris non contineri.

EXPLICATIO.

Modeſtinus. a] *Libertorum* appellatione etiam *libertæ* continentur. *l. liberti. 172. ff. hic.* non libertorum, *ut hic.* aut liberorum liberti. *l. licet. 58. §. 1. ff. eod.* Hinc libertis libertabuſque veſtiariis, vel alimentis legatis, ea eorum

libertis non debebuntur; niſi teſtator eos quoque libertos ſuos conſueviſſet appellare. *l. alimenta.* 16. §. 1. *ff. de alim. legat.* Haud diſſimiliter Vaſalli mei Vaſallus, conventionis obligatione inſpecta, non eſt Vaſallus meus. Socii mei ſocius non eſt ſocius meus. *l. qui admittitur.* 19. *cum l. ſeq. pro ſocio.* Quia in ſocietate coëunda, hominum fides ſpectatur. Legatarius Legatarii non eſt meus Legatarius; Debitor debitoris mei non eſt meus debitor. *l. antepen. Cod. ſi cert. pet. l. pen. Cod. de obl. & Act.* Coloni mei, colonus non eſt colonus meus. *Choppin. lib.* 3. *de domain. Franc. tit.* 4. *num.* 8.

LEX CVI.

Idem Lib. Singulari de Præſcriptionibus.

D*Imiſſoriæ a litteræ* dicuntur, quæ vulgo *Apoſtoli* dicuntur. dimiſſoriæ autem dictæ, quod cauſa, ad eum qui appellatus eſt, dimittitur.

EXPLICATIO.

Dimiſſoriæ. a] Poſt appellationem interpoſitam à qualibet cauſſa, *c. ut ſuper.* 4. *de appell. lib.* 6. debent litteræ à Judice à quo, ad Judicem ad quem ab appellante, inſtanter, ni velit appellationi renunciari, *c.* 6. *& clem.* 2. *Ext. de appell. lib.* 6. peti; & à Judice, niſi mulctari velit.

velit. *l.* 24. *C. de appell.* dari, *l. un. in princ. ff. de libell. dimiſſ.* quibus cauſſam ad eum tranſmittat, & indicet, quis, contra quem, & à qua ſententia, appellaverit. *d. l. un.* §. 1. Quæ, quod per eas cauſſa ad eum qui appellatus, dimittatur, *literæ dimiſſoriæ*, vel *libelli dimiſſorii*; dicuntur. *hic.* & *d. l. un. in princ.* Græcè apoſtoli, ἀπὸ τῦ ἀποστέλλειν. *d. l. un. in prima.* quod eſt remittere.

LEX CVII.

Idem Lib. III. *Pandectarum.*

ADſignare a libertum, hoc eſt, teſtificari, cujus ex liberis libertum eum eſſe voluit.

EXPLICATIO.

Adſignare. a] Ex Senatus Conſulto Velleo Rufo, & Feſterio Scapula Coſſ. Claudianis temporibus facto, patronus inter plures liberos poteſtati ipſius ſubjectos aut emancipatos, *l.* 9. *ff. de adſign. libert.* ſed ex juſtis nuptiis procreatos, aut certe indè naſcituros, non adoptivos, poteſt libertos, quaſi dividere, & uni liberorum plures, vel omnes, vel pauciores, quam cæteris, *l.* 1. *ff. eod.* quibuſcunque verbis, & quocunque actu, adſignare. *d. l.* 1. §. 3. Qua adſignatione declaratur ſimul etiam quiſnam ex liberis, patronus liberti vel libertorum

eſſe deberet. *hic.* Fit peculiari jure, ut ita nec legarum propriè, nec fideicommiſſum, nec donatio, nec commodatum, ſed peculiaris quædam exercendæ libertatis paternæ ratio poſſit videri. *l.* 7. *ff eod.*

LEX CVIII.

Idem Lib. IV. *Pandectarum.*

D*Ebitor* a intelligitur is, à quo invito *c* exigi *b* pecunia poteſt.

EXPLICATIO.

Debitor. a] Debitor, ſtrictè, appellatur à quo invito exigi pecunia poteſt. *h. l. & l.* 18. §. *fidejuſſor. ff. de fidejuſſ.* Debitor ergò non videtur qui ſe exceptione juſta & ab æquitate naturali non adhortente, eaque perpetua, tueri poteſt. *l. definit.* 66. *ff. de div. reg. jur. arg. l.* 10. *cum. ſeqq. l.* 54 *cum ſeq. ff hic. ubi vide.*

Exigi poteſt. b] Scilicet poteſtate juris. Nam & qui ſolvendo non eſt, nihilominus debet. *l.* 4. *de hered. vel action. vendit.* & qui bonis ceſſit ſi ad pinguiorem fortunam redierit, poterit à Creditoribus ex integro conveniri. §. *ult. Inſt. de action. l.* 3. *de bon. auct. jud. poſſid.*

Ab invito. c] Sicut debitor intelligitur is à quo invito exigi poteſt; ita intelligitur Creditor qui ab invito exigere poteſt. Hinc quibus naturaliter tantum debetur quia lege eos deſtituente

tuente, exigere nihil poſſunt, *l.* 127. *de verb. oblig. l.* 7. §. *quinimo.* 5. *de pact.* Creditorum loco non ſunt. *l. creditores.* 10. *hic.* Nempe κτ̀ κυϱιολεξίαν. Nam per καταχϱησιν quandam ſive *abuſionem* Creditores dicuntur. *l. fidejuſſor.* 16. §. *naturales.* 4. *de fidejuſſor.*

LEX CIX.

Idem Lib. IV. *Pandectarum.*

B*Onæfidei* a *emptor* eſſe videtur, qui ignoravit eam rem alienam eſſe: aut putavit eum, qui vendidit, jus vendendi habere; puta procuratorem, aut tutorem eſſe.

EXPLICATIO.

Bonæfidei. a] Sufficit enim ut *bonæfidei emptor* ſit, & ſic fructus lucretur, & rem præſcribere poſſit, *l.* 2. §. 1. 2. *ff. pro emptor. l.* 4. *C. eod.* ut dolo careat. *l. igitur.* 12. §. *poteſt. ff. de liber. cauſ. l. ſed & ſi.* 25. §. *ſcire.* 6. *ff. de petit. hered. l. bonæfidei.* 48. §. 1. *ff. de acquir. rer. dom.* id eſt non ſit in mala fide. *l.* 1. *C. de long. temp. præſcr.* In mala fide eſt emptor, qui ſcit rem alienam eſſe, aut eum qui vendidit jus vendendi non habere: . *l. qui à quolibet.* 27. *ff. de contr. empt.* & ut breve id faciam, quiſquis contra legum interdicta mercatur. Qui igitur à luxurioſo & diſſoluto adoleſcente, & protinus me-

tetrici daturo ſciens emerit, malæfidei emptor eſt. Nec enim ab eo emere debuit, & in ſocietate quodammodo facti turpis verſari. Nam turpis eſt venditionis cauſſa, & quaſi tacito jure, alienatio ea interdicta eſt. *l. ſi quis cum ſciret* 8. *ubi Cujac. ff. pro emt. Coraſ. lib.* 2. *Miſcell. cap.* 8. *num.* 7. Sed quid ſi quis rem alienam ignorans emit, & antequam ex ea perciperet fructus reſcivit alienam, habebiturne pro malæfidei poſſeſſore. Reſpondit JCtus eum in colligendis fructibus bonæfidei poſſeſſorem videri, eique fructus interim perceptos acquiri. Perinde ac ſi diceret, malam fidem, ſupervenientem nihil percipiendis quærendiſque fructibus obeſſe. *l. qui ſcit.* 25. *in fin de uſur.* Cui adverſari videntur *l. qui bona.* 23. *verſ. cæterum. l. bonæfidei.* 48. *de acquir. rer. dom.*

LEX CX.

Idem Lib. VI. *Pandectarum.*

SEqueſter *a* dicitur, apud quem plures eandem rem *b*, de qua controverſia eſt, depoſuerunt: dictus *c* ab eo, quod occurrenti; aut quaſi ſequenti eos, qui contendunt, committitur.

EXPLICATIO.

Sequeſter. a] Eſt ergò *Sequeſtre*, ſeu *Sequeſtratio*, ſpecies depoſiti; qua res controverſa, apud

apud ſequeſtrum, à pluribus, in ſolidum deponitur. *l. 5. §. 1. l. 6. l. licet. 17. in princ. ff. depoſiti.* Eſt vel *Conventionalis*, quæ partium conſenſu fit; & regulariter eſt licita: *d. l. 5. & 6.* vel *Iudicialis*, quæ judicis, ſeu Magiſtratus auctoritate, parte ſive utraque, ſive alterutra invitâ, fit; *l. un. C. de prohib. ſequeſt. pec.* nec, niſi ex juſtis cauſſis; ut denegatæ cautionis, *d. l. un. l. 7. §. fin. ff. qui ſatiſd. cog.* ſtatus incertitudinis, *l. fin. C. quib. ad libert. procl.* metus armorum, *l. 13. §. 3. ff. de uſufr.* &c. permiſſa. *d. l. un. Illa* poſſeſſionem in ſequeſtrum transfert. *d. l. licet. 17. §. 1. l. intereſſe. 39. ff. de acquir. poſſ. Hæc* eam, donec vel partes inter ſe de lite amicè convenerint, vel Judicis ſententia quis poſſeſſor ſit, & eſſe debeat, declaretur, relinquit in *ſuſpenſo. d. l. intereſſe. 39.*

Plures eandem rem, depoſ. b] In ſolidum; Ε'ις ὁλόκληρον *lib. 13. Baſilicon.* περὶ μεσεγγυημάτων: *Tit. ult.* In ſequeſtrem ergo actio depoſiti ſequeſtraria ex contractu nominato. *l. 5. l ſi in Aſia. 12. depoſ. Vide Method. noſtr. Enarrat. Cod. lib. 4. tit. 34.*

Dictus. c] Etymologia hæc Alciato nimis dura videtur. Gellius *lib. 20. cap. 1. Sequeſtrum* dictum ait, *quod ejus fidem qui deponunt ſequantur.* Iſidorus. *lib. 10. Etymolog. Sequeſter*, ait, eſt, *qui certantibus medius intervenit*, qui apud Græcos ὁ μέσος dicitur, apud quem pignora deponi ſolent, à ſequendo dictus, quod fidem utraque pars ſequatur.

LEX CXI.

Javolenus Lib. VI. *ex Caſſio.*

C*Enſere* a eſt *conſtituere*, & *præcipere:* unde etiam dicere ſolemus, *Cenſeo hoc facias:* & *ſemet aliquid cenſuiſſe* b. Inde Cenſoris *c* nomen videtur eſſe tractum.

EXPLICATIO.

Cenſere. a] Verbum *cenſere* in varias fertur ſignificationes, Nunc, inquit Feſtus *de verb. ſignif.* ſignificat *putare*, nunc *ſuadere*, nunc *decernere:* ſæpius *decernere*, *conſtituere*, *præcipere*, *jubere*; Quæ parum inter ſe differunt. Nam qui decernit; is & conſtituit & jubet; qui jubet & præcipit, utique decernit: cum nihil niſi animo & voluntate decretum ſtatuamus & præcipiamus. Ponitur & cenſere pro conſulere, *l.* 70. §. 6. *junct. l.* 25. §. 11. *ff. de petit. hered.* eandem vim habere. *l. ult. ff. de ſuis & legit. hered.*

Semet aliquid cenſuiſſe. b] Legendum, *Senatum aliquid cenſuiſſe.* Eſt enim ea frequens Senatuſconſulti clauſula; *De ea re ita cenſuerunt*, apud Ciceronem, Frontinum *de Aquaductib. l.* 2. *ad SC. Vellejan. l. item veniunt.* 20. §. *pridie. de petit. hered.* In Pandectis *Senatus cenſuit l.* 3. *de edend. l.* 1. *de uſufr. ear. rer. l. Senatus cenſuit.*

ſuit. 52. *de contr. emt. l. Senatus.* 35. *de mort. cauſ. donat. l. Senatus. de accuſat. &c.* Feſtus de SCtis. *Qui hoc cenſetis, illuc tranſite; qui illa omnia, in hanc partem.* Silius Italicus lib. 1. *Factaque cenſendi Patrum de more poteſtas.*

Cenſoris. c] *Cenſores* Feſto dicuntur, quod quiſque rem ſuam tanti æſtimare ſolitus ſit, quantum illi cenſuerint. Erant, cenſus agendi gratiâ conſtituti; *l. 2. § poſt deinde. ff. de origin. Iur. Feneſtell. cap.* 17. non tantum rerum ſed & morum æſtimatores, & diſciplinæ magiſtri. *ut ex Cicer. orat. pro Cluentio liquet. vid. Method. noſtram. Cod. Enarr. lib.* 11. *tit.* 58.

LEX CXII.

Idem Lib. XI. *ex Caſſio.*

L*ittus* a publicum eſt eatenus, qua maximè fluxus exæſtuat. Idemque juris eſt in *lacu*, niſi is totus privatus *b* eſt.

EXPLICATIO.

Littus. a] Quod de littore maris ſupra vidimus, hic JCtus producit ad lacum publicum; id eſt, qui in uſu eſt publico; ut nempe eatenus publicum littus habeat, quatenus hybernus fluctus maximus exæſtuat.

Privatus. b] Is tantum littoris habet, quantum actum eſt. *l. Rutilia Polla.* 69. *ff. de contr.*

empt. Lacus quidam privati juris ſunt, & in ſingulorum dominio, in quibus, ſive creſcentibus, ſive exareſcentibus, non agnoſcitur alluvio, retinent terminos ſuos, manentque ejuſdem domini cujus prius erant. *l. antep. de aqua pluv. arc. l. locus.* 12. *de acquir. rer. domi. Rutilia.* 69. *de contr. empt.* Mari (cum omnibus pateat natura) ſervitus lege privata imponi nequit. *l. venditor.* 13. *Commun. præd.* Poteſt lacui: ſi perpetuus in fundo ſit. *l. via.* 25. *de ſervit. præd. ruſtic.*

LEX CXIII.

Idem Lib. XI. *ex Caſſio.*

MOrbus [a] *ſonticus* eſt, qui cuique rei nocet.

EXPLICATIO.

Morbus. a] Venulejus JCtus. *l. ult. ff. de Ædil. Edict.* Quoties *morbus ſonticus*, inquit, *nominatur, eum ſignificari Caſſius ait, qui noceat: nocere autem intelligi, qui perpetuo, non qui tempore finiatur. Sed & morbum ſonticum eum videri, qui inciderit in hominem, poſtquam is natus ſit: ſontes enim nocentes dici.* Gellius *lib. Noct. Attic.* 20. *cap.* 1. Sonticum morbum appellat, *qui vim graviter nocendi habeat*; & ita uſurpatum à ſcriptoribus XII. Tabularum. JCtus Ulpianus *in l.* 2. *§. ſi quis. ff. ſi quis caut. in jud. ſiſten.* morbum ſonticum

ticum adverſam valetudinem exponit; Julianus JCtus *in l. quæſitum eſt. 60. ff. de re judic.* Sonticum morbum exponit, *qui cujuſque rei agendæ impedimento eſt*: nec de leviſſima febri; aut quartana inveterata, in qua omnibus negotiis ſupereſſe ſoleat: intelligi vult. Qui eo affectus eſt, neque in jus venire, neque procuratorem mittere cogitur. *d. l. 2. §. ſi quis.* Sententia contra eum lata eſt nulla. *d. l. quæſitum. 60.*

LEX CXIV.

Idem lib. XV. *ex Caſſio.*

SOlvendo eſſe nemo intelligitur, niſi qui *ſolidum* a *poteſt ſolvere.*

EXPLICATIO.

Solidum. a] Hæc interpretatio facienda eſt, quotieſcunque legimus, quod ſi quis ſolvendo non ſit, alium teneri. *l. 1. §. ſi magiſtratus. 11. cum ſeqq. ff. de magiſtrat. conven. l. 5. §. ult. ff. de ſolut. cum ſimilibus.* Solvendo videtur is qui defenditur, *l. nemo dubitat. 95. ff. de div. reg. jur.* qui in nominibus æs ſuum habet; *l. facere. 28. ubi Alex. ff. ſoluto matrim.* ſi quidem debitores ſint idonei & nomina ſua agnoſcant. *l. à Divo. 15. §. 8. cum §. ſeq. ff. de re judic.*

LEX

LEX CXV.

Idem lib. V. *Epiſtolarum.*

QVæſtio a eſt fundus à poſſeſſione vel agro, vel prædio quid diſtet? *Fundus* eſt, omne quidquid ſolo tenetur. *Ager* eſt, [ſi] ſpecies fundi ad uſum hominis comparatur. *Poſſeſſio* ab agro juris proprietate diſtat. quidquid enim adprehendimus, cujus proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere, hoc poſſeſſionem appellamus. *Poſſeſſio* ergo *uſus*; *ager proprietas loci* eſt. *Prædium* b utriuſque ſupraſcriptæ generale nomen eſt: nam & ager, & poſſeſſio, hujus appellationis ſpecies ſunt.

EXPLICATIO.

Quæſtio. a] Declarat hic JCtus quid *fundus*, *ager*, *poſſeſſio*, *prædium* inter ſe differant. *Fundus* eſt ipſum ſolum, ſive cultum, ſive incultum ſit: Dictus, ut ſcribit Varro. *lib.* 4. *de ling. latin.* quod pecudum & pecuniæ videbatur fundamentum: aut quod quotannis fundat multa: aut, ut vult Feſtus, quod planus ſit ad ſimilitudinem vaſorum. Fundo ſi utimur

prædium

prædium dicitur; à præſtando, ut vult Varro, quia nobis præſtat reditum & uſum ſui. Utilitas quæ ex prædio venit conſiſtit vel in proprietate, hinc ager: *de quo infra. l. fundi.* 211. *latius* vel in uſu aliquo, hinc poſſeſſio. Quæ hic eſt, *ſecundum Gothofredum hic.* corpus cujus plenum uſum habemus, proprietatem neque habemus, neque habere poſſumus. Quo in genere ſunt prædia, quæ ab hoſtibus capta publicata ſunt, & facta provincialia, tributaria, ſtipendiaria, vectigalia. *Theoph. §. per traditionem. Inſt. de rer. diviſ. l* 1. *ff. ſi ager. vectig. l.* 15. *§. fin. ff. de vectigal.* Proprietas enim eorum ad poſſeſſores non pertinebat, quod ea prædia victor populus in dominium ſuum redegiſſet: pertinere verò non poterat, quia nec mancipatione ea abalienari, nec uſucapi, cum juris Italici non eſſent, poterant: quibus modis legitimum & ex jure Quiritium dominium contingebat. *l. un C. de uſuc. transfor. § per traditionem. Inſt. de rer. diviſ. Vid. Briſſon.* 4. *ſelect.* 1.

LEX CXVI.

Idem Lib. VII. *Epiſtolarum.*

Q*Viſquis* a *mihi alius filii filiuſve heres ſit*, Labeo non videri *filiam* contineri; Proculus contra. Mihi Labeo videtur verborum figuram ſequi; Procu-

Proculus mentem teſtantis. Reſpondit: Non dubito, quin Labeonis ſententia vera non ſit *b.*

EXPLICATIO.

Quiſquis. a] Cum teſtator, uno ex filiis exheredato, alios, etiam poſthumos, hac clauſula inſtituit. *Quiſquis mihi alius filii filiuſve heres ſit*; & filia, non ex figura verborum, ſed ex mente teſtatoris intelligitur, inſtituta. De qua ergo ſi aliter conſtat, non cenſebitur inſtituta. *fac. l. in conventionibus.* 219. *inf. hic. l. cum avus.* 101. *ff. de cond. & demonſtrat.*

Non dubito quin Labeonis ſententia vera non ſit. b] Annius Latinorum Prætor, apud Livium: *Ad ſummam rerum noſtrarum pertinere arbitror*, inquit, *ut cogitetis magis, quid agendum, quam quid loquendum ſit: quoniam facile erit explicatis conſiliis, accommodare rebus verba.* Sententia ergò. Labeonis verborum proprietate nitentis, merito à Jaboleno repudiatur D. Auguſtinus *lib.* 2. *cap.* 28. *de conſenſ. Evang.* inquit: *Rem plane utiliſſimam diſcimus, & pernecessariam: nihil in cujuſque verbis nos debere inſpicere, niſi voluntatem, cui verba debent ſervire: nec mentiri quemquam, ſi aliis verbis dixerit, quod ille voluerit; cujus verba non dicit; neq; miſeri aucupes vocum apicibus quodammodo litterarum putant ligandam eſſe veritatem; cum utique non in verbis tantum ſed etiam in cæteris*

omnibus

omnibus ſignis animalium, non ſit niſi ipſe animus inquirendus.

LEX CXVII.

Idem Lib. IX. *Epiſtolarum.*

NOn poteſt *a* videri *minus ſolviſſe* is, in quem *amplioris ſummæ actio* non competit.

EXPLICATIO.

Non poteſt. a) Hinc qui pecuniam, quæ ex officio Judicis condemnationi potuit accedere, nec tamen acceſſit, ut ſunt in depoſitario poſt moram uſuræ, *l.* 4. *C. depoſiti.* in eo qui certo loco dare promiſit, ſi culpâ ſuâ & morâ eo non ſolvat, id quod actoris intereſt; *l. un. C. l.* 12. *ff. de eo quod certo loco.* non ſolvit, minus ſolviſſe dici non poteſt, cum ea jure obligationis non debeatur, nec ipſi obligationi cohæreat, aut ab illa ullo modo pendeat.

LEX CXVIII.

Pomponius Lib. II. *ad Quintum Mucium.*

HOſtes a hi ſunt, qui nobis, aut quibus nos publicè b *bellum* decrevimus. cæteri *latrones*, aut *prædones* ſunt *c*.

EX-

EXPLICATIO.

Hoſtes. a) Itaque non ut ab *hoſtibus* capti; ita qui à latronibus detinentur, ſtatum mutant. *l.* 13. *ff. qui teſtam. fac. l* 19. *§ à piratis. ff. de capt. & poſtlim. rev.* Undè non ut illis, ita & his *poſtliminium* neceſſarium. *l. hoſtes.* 24 *ff eod. eſt poſtliminium* (dictùm à limine & poſt. *§ ſi quis ab hoſtibus. Inſt. quib. mod. jus. patr. pot. ſolv.*) jus amiſſæ rei recuperandæ ab externis, & in ſtatum priſtinum reſtituendæ, inter nos ac liberos omnes populos Regeſque moribus ac legibus conſtitutum. *l. poſtliminium.* 19. *in princ. ff. de capt. & poſtl. rev.* Liber populus eſt is, qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubjectus, ſive is fœderatus eſt, item ſive æquo fœdere in amicitiam venit, ſive fœdere comprehenſum eſt, ut is populus alterius populi majeſtatem comiter conſervaret. Hoc enim adjicitur, ut intelligatur alterum populùm ſuperiorem eſſe, non ut intelligatur alterum non eſſe liberum. *l. non dubito.* 7. *§. liber. ff. eod. Tria enim*, ut inquit Livius. 34. *ſunt fœderum genera, quibus inter ſe paciſcuntur amicitias civitates, regeſque. Unum cum bello victis dicuntur leges: ubi enim omnia ei qui armis plus poteſt, dedita ſunt, quæ ex iis habere victor, quibus multari eos velit, ipſius jus atque arbitrium eſt. Alterum, cum pares bello, æquo fœdere, in pacem atque amicitiam veniunt. Tunc enim repeti reddique per conventionem res, &, ſi quarum turbata poſſeſſio ſit, eas ant ex formula juris antiqui;*

tiqui; aut ex partis utriuſque commodo componere ſolent. Tertium genus, cum qui nunquam hoſtes fuerunt, ad amicitiam ſociali fœdere inter ſe jungendam coeunt, hi neque leges fœderis dicunt, neque accipiunt. Id enim victoris & victi eſt.

Publicè. b] Ut ergò juſtum bellum ſit. *Publice illud decretum* eſſe oportet, & quidem ita ut ejus rei ſignificatio ab altera partium alteri facta ſit: Unde *promulgata prælia* dixit Ennius. Cicero *Offic. lib.* 1. inquit, *At belli quidem æquitas ſanctiſſimè feciali Populi Romani Iure perſcripta eſt: ex quo intelligi datur, nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod aut rebus repetitis* geratur, *aut denunciatum ante ſit & indictum.* Requiritur denunciatio, ut certò conſtet, non privato auſu, ſed utriuſque populi aut populi capitum voluntate, geri bellum. Sed ubi vis illata arcetur, denunciatio non eſt neceſſaria. Thucidides. *Non eſt quod verbis & judiciis diſceptemus ultra verba læſi.* Ælianus ex Platone ait. *Quod ad propulſandam vim ſuſcipitur bellum, non à Caduceatore, ſed à natura indici.*

Latrones, aut prædones ſunt. c] Hi cum nullo publicè legitimeque, ex majorum more Gentiumque inſtitutis indicto bello graſſentur, & prædas agunt, *l. hoſtes* 24. *de capt. & poſtlim. reverſ. l ſuccurritur* 9. *de Quib. ex cauſ. major.* merito hic, & aliàs ab hoſtibus diſtinguuntur. *l.* 1. §. *removet de poſtul. vis hoſtium, prædonum, latronum, &c. l. in ratione. Ad Leg. Falcid. prædonum hoſtiumve incurſu. l.* 1. *de oblig.*

oblig. & action. Quintilianus *in declamat. de addicto manumiſſo.* inquit: *Plurimum autem refert an ſervire merito dicamus, & eos, qui in piratas inciderint, & eos, qui ab hoſte ſint capti.* A Latronibus capti; cum maneant liberi, teſtamentum facere poſſunt, non capti ab hoſtibus. *l. qui à Latronibus.* 13. *Qui teſtam. fac. poſſ.* Quod Nov. Leonis. 36. correctum.

LEX CXIX.

Idem Lib. III. *ad Quintum Mucium.*

H*Ereditatis* a appellatio ſine dubio continet etiam damnoſam hereditatem. *Juris* enim *nomen eſt* b, ſicuti bonorum poſſeſſio c.

EXPLICATIO.

Hereditatis. a] *Hereditas* quia univerſitatem quandam & jus ſucceſſionis demonſtrat, *l.* 208. *ff. hic.* & juris nomen eſt, *l.* 3. *ff. de bon. poſſ. l. hac.* & in jure conſiſtit; *l.* 1. *ff. de rer. diviſ.* ideò & ſine ullo corpore juris intellectum habet: *l.* 50. *ff. de petit. hered.* multò magis & ejus appellatione damnoſa continetur. Seneca *lib.* 2. *cap.* 49. *Natur. Quæſtion.* fallacia fulgura definit. *quæ per ſpecie in alicujus boni nocent, dant conſulatum malo futurum gerentibus: & hereditatem, cujus compendium magno ſit luendum, incommodo.* D. Ambroſius *lib.* 9. *Epiſtol.* *ad*

ad Clementiam. inquit: *Sunt heredes ſine re, & cum re.* Idem *lib.* 3. *de officiis. cap.* 11. *Non ego in adeundis hereditatibus digitorum percuſſiones, & nudi ſucceſſoris fabulationes notabo.*

Iuris enim nomen eſt. b] Et quidem univerſalis. Undè inanis hereditatis, vel obæratæ venditor, emptori evictionem non præſtabit. *l.* 1. *Cod. de evictiion.* Jus enim vendidit, non corpora ſingularia. *l.* 1. *de rei vind. l. heres.* 37. *de acquir. hered.*

Bonorum poſſeſſio. c] *Bonorum* quidem appellatio naturalis eſt, dicta enim à beando; *l. propriè.* 83. *junct. l. ſubſignatum.* 39. §. 1. *ff. hic.* poteſt tamen etiam civilis eſſe, quatenus Jus Honorarium partem conſtituit Juris Civilis, & bonorum poſſeſſores loco heredum eſſe dicuntur, & bonorum poſſeſſio pro hereditate. *l bonorum.* 49. *hic. l. hereditatis. l. heredis.* 170. *l. bonorum.* 208. *ff. hic. l.* 1. 2. 3. *ff. de bonor. poſſeſſ.* Et ut talis poteſt eſſe damnoſa: Bonorum poſſeſſio cum re & ſine re. *Vlpian. in fragm. tit.* 23. *in fin.* Semel admiſſa, commoda & incommoda hereditaria, itemque dominium rerum quæ in his bonis ſunt, tribuit. Nam hæc omnia in bonis ſunt conjuncta. In omnibus enim Bonorum poſſeſſores vice heredum habentur. *l.* 1. *l.* 2. *de bonor poſſeſſ.* Nec refert bona demum intelligi ea quæ beant quæque deductis oneribus poſſeſſoribus utilitatem adferant; *l. ſubſignatum.* 39. *l. bonorum.* 49. *l. proprie.* 13. *hic.* Id enim accipiendum eſt de rebus ſingulis. Hic verò bona univerſitatis ſucceſſionem ſignificant.

cant. *l bonorum.* 208. *inf. hic.* qua in jus demortui ſucceditur, ſuſcipiturque ejus rei commodum & incommodum, ſive bona ſolvendo ſint, ſive non *l.* 3. *de bon. poſſ.*

LEX CXX.

Idem Lib. V. *ad Quintum Mucium.*

VErbis Legis duodecim Tabularum his, *Uti legaſſit* a *ſuæ rei, ita jus eſto*, latiſſima poteſtas tributa videtur, & *heredis inſtituendi*, & *legata*, & *libertates dandi*, *tutelas quoque conſtituendi.* ſed id interpretatione coanguſtatum *b* eſt vel legum, vel auctoritate jura conſtituentium.

EXPLICATIO.

Legaſſit a] In lege itaque XII. Tabularum vox *legaſſe* accipiebatur non ſolum pro eo quod ſpecialiter in ultima voluntate donabatur, relinquebatur, diſponebatur; verum etiam pro eo, quod & tutorem dare, heredem inſtituere, exheredare, præterire, ſubſtituere. §. 1. *Inſt. de leg. Falcid. & hac l. Vigl. de teſtam. ord. in princ. num.* 33. In teſtamentis tamen verbum *legandi* ſimpliciter prolatum, inducit legatum, ſi adjectum fuerit rei particulari; *Bologn. rubr. ff. de legat.* 1. *num.* 99. ſi univerſitati, fideicommiſſum univerſale;

verſale; ut ſi teſtator dixerit, *lego Titio hereditatem meam. Bart. Iaſ. in l. centurio. ff. de vulg. & pup ſubſt.* ſiquidem alius heres univerſalis eſt inſtitutus; *Bologn. d. rubr. num.* 93. *& ſeq.* ſi non, inducit inſtitutionem. *Bald. Cornæus. l. 2. C. commun. de legat.*

Coanguſtatum. b] Puta lege *Furia*, (Quâ cautum Ne cui, niſi manumiſſoris cognato, certiſque aliis perſonis ſupra mille aſſes legare, mortiſve cauſſa donare liceret; quod ſi quis majorem ſummam ſibi legatam accepiſſet, quadruplum ejus quo plus quam licebat, accepiſſet, redderet. *Theoph. Inſt. de lege Falcid. Cicer. Pro Balbo & Verr.* 3. *Inſt. de leg. Falcid. Vlpian. tit.* 28.) *Voconia*; (Quâ cautum, Ne qui cenſus eſſet, id eſt, centum millia ſeſtertium poſſideret, *ut. §.* 2. *Inſt. de ſucceſſ. libert.* virginem, neve mulierem, ſupra quadrantem ſuorum bonorum, id eſt, ultra viginti quinque millia ſeſtertium, *ut ait Dio. lib.* 56. heredem inſtitueret: pluſve cuiquam legaret, quam ad heredem heredeſve perveniret. *Theoph. Inſt. de leg. Falcid. Cic. Verr.* 3. *de finib.* 2. *Dio. d. lib.* 56. *Gell. lib.* 7. *cap.* 13. *& lib.* 17. *cap.* 5. *Flor. lib.* 41. *Paul. lib. Sent.* 4.) *Falcidia*; (Quâ, inter alia cautum; nè plus teſtatori legare liceat, quam dodrantem bonorum ab ipſo relictorum, id eſt, ita modò, ut quarta pars eorum inſtitutis heredibus ſalva maneat. §. 2. *Inſt. l* 1. *ff. ad leg. Falcid.*) *Fuſia Caninia.* (Quæ libertatum conferendarum jus ad certum numerum reſtrinxit; ſed eam Juſtinianus ſuſtulit.

lit. *Inſt. de lege Fuſia Canin. toll.*) *Ælia Sentia*; (Quæ libertates in fraudem creditorum datas impedit. *princ. Inſt. quib. ex cauſ. manum. non lic.*) Nec non *Senatuſconſulto Pegaſiano*, & *Trebellejano de quib. vid. Aphoriſ. noſtros in Digeſt.* & *Methodic. noſtram* Codic. *Enarration.*

LEX CXXI.

Idem lib. VI. *ad Quintum Mucium.*

V*Sura* [a] *pecunia*, quam percipimus, in fructu non eſt: quia non ex ipſo corpore, ſed ex alia cauſa eſt; id eſt, nova obligatione.

EXPLICATIO.

Vſura. a] *Vſura*, ab *uſu* dicta, *Varr. lib.* 5. *de ling. lat. lib.* 16. *cap.* 12. eſt ſortis acceſſio, quam propter uſum pecuniæ à debitore creditor exigit. Debetur vel propter lucrum creditoris, ut quando pecunia eâ lege mutuò data eſt, ut uſus nomine contra contractus (qui gratuitus eſt) naturam, menſtruum aut annuum quid pendatur. *l. Titius.* 24. *ff. de præſcr. verb. l. alumnæ.* 30. *ff. de adim. legat.* propriè fœnus, *l. Præſidis.* 24. *ff. de reb. cred. l. ſi fundus.* 44. *l. ſi ita legatum.* 86. *ff. de legat.* 3. Civili Jure uſque ad certum finem, pro perſonarum conditione permiſſa: *l. eos qui.* 26. *C. de uſur.* Vel debetur propter *moram debitoris* non ſolventis;

propriè

propriè pœna; *l. lecta.* 40. *ff. de reb. cred. l. cum quidam.* 17. *§.* 3. *ff. de uſur.* uſque ad legitimum uſurarum modum ſtipulari permiſſa: *l. cum allegas.* 15. *C. eod.* Vel præſtatur, non propter nerum mutuationis officium, ſed *ut juſtum intereſſe*, quod habet creditor, eò quod pecuniâ ſuâ caret, compenſet. *l. eum qui.* 60. *ff. pro ſocio.* omninò licita. Undè nulla uſura, hic dicit Juriſconſultus, eſt in fructu, id eſt, naturaliter ex re oritur; ſed extrinſecus provenit; Debetur enim ex alia cauſa, puta *obligatione.* Quæ vel ſtipulatio, in ſtrictis judiciis, non nudum pactum, *l.* 3. *l. creditor. C. de uſur.* vel in bonæfidei contractibus, nuda conventio, *l.* 5. *C. de pact. int. empt. & vend. l.* 17. *§.* 4. *ff. de uſur. l.* 34. *§. in fin. ff. depoſiti.* aut mora. *d. l.* 17. *§.* 4. *l.* 32. *§.* 2. *ff. de uſur. d. l.* 5. Dicuntur uſuræ vicem fructuum obtinere, neque ab iis eſſe ſeparandæ. *l. uſura.* 34. *eod.* Quia ſi idonea cur petantur ratio ſubſit; conditionem fructuum ſequuntur, cum fructibus comparantur, ſæpe compenſantur. *l. patri.* 27. *l.* 1. *minor.* 4. *§. prædia. de minor. l. emptor. de rei vind.* Veluti ſi emptor tradita re fruatur, æquum eſt pretii non ſoluti uſuras pendere. *l. ult. de peric. & com. rei vend. l. Iulianus.* 12. *de action. empt. l.* 5. *Cod. eod. l.* 2. *Cod. de uſur.* Quamvis enim fructuum & uſurarum origo ſit diverſa *l. ſi navis. C.* 2. *de rei vind. & hic.* tamen æquitate conjunguntur, iiſdemque ferè cauſſis petuntur. Papin. *l.* 1. *de pignor.* dicit: *Placuit: ut ad diem non ſolutis uſuris fructus*

hypothecarum uſuris compenſarentur. Vid. l. 2. Cod. Theod. de præd. & mancip. Curial. Paulus *l. antepen. Quib. ex cauſ. pign. Acc. contrah.* inquit: *Cum debitor gratuitâ pecuniâ utitur, poterit creditor de fructibus rei ſibi pignoratæ ad modum legitimar. uſurarum retinere. vid. l. facta. 63. §. reſcripto. ad SC. Treb. l. antep. de evict. l. 1. Cod. de uſur. & fruct. legat. l. 1. Cod. de iis quæ ut indign.*

LEX CXXII.

Idem Lib. VIII. *ad Quintum Mucium.*

SErvius *a* ait: ſi ita ſcriptum ſit, *Filio filiiſque meis hoſce tutores do: maſculis* duntaxat *tutores datos:* quoniam ſingulari caſu hoc, *filio*, ad pluralem videtur tranſiſſe, continentem eundem ſexum *b*, quem ſingularis prior poſitus habuiſſet. Sed hoc facti, non juris habet quæſtionem *c*. Poteſt enim fieri, ut ſingulari caſu de *filio* ſenſerit, deinde plenius *omnibus liberis* d proſpexiſſe in tutore dando voluerit. quod magis rationabile videtur.

EX-

EXPLICATIO.

Servius. a] Quia teſtamentaria tutela omnium favorabiliſſima eſt, cum præter communem tutelarum favorem, habeat ſingularem favorem teſtamenti; ideò ſi qua de cauſſa minus ritè, minuſve apertè data videatur, interpretatione eſt adjuvanda, ut valeat & effectum habeat. Sicut adjuvari ſolent debentque omnia, quæ in jure favorabilia exiſtimantur. *l. cum quidam.* 19. *ff. de liber. & poſth. l. hoc modo.* 64. *in fin. ff. de cond. & dem.* Hinc ſi quis plures filios impuberes habens, filio tutorem dederit, aut filiis, aut filio & filiis, tam filiis omnibus, quam filiabus tutorem dediſſe videtur. Filiorum enim appellatione & filiæ continentur, *l ſi quis.* 16. *ff. de teſtam. tut. l. hac. l.* 1. *l. filii.* 84. *l. inter ſtuprum.* 101. §. *fin. l. quiſquis.* 116. *ff. hic. l. ſi ita ſcriptum.* 45. *ff. de legat.* 2. nec ulla ratio dari poteſt cur magis uni quam aliis proſpicere voluiſſe teſtator videretur.

Sed hoc facti, non juris habet quaſtionem. b] *Facti quaſtio* eſt, in qua de voluntate & ſententia tractatur; utrum quis voluerit, ſenſerit. In qua quæritur factum quid, nec ne ſit. Nam ita voluntas & animus facti dicitur. *Iuris quaſtio* eſt, cum de facto conſtat & convenit, & in eo quæritur quid juris. *Angel. in l. eum quem.* §. 1. *de judic. Duaren. cap.* 41. *lib.* 1. *diſput. & in ſuo Scavola. ad leg. qui Roma. Augerius. de verb. oblig.* Non reſpondet ad quæſtionem fa-

ƈi JCtus. *l. pen. de impenſ. in res dot. fact. l. antepen. de diverſ. temp. præſcript. Quintilian. lib.* 4. *cap.* 2. *lib.* 7. *cap.* 7. Veluti cum definitione, de mora contractæ, aut quanti cujuſque interſit. JCti rogantur rejiciunt. *l. mora.* 32. *de uſur. l. quatenus.* 24. *de reg. jur. Tu magis ſcire potes. l.* 3. *de teſtib.* JCtus *in l. pen. de Lege Fab. de plagiar. Facti quæſtio eſt, & ideo me conſuli ea de re non oportet.*

Eundem ſexum. c] Quia in teſtamentis ob diſcrimen ſexus *filiabus* dici conſueverat; *ait Plinius*

Liberis. d] Intellige aliis *filiis*, non *nepotibus*; Quia appellatione filiorum, omnes liberi, in diſpoſitione hominis, non comprehenduntur. §. *fin. Inſt. qui dare tut. vid. ſup. l. filium.* 84. Dixit JCtus *liberis*, elegantiæ cauſſa, ne bis idem verbum repeteret. *Alciat. & Alberic. hic.*

LEX CXXIII.

Idem Lib. XXVI. *ad Quintum Mucium.*

VERBUM *erit* a interdum etiam *præteritum*, nec ſolum *futurum tempus* demonſtrat, quod eſt nobis neceſſarium ſcire, & cum codicilli ita confirmati teſtamento fuerint, *Quod in Codicillis ſcriptum erit*, utrumne futu-

futuri temporis demonſtratio fiat, an etiam præteriti, ſi ante ſcriptos codicillos quis relinquat. Quod quidem ex voluntate ſcribentis interpretandum eſt. Quemadmodum autem hoc verbum *eſt* b, non ſolum præſens, ſed & præteritum tempus ſignificat: ita & hoc verbum *erit*, non ſolum futurum, ſed interdum etiam præteritum tempus demonſtrat. nam cum dicimus, *Lucius Titius ſolutus eſt* [*ab*] *obligatione:* & præteritum & præſens ſignificavimus: ſicut hoc, *Lucius Titius alligatus eſt.* & idem fit, cum ita loquimur, *Troja capta eſt.* non enim ad præſentis facti demonſtrationem refertur is ſermo, ſed ad præteritum.

EXPLICATIO.

Verbum erit. a] Verbum *erit* non ſemper futurum, ſed interdum præteritum tempus ſignificat. *hic ait ICtus.* ut ſi in teſtamento dictum ſit. *Quod in codicillis ſcriptum erit, vel quod quibuſve tabulis reliquero, valere volo*; intelligentur hæc verba; Cum moriar, quodcunque codicillis, vel tabulis reperietur ſcriptum, ſive ante teſtamentum tabulæ ſcriptæ ſint, ſive

 poſt.

poſt. *l. Plotiana.* 18. *ff. de jure codicill.* Regulariter tamen tempus futurum, neque ad præſens, neque ad præteritum refertur, niſi diſpoſitio tractum habeat; ut quia in futurum quoque duret: ut ſi quis promittat, quod dolus malus aberit, intelligetur etiam in præſenti non adſit, cum qui hodie dolus adſit, & in poſterum perſéveret *l. noviſſima.* 19. *ff. judic. ſolvi.*

Verbum eſt. b] Ut per verbum *erit*, interdum præteritum tempus demonſtramus, ita & per verbum *eſt*; puta ſi adjunctum participium id ſuadeat, ut cum dicimus *Troja capta*; aut cum id præteritum etiam nunc durat. *l.* 15. *qui in puteum.* 11. §. *quod ait.* 4. *ff. quod vi aut clam.* Aliàs propriè præſens notat, demonſtrationemque continet. *l. inter veſtem.* § *item ſcribit. ff. de auro & arg. leg. vid. ſupra. l. verbum oportebit.* Rationem hujus varietatis proponit Aulus Gellius *Noct. atticar. lib.* 17. *cap.* 7. Dicens in ſumma: Poſt multam & Grammaticorum & Juriſconſultorum diſputationem obtinuiſſe verba *eſſe*, *eſt*, & *erit*, per ſe poſita nativum ſuum tempus retinere. Si vero junguntur alterius temporis nominibus, quia cum iis videntur coaleſcere & confundi, vim ſui temporis interdum aut deponere, aſſumptâ ejus cui adjiciuntur, aut extendere, & utrumque tempus recipere.

LEX CXXIV.

Proculus lib. II. *Epiſtolarum.*

HÆc verba, *ille aut* [a] *ille*, non ſolum *disjunctivæ*, ſed etiam *ſubdisjunctivæ* orationis ſunt. *Disjunctivum* b eſt; Veluti cum dicimus, *aut dies, aut nox eſt.* quorum poſito altero, neceſſe eſt tolli alterum: item, ſublato altero *c*, poni alterum. item ſimili figuratione verbum poteſt eſſe ſubdisjunctivum. *Subdisjunctivi* d autem genera duo ſunt *Unum*, cum ex propoſitis finibus ita non poteſt uterque eſſe, ut poſſit neuter eſſe. Veluti cum dicimus, *aut ſedet, aut ambulat.* nam ut nemo poteſt utrumque ſimul facere: ita aliquis poteſt neutrum, veluti is, qui accumbit. *Alterius* generis eſt, cum ex propoſitis finibus ita non poteſt, neuter eſſe, ut poſſit utrumque eſſe, veluti. cum dicimus, *omne animal aut facit, aut patitur.* nullum eſt enim, quod nec faciat, nec patiatur: at poteſt ſimul & facere, & pati.

EXPLICATIO.

Aut. a] *Aut* non ſolum *disjunctiva*, ſed & *ſubdisjunctiva* orationis eſt: dicit JCtus. Hujus ea vis eſt, ut alterum fieri ſatis ſit. *l. ſi is qui.* 13. §. *utrum. ff. de reb. dub. l. cum pupillus.* 78. §. 1. *ff. de cond. & demonſtr. l.* 25. *ff. quand. dies legat. ced. l. cum illud.* 25. *ff. quand. dies leg.* Sæpe etiam disjunctam, *aut*, pro conjuncta accipi Paulus ſcribit. *ſupra l. ſæpe.* 53. §. *hic.* cum dico; *Quod dedi aut donavi*; quod & Juſtianus probat, *l. pen. C. eod.* ut in Interdicto quod vi aut clam. Hinc qui ſibi, aut filio, aut cuilibet extraneo ſtipulatur, manifeſtè filii extraneive perſonam complectitur. *ut Iulianus ait. l. eum qui* 56. §. *qui ſibi. ff. de verb. oblig.*

Disjunctivum. b] In disjuncto ſeu disjunctivo proloquio, ut appellat Gellius. *lib.* 5. *cap.* 11. *neceſſe eſt alterum ex duobus quo disjunguntur, verum eſſe:* vel, ut Cicero in Topicis, *in disjunctione plus uno eſſe verum non poteſt.* Ita ut uno poſito, alterum ſeu reliquum tollatur, ac viceverſa, Cum contraria immediata ſimul vera eſſe non poſſint.

Simili figuratione. c] Id eſt, forma, modo figura. *l.* 1. *de oblig. & action. l. mortis* 31. *de mortis cauſſa donat.*

Subdisjunctivi. d] In ſubdisjunctivo poteſt neutrum eſſe, vel utrumque. Quod JCtus ſatis fusè hic explicat. Nos cum hæc omnia magis ad Grammaticum pertineant, & ſupra de iis *l. conjunctionem.* 29. *l. ſæpe.* 53. nonnihil egerimus,

mus, hic latius de his tractare ſuperſedemus. Tantum hoc addimus disjunctivum & ſub disjunctivum priſcis fuiſſe, quod noſtris alternativum.

L E X C X X V.

Idem Lib. V. *Epiſtolarum.*

NEpos[a] Proculo ſuo ſalutem. Ab eo, qui ita dotem promiſit, *Cum commodum erit, dotis filiæ meæ tibi erunt aurei centum*, putaſne protinus nuptiis factis dotem peti poſſe? quid, ſi ita promiſiſſet, *Cum potuero, doti erunt?* quod ſi aliquam vim habeat poſterior obligatio, *poſſit* verbum quo modo interpretaris? utrum æræ alieno deducto, an extante? Proculus: Cum dotem quis [ita] promiſit, *Cum potuero, doti tibi erunt centum:* exiſtimo ad id, quod actum[b] eſt, interpretationem redigendam eſſe. Nam *qui ambigue c loquitur, id loquitur, quod ex his, quæ ſignificantur, ſenſit:* propius eſt tamen, ut hoc eum ſenſiſſe exiſtimem, deducto ære[d] alieno potero. Poteſt etiam illa accipi ſignificatio, cum ſalva dignitate mea potero, quæ inter-

pretatio cò magis accipienda eſt, ſi ita promiſſum eſt, *cum commodum erit*; hoc eſt, cum ſine incommodo meo potero.

EXPLICATIO.

Nepos. a] Dos à ſocero, *cum poterit*, vel *commodum erit*, vel *commodiſſimum* promiſſa, non ſtatim nuptiis ſecutis debetur, ſed cum deducto ære alieno, & ſalva dignitate poterit. *l. avus.* 78. §. 1. *ff. de jure dot.* Nec enim poſſe videtur, qui non poteſt, niſi inhoneſtè, cum primum incipit juſtè poſſe, primum incipit teneri. *l. ult. ff. de cond. inſt. l.* 29. *ff. de cond. & demonſt. l.* 29. *ff. quand. dies leg.* cum res promiſſori in tuto eſſe incipit. *l.* 80. *ff. de verb. oblig.*

Actum. b] *Actum* eſt contrahentium mens & voluntas. Quæ in conventionibus potius, quam verba ſpectanda. *l. in conventionibus* 219. *ff. hic.* Verba tamen ſi ſint certa & clara ab eis non eſt recedendum, *l. Labeo. ff. de ſupell. leg. l. non aliter. ff. de legat.* 3. niſi de mente conſtet expreſſa vel præſumta. *l. cum avus.* 102. *ff. de cond. & demonſt.*

Ambiguè. c] Chryſippus ait *omne verbum ambiguum natura* eſſe, *quoniam ex eodem* duo *vel plura accipi poſſunt.* Diodorus autem, cui Crono cognomentum fuit; *Nullum*, inquit, *verbum* eſt *ambiguum: nec quiſquam ambi-*

guum

guum dicit, aut ſentit; nec aliud dici *videri debet* quam *quod ſe dicere ſentit is qui dicit: at cum ego*, inquit, *aliter ſenſi, tu aliud accepiſti: obſcurè magis dictum quam ambiguè videri* poteſt, Ambigui enim verbi natura illa eſſe debuit, ut qui id diceret, duo vel plura diceret. Nemo autem duo vel plura dicit, qui ſe ſentit unum dicere. *Aul. Gell. Noct. Attic. lib.* 11. *cap.* 12.

Deducto are alieno. d] *l. ſunt qui.* 163. *cum ſeqq. de re judic.* Quare ſi egenus & obæratus filiæ profectitia bona habenti ſimpliciter & indiſtinctè dotem promiſerit, vel dederit: ſe potius liberando, quam libertatem in filiam exercendo, cogitaſſe cenſetur. *l. ult. Cod. de dot. promiſſ.* Cum nemo in neceſſitate beneficus & liberalis præſumatur. *l. ſi quidem.* 24. *Cod. de tranſact. l. rem legatam.* 18. *de adim. legat.*

LEX CXXVI.

Idem Lib. VI. *Epiſtolarum.*

SI, cum fundum *a* tibi darem, legem ita dixi; *Uti optimus maximuſque eſſet:* & adjeci; *jus fundi deterius factum non eſſe per dominum*, præſtabitur: amplius eo præſtabitur nihil: etiam ſi prior pars, qua ſcriptum eſt, *uti optimus maximuſque ſit*, liberum eſſe ſignificat, eoque ſi poſterior pars

 adje-

adjecta non eſſet, liberum præſtare deberem. tamen inferiore parte ſatis me liberatum puto, quod *ad jura* b attinet, nè quid aliud præſtare debeam, quam jus fundi per dominum deterius factum non eſſe.

EXPLICATIO.

Si cum fundum. a] Qui fundum *uti optimus maximuſque* eſt; vendit, cum à ſervitute omni liberum præſtare debet, *l. qui uti.* 90. *l. non tantum.* 169. *ff. hic.* non dominantem. *l. quod ad.* 75. *ff. de evictione.* At ſi adjecerit. *jus fundi per dominum*, id eſt, ſe, *deterius factum non eſſe:* clauſula illa *optimus maximus* reſtringetur, & ſic non tenebitur venditor ob ſervitutes fundo ab aliis impoſitas. Subſequens enim ſpecialis clauſula, nè fruſtra adjiciatur, præcedentem generalem arctat. *Bald. l. quoties. C. fam. erciſc. l. quæſitum. ff. de fund. inſtr.* Niſi aliter actum fuiſſe appareat.

Quod ad jura. b] Nam jus deterius factum non promiſſum eſt. Jura fundi quæ ſint vid. ſupra. *l.* 86. *hic.*

LEX CXXVII.

Calliſtratus Lib. IV. *de Cognationibus.*

VEſtis a appellatione tam *virilis*, quam *muliebris* & *ſcanica*, etiam ſi in

ſi in *tragica*, aut *citharædica* ſit, continetur.

EXPLICATIO.

Veſtis. a] *Veſtes* ſive veſtimenta (nihil enim intereſt. *l. veſtis.* 23. *l. inter.* 33. *ff. de aur. & arg. leg.*) quædam *viriles* ſunt, quæ ſcilicet ipſius patris-familias cauſſâ paratæ ſunt, & quæ ad uſum virilem, ſalvo pudore, attinent: quædam *muliebres*, quæ ad uſum matrisfamilias ſpectant quibus vir non facilè uti poteſt ſine vituperatione: veluti, ſtolæ, pallia, tunicæ, capitia, zonæ, mittæ. *l.* 23. *§. veſtimenta. ff. de aur. arg. leg. Paul. lib.* 3. *ſent. tit.* 6. Varro *lib. de ling latin.* inquit ut tunicam virilem & muliebrem dicimus, non eam quam habet vir, aut mulier, ſed eam quam habere ex inſtituto debet (poteſt enim muliebrem vir, virilem mulier habere, & in ſcena ab actoribus haberi videmus) ſic eam muliebrem, quæ de eo genere eſt, quo indutæ mulieres, ut uterentur, eſt inſtitutum. Mens tamen legantis hac in re inſpicienda: *l. inter veſtem.* 33. *ff. de aur. & arg. leg.* ut ſi teſtator ſolitus fuerit uti quadam veſte, quæ etiam mulieribus conveniens, ea virilis appellatione contineatur. *vid. & l. ſi mihi.* 110. *§.* 1. *ff. de verb. oblig.* Veſtis abſolutâ appellatione tam virilis, quam muliebris etiamſi tragica, aut citharædica ſit, continetur. *hac. l. & l.* 15. *§. & ſi veſtimentorum. cum. §. ſeq. ff. de uſufruct.* Imò *veſtis* appellatio latior eſt: nec ſolum conti-

continet, quæ induuntur, ſed & quæ præcinguntur, amiciuntur, inſternuntur, injiciuntur, quibuſque incubamus. *l. veſtis.* 23. *de auro & arg. leg. l. inſtratum.* 45. *ſup. hic.* Niſi itaque teſtator vel promiſſor expreſſerit certam ſpeciem, aut legati; vel perſona, aut promiſſionis circumſtantiæ ſuadent, ut non de omni veſte; ſed de virili, vel muliebri, aut familiari accipiatur, vocis generalitati erit ſtandum, & omnia veſtimentorum genera, quotquot teſtator habuerit, vel promiſſor complexus eſt, debebuntur. *l. hoc. d. l. veſtis.* 23. *d. l. inſtratum.* At ſi circumſtantia diſſuadeat. *Vt ſi maritus uxori, aut uxor marito, omnium veſtimentorum uſumfructum legavit*; illæ veſtes, quibus maritus aut uxor ſine dedecore uti non poſſit, exceptæ intelliguntur: puta in legato uxori facto, omnes veſtes tantum viriles, in legato marito facto omnes veſtes ſolæ muliebres. *Caſtrenſ. in conſil.* 381. *num* 3. *part.* 1. *per d. l veſtes* 23. *§. muliebria. l. cum in rem. ubi gloſſ. de rei vind. Goed. hic.*

LEX CXXVIII.

Vlpianus Lib. I. *ad legem Juliam & Papiam.*

SPadonum [a] generalis appellatio eſt: quo nomine tam hi, qui natura [b] *Spadones* ſunt; item *thlibiæ*, *thlaſiæ*: ſed

ſed & ſi quod aliud genus Spadonum eſt, continentur.

EXPLICATIO.

Spadonum. a] *Spadonum* nomen à Græco *σπάω* deductum. Quod non ſolum pro *evello*, ſed etiam pro *detorqueo* & *contorqueo* à Græcis accipitur. Undè hic rectè Ulpianus dicit Spadonum appellationem generalem eſſe. *ut & in l. ſi ſerva. §. ult. ff. de jur. dot. l.* 4. §. *Item Divus. ff. ad l. Corn. de ſicar.* §. *ſed & illud. Inſt. de adopt. & ibi Theoph. & Harmenop. lib.* 2. *tit.* 8. *in princ. Epitom.* Comprehendit enim non ſolum qui natura *Spadones* ſunt, hoc eſt, quibus natura vaſa ſeminaria & virilia ſunt diſtorta, vel exacta, aut inutilia; item qui ſunt *thlibiæ*, quibus teſtes attriti; *thlaſiæ*, quibus teſtes fracti; ſed & ſi quod aliud genus *Spadonum* eſt, puta ſi ſint *caſtrati*; vel quibus excili; colliſi; contuſi; aquâ calente, aut herbarum ſuccis eunuchi facti. Caſtrare vel thlibias, thlaſias facere in orbe Romano capitale eſt: *l.* 1. *C. de eunuchis. l.* 4. §. *ult. l.* 5. *ff. ad leg. Corn. de ſicar.* & non tantum mancipium, ſed & locus in quo facinus ſciente domino admiſſum, fiſco addicitur: *d. l.* 1. qui mancipium caſtrandum tradidit, dimidiæ bonorum partis confiſcatione, *l.* 6. *ff. eod.* qui ſeipſum, ſi liber, capite punitur. *d. l.* 4. §. *ult.* Juſtinianus talionis pœnam cum publicatione bonorum in caſtrantes ſtatuit. *Novel.* 142. D. Auguſtinus *quæſt.* 115. *veteris*

teris & Novi teſtam. Eunuchos in Regno Romano fieri non licet; apud alios licet. D. Chryſoſtomus *in cap.* 1. *Epiſt. ad Rom.* δι' οὐδὲν δὲ ἕτερον τοὺς εὐνούχους ποιοῦντας κολάζουσιν οἱ νομοθέται, ἢ ὅτι φύσιν ἀκρωτηριάζουσιν. Ammian. Marcellin. *lib.* 18. *Hiſtor.* inquit: *Iuvat veterem laudare Domitianum, qui receptiſſima inclaruit lege: qua minaciter interdixerat, nè intra terminos juriſdictionis* Romanæ *caſtraret quiſquam puerum.* Idem teſtatur de Eo Suetonius *in ejus vita. cap.* 7. De Nerva Dion ſeu Xiphilinus. Alexander Severus, Lampridio teſte, eunuchos de miniſterio ſuo abjecit. Tertium genus hominum eſſe dicebat, nec videndum, nec in uſu habendum à viris; ſed vix à fæminis nobilibus. D. Gregor. Nazianzenus *in laudibus Heronis*; eoſdem ſugillat: *quod neque virorum, neque mulierum nomine habendi ſint.*

Natura. b] Hi, cum vitio, per quod meatus coli diſtortus, remoto, generare queant, *Galen.* 15. *de uſu partium apud Pratejum.* poſſunt matrimonium contrahere, *l. ſi ſerva.* 39. *§.* 1. *ff. de jur. dot.* & matrimonii cauſſa manumittere, *l.* 24. *in fin. ff. de manumiſſ.* adoptare, *l.* 2. *in fin. l.* 40. *§. fin. ff. de adoption.* heredem inſtituere, *l.* 6. *ff. de lib. & poſthum.* quod in caſtratis non eſt: in eo tamen ſunt æquales, quod utrique teſtamentum poſſunt facere. *vid. l.* 5. *C. qui teſtam. fac. Paul. lib.* 3. *ſent. §.* 2.

LEX

LEX CXXIX.

Paulus Lib. I. *ad Legem Juliam & Papiam.*

QUi *mortui* [a] naſcuntur, neque *nati*, neque *procreati* videntur: quia nunquam *liberi* appellari potuerunt.

EXPLICATIO.

Qui mortui. a] *Mortui* qui naſcuntur, neque *procreati* videntur, neque *filii* appellantur; aborſus, vel abactus venter partum efficere non videtur, *Paul. lib.* 4. *ſent.* 15. *tit.* 9. § 6. undè abortu facto finitur miſſio in poſſeſſionem: *l.* 1. *in fin. ff. de vent. in poſſ. mitt.* qui mortuus natus non rumpit teſtamentum: *l.* 2. *C. de poſth. hered. inſt.* imò nec abortivus, puta vivus quidem natus, ſed ita ut ſecundum naturam vivere non poſſit. ut ante menſem ſeptimum. *l.* 2. 3. *eodem. Socinus in l. cum avus. ff. de cond. & demonſtr.* Non idem eſt in eo qui exſecto ventre matris, ſi tamen aliquamdiu vixerit, natus eſt. *l. qua dicitur.* 12. *ff. de lib. & poſth. l.* 6. *in fin. ff. de inoff. teſt. l.* 141. *ff. hic.*

LEX

LEX CXXX.

Ulpianus Lib. II. *ad Legem Juliam & Papiam.*

LEge a obvenire *hereditatem* non impropriè quis dixerit & eam, quæ *ex teſtamento* defertur: quia lege duodecim Tabularum teſtamentariæ hereditates confirmantur *b*.

EXPLICATIO.

Lege. a] *Legitima* ergò hereditas non tantum dici poteſt quæ ab inteſtato, *l.* 1. *ff. de ſuis & legit.* ſed & quæ ex teſtamento *l.* 2. *in princ. ff. famil. erciſc.* ſive extraneis, ſive legitimis heredibus defertur. Quia lex XII. Tabularum *hereditatem teſtamentariam* confirmavit; dum conſtituit. *Uti quis rei ſuæ legaſſet, ita jus eſſe. l. verbis.* 120. *ff. hic. Illam* Ariſtoteles vocat κατὰ γένος, *Hanc* κατὰ δόσιν. Frequentiorem autem atque honeſtiorem videri eam, quæ non ex teſtamento ſed jure ſanguinis proximiori defertur agnato: *Politicor. lib.* 2. id eſt, natura pariter legiſque prærogativa. *ſeq. l. ult. Cod. Theod. de legitim. hered.* Et ſi verum amamus, ea demum legitima dicenda hereditas, quæ à Lege XII. Tabul. Edictis, Senatus Conſultis, vel quâ alia juris parte ab inteſtato defertur. *l.* 3. §. *de illo. pro ſocio. l. pen. de ſtatu homin.* §. *cæterum.*

cæterum. Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ. l. is autem. 11. *de jure patron. l. capitis.* 11. *de ſuis & legit. hered. l.* 1. *&* 2. *ad SC. Tertyll.* Hinc teſtamentaria ac legitima hereditas, & heres legitimus ac teſtamentarius perpetuò opponuntur. *d. l.* 3. §. *de illo. l. controverſia.* 14. *de tranſact. l. pen. de except. rei judic. l. ſi quis ita heres.* 82. *de hered. inſtit. l.* 1. *ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam. l. proponebatur.* 9. *in fin. de caſtrenſ. pecul. & alibi.* Teſtamentarius ergò heres, minus propriè legitimus, *l. nam.* 15. *cum ſeq. de inoffic. teſtam.* imò non legitimus perſpicuè vocatur. *l. generaliter* 24. *de fideic. lib.* Verumtamen propter confirmationem legis non impropriè obvenire lege videtur & ea hereditas, quæ defertur teſtamento *Forner. hic.*

Confirmantur. b] Qui ergò confirmat dare videtur; *l.* 5 *l. ſeq. de juriſdict. l.* 77. *de hered. inſtit.* ſi quidem actus à mera confirmantis voluntate ſubſtantiam ſumat: *l. adoptio. ff. de adoption.* aliàs non; ut cum heres aureos centum Titio, cui eos autor ejus jam legaverat, rurſus legat. *l. unum.* § *fin. ff de legat.* 2.

LEX CXXXI.

Idem Lib. III. *ad Legem Juliam & Papiam.*

ALiud *fraus a* eſt, aliud *pæna. Fraus* enim ſine pœna eſſe poteſt: *Pæna* ſine fraude eſſe non poteſt.

Pœna

Pœna eſt noxæ vindicta: *Fraus* & ipſa noxa dicitur, & quaſi pœnæ quædam præparatio [b].

EXPLICATIO.

Aliud fraus. a] *Fraus*, à *ferendo dicta*, eſt deceptio, quæ alicui infertur. Apud veteres pro pœna ſumebatur; *ut ſcribit* Servius *in* 11. *Æneid.* exponens illud:

——— ——— *Quis Deus in fraudem*,
Quæ dura potentia noſtra egit.

Saluſtius: *Senatus Catilinam & Manlium hoſteis judicat: cætera multitudini diem ſtatuit, antequam ſine fraude liceret ab armis recedere.* Frontinus *ſub. fin. libri de Aquæduct. poſterior.* inquit: *Idque iis ſine fraude ſua facere liceat, jus poteſtaſque eſto.* Sic in Veteris Legis Fragmento: *Qui eam provinciam obtinere, eam pecuniam ei ſcribæ ſolvito idque ei ſine fraude ſua facere liceto.* Conſentit Ulpianus in *l. cum autem.* 23. §. 2. *ff. de Ædil. Edict.* Hic eam à *pœna* differre vult. Quia *fraus* ſine *pœna* eſſe poteſt, quippe omnis fraus damnum affert, & quicquid damno afficit *fraus* appellatur. *vid. l. ſi longius.* 18. *verſ. unde. ff. de judic. l. inter eos.* 33. *ff. ex quib. cauſ. major. l.* 1. *ff. de alien. jud. mut. cauſ.* At non omne damnum *pœna* dicitur, cum hæc ad vindictam criminis ſolum imponatur. *Damnum* autem eſt quicquid detrimentum aut moleſtiam alicui exhibet, etiam ſi non ulciſcendi ſceleris cauſſa. *Pœna* verò ſine fraude eſſe ne-

ſe nequit, quia nulla pœna non damnum dat. Secundò *Pœna* eſt tantummodo commiſſi criminis vindicta: Pœna enim, noxam ſive peccantem ſequitur. *l.* 1. *ff. ſi quadr. paup. ſec. dic.* §. 1. *Inſt. de noxal. act.* ſicuti lepra leproſum. *l. fin. ff. eod. l.* 1. *C. eod. l.* 4. *ff. ſi ex noxal. cauſ. agat.* ut ubi hæc non ſit, nec illa exiſtat, & ubi illa ſit, & hanc eſſe oporteat: At *fraus* & crimen ipſum & criminis pœnam ſignificat. Undè & fraudem capitalem admittere, id eſt, crimen capitale. *d. l. cum autem.* 23. § 2.

Quaſi pœna quadam præparatio. b] *Fraus* enim propriè non pœnam, ſed delictum, peccatum, culpam, machinationem, calliditatem, damnum culpa datum, reſarciendum, vel luendum, atque ita pœnæ præparationem, ſeu cauſſam ſignificat. *l.* 6. *l. contra.* 29. *l. fraus.* 30. *de legib. l.* 7. §. *ait. Prætor. de pact. l. fin. ſi Famil. furt. ſeq. dic. d. l. cum autem* 23. §. *excipitur. l. in fraudem. de jure fiſci.* Verum tamen propter naturalem & arctiſſimam cauſæ effectuſque copulationem, ſæpe *Fraudem* per metonymiam ipſam ſignificat pœnam damnique æſtimationem ac refuſionem.

IDEM §. 1.

INter *multam* a autem & *pœnam* multum intereſt; cum *pœna* generale ſit nomen, omnium delictorum coërcitio: *multa* ſpecialis *b* peccati; cujus

cujus animadverſio hodie [c] pecuniaria eſt, *pœna* autem non tantum pecuniaria, verum capitis & exiſtimationis irrogari ſolet. & *multa* quidem ex arbitrio [d] ejus venit, qui *multam* dicit: *pœna* non irrogatur, niſi quæ quaque lege, vel quo alio jure ſpecialiter huic delicto impoſita eſt. quinimò *multa* ibi dicitur, ubi ſpecialis [e] *pœna* non eſt impoſita. Item *multam* is dicere poteſt [f], cui judicatio data eſt. Magiſtratus ſolos & Præſides provinciarum poſſe *multam* dicere, mandatis permiſſum eſt. *pœnàm* autem unuſquiſque irrogare poteſt, cui hujus criminis ſive delicti exſecutio competit.

EXPLICATIO.

Inter multam. a] *Mulctam* (ait Feſtus *lib.* 11.) Oſce dici putant pœnam quandam. M. Varro ait pœnam eſſe, ſed pecuniariam. *lib.* 4. *ling. lat.* vel *lib.* 19. *rerum humanarum apud Gellium Noct. attic. lib.* 11. *cap.* 1. vocabulum ipſum mulctæ non latinum, ſed Sabinum eſſe dicit: idque ad ſuam memoriam manſiſſe ait in lingua Samnitium, qui à Sabinis orti: Sed turba Grammaticorum novitia (addit ibidem Gellius) eam κατ' ἀντίφρασιν à mulcendo ut quædam alia ita: hoc

hoc quoque dici tradiderunt. Juriſconſultus *multa* à *pœna* differt. *Pœna* enim quælibet coërcitio eſt; *Multa* ſolius pecuniæ: *Pœna* certa eſt, legeque expreſſa; *Mulcta* ab jus dicentis arbitrio pendet. *l. ſi qua pœna.* 244 *ff. hic.* *Pœna* à quocunque Judice, cui criminis executio demandata, infligi poteſt; *Multa* ab ordinariis & qui pro tribunali ſedent tantummodo. *l.* 2. §. *fin. ff. de judic.* *Mulcta* fiſco datur: *l. pen. C. de mod. mulct.* *Pœna* etiam parti applicari poteſt: *Mulcta* infamiam non irrogat; *l.* 1. *C. eod.* *Pœna* non poteſt non ignominiam afferre. *l. non poteſt.* 63. *ff. de furt. l. Divus.* 40. *ff. de judic. l. palam.* 1. *ff. de ritu nupt.* Eſt enim omnis infamia juris pœna, at non mulcta. *tot. tit. ff. & C. de his qui not. infam.*

Specialis. b] Ut cum in jus vocatus non paret, *l.* 2. *C. de Epiſcop. aud.* jus dicentem contemnit, in munere ſibi impoſito per deſidiam ceſſat. *l.* 1. *C. de ſportul.*

Hodie. c] Apud antiquos; *inquit Varro & Feſtus, vid. & Gellium d. loc.* mulctabantur in minoribus criminibus ovibus duabus: in majoribus triginta bubus, nec ultra hunc numerum excedebat mulctatio: qua poſteaquam ære ſignato uti civitas cæpit, pecoraque mulctatitia incuria corrumpebantur, (Undè etiam peculatus nomen uſurpari cæptum eſt.) Lege Aterina facta eſt æſtimatio pecoralis mulctæ, & boves centenis aſſibus, oves denis æſtimatæ. Inde ſuprema mulcta, id eſt, maxima appellata tria millia eris. item viceſſis, minoribus delictis.

Ex

Ex arbitrio. d] Non ita ut in infinitum mulctam Judici dicere liceat, *l.* 5. *C. quand. provoc. non eſt nec.* ſed modus & quantitas, quam quiſque in multa dicenda ſequi debet, conſtituta: quam ſi excedat, præter hoc quod ſententia ipſo jure non valeat; *d. l.* 5. duplum mulctato reſtituit, & ſimplum fiſco infert. *l. fin.* §. 4. *C. de mod. mulct.*

Specialis. e] Tum pœnam arbitrariam imponit Judex, cum nulla ſpecialis pœna lege impoſita eſt. *l.* 1. §. 1. *ff. de expilat. l.* 3. *C. de ſerv. fugit. l.* 14. *C. qui accuſare.*

Poteſt. f] Lege *mulctam* dicere non poteſt, cui judicatio data eſt, id eſt, quia Prætore, vel Præſide, vel alio Magiſtratu datus eſt Judex. Quia ſtatim ſequitur *Magiſtratus ſolos & Præſides provintiarum poſſe mulctam dicere mandatis permiſſum eſt.* Sic enim ſcribit JCtus ut Judices datos & pedaneos excluderet, qui licet à Magiſtratibus tam urbanis in urbe, quam provincialibus in provinciis, dentur, Magiſtratus tamen non ſunt, adeòque nec juriſdictionem ullam habent; ſed tantum judicationem, *l. ait Prætor.* 5. *ff. de re judic.* id eſt, judicandi facultatem. *l. ult. verſ. ſed nequis ita. C. ubi & apud quem cogn. in int. reſt. agit.* Nec ſane niſi falſo quiſquam dixerit Judicem à Prætore vel Præſide datum habere jus mulctæ dicendæ. Nam ſi nec Magiſtratibus Duumviris & Municipalibus hoc jus datum eſt, nequidem ut propriam juriſdictionem quam habent tueantur; *l. un. ff. ſi quis jus dic. non obt.* nec

rurſus

rurſus procuratoribus Principis & rationalibus, nec Curatori Reipublicæ, *de quibus in l. 2. & 3. C. de mod. mulct.* quantò minus hoc jus ſibi vindicare poterunt Judices dati; qui neque Magiſtratus ſunt, neque ullam habent juriſdictionem. *Ant. Fabr in ration. ad l. 2. §. fin. ff. de judic.* Ita jure Veteri; Jure novo omnibus Judicibus, etiam à Magiſtratu majore Delegatis, mulctæ dicendæ licentia data. *l. 3. C. de ſport. & ſumpt. in div. jud.*

LEX CXXXII.

Paulus Lib. III. *ad Legem Iuliam & Papiam.*

ANniculus [a] amittitur, qui *extremo anni die* moritur: & cunſuetudo loquendi id ita eſſe declarat, Ante diem [b] decimum Kalendarum, poſt diem decimum Kalendarum. neque utro enim ſermone undecim [c] dies ſignificantur.

EXPLICATIO.

Anniculus. a] *Anniculus* dicitur tam de animatis, quam de inanimatis, quæ ſunt unius anni, ut *anniculus puer, anniculus agnus, anniculum vinum, anniculus paries, annicula planta: Valla lib.* 1. *elegantiar. cap.* 5. Plinius *lib.* 13. *Natur. Hiſtor. cap.* 4. ait: *Ergò plantaria inſti-*

tuunt anniculaſque transferunt & iterum bimas, hoc eſt, de palmis loquens, Ἐνάετος, idem quod ἔνος à Græcis.

Ante diem. b] Gothofredus hanc legem ſic, & meo judicio rectè, interpretatur. *Anniculum* dicit mori, qui *extremo die anni* moritur: antedecendialem dici, qui extremo noni expirat: poſt decendialem, qui extremo undecimi: neutro ſermone exactos dies (ſic enim *arg. l.* 134. non undecim dies, legendum putat.) ſignificari; ac ſi diceret JCtus, qui moritur poſt extremum anni diem non eſt anniculus, ſed biennis: qui præſtat aliquid poſt decimum diem, undecimo præſtat; qui non præſtat ante decimum, præſtat decimo. Sic debitor, ante Kalendas, ante eas perfectas dare debet: aut ſi non ante, poſt certè dederit: *l. qui ante.* 13. *ff. de verb. oblig.* Intra Kalendas judicare juſſus, ante eas perfectas debet judicare, aut ſi non ante, poſt judicaverit. *l.* 133 *ff. hic.* Intra hæc niſi ſuperiora fiant jus mutatur. *l.* 42. *ff. de verb. oblig. Aliter. hic. Budæus Alciat.*

Vndecim. c] Lege *undecimus.* Nam de futuris Kalendis loquenti; dies ante decimum Calendarum vicinior eſt nonus, poſt diem decimum eſt undecimus. *Sic Gothofr. hic. Aliter Gœd. Alciat hic. Aliter Cujacius ad l.* 13. *ff. de verb. oblig.*

IDEM

IDEM §. I.

F*Alſum* [a] eſt eam peperiſſe, cui *mortuæ* filius exſectus eſt.

EXPLICATIO.

Falſum. a] Parere enim viventis mulieris proprium eſt, quæ viventem filium utero emittit. *l quæritur.* 14. *de ædil. edict.* Cur mortuæ exectus venter, enim dici non poteſt. Exectus non appellatur *natus*, ſed *cæſus* ac *cæſo*, vel ut Feſtus, *cenſo.* Qui tamen exſecto ventre editus licet revera natus non ſit, tamen pro nato accipitur, adeò ut patris quoque teſtamentum rumpat ſi in poteſtate naſcatur. *l. quod dicitur. l.* 12. *in princ. ff. de lib. & poſt.* & ad querelam inofficioſi teſtamenti admittatur. *l. poſthumus.* 6. *in princ. verſ. ſimili. ff. de inoff. teſt.*

LEX CXXXIII.

Ulpianus lib. IV. ad Legem Juliam & Papiam.

SI quis [a] ſic dixerit, ut *intra diem mortis ejus aliquid fiat:* ipſe quoque dies, quo quis mortuus eſt, numeratur [b].

EXPLICATIO.

Siquis. a] Non rectè ergo dubitat Gellius, *lib.* 12. *Noct. Attic. cap.* 13. Intra Kalendas facere quid juſſus; an etiam Kalendis ipſis rectè faciat; hujuſce enim legis verbis convincitur; ut & *l.* 1. §. *ſi intra.* 8. *cum.* §. *ſeq. ff. de ſucceſſ. Edict.* Quæ ſunt. *Quod dicimus intra dies centum bonorum poſſeſſionem peti poſſe, ita intelligendum eſt, ut & ipſo die centeſimo peti poſſit, quemadmodum intra Kalendas, etiam ipſæ Kalendæ ſunt.* Quia dies termini (ut vulgò ajunt.) in ipſo termino continetur. *d. l.* 1. §. *ſi intra. l. Pater. ff. ad leg. Iul. de adult. l. in illa.* 8. *l. qui ante.* 13. *l. eum qui.* 41. *in princ. & fin. l. qui hoc anno.* 42. *l. ſtipulationes.* 71. §. *ſi quis. ff. de verb. oblig. l. ult. ff. de tut. & cur. dat.*

Dies quo quis mortuus eſt, numeratur. b] Rectè antequam enim ille dies præteriit, eſt incertum, an intra mortis diem factum ſit, quod fieri oportebat. *l. ita in fin. de manumiſſ. teſtam.* Et vocis *inter* natura, ut includat totum illud ſpatium, atque extremum numeri. *Valla. lib.* 2. *elegant. cap.* 53. *vid. Duar. Cujac. in l.* 8. *in illa.* 8. *l. qui ante.* 13. *l.* 99. *de verb. oblig.*

LEX

LEX CXXXIV.

Paulus Lib. II. *ad Legem Juliam & Papiam.*

A*Nniculus* a non ſtatim ut natus eſt, ſed *trecenteſimo ſexageſimo quinto die* b dicitur, *incipiente* planè, non exacto die: quia annum civiliter, non ad momenta temporum, ſed ad dies numeramus.

EXPLICATIO.

Anniculus. a] *Anniculus* ergò quis dicitur, ſtatim ac illuxit ultimus anni dies, etiamſi nondum eſt completus. Rurſus toto illo die *anniculus* eſt, uſque ad primum ſequentis diei momentum, quo incipiente, demum & ipſe incipit eſſe major *anniculo*, non ante, etiamſi aliquot horis anni naturalis curſum excedat. Ut natus hora ſexta diei Kalend. Januar. anno elapſo, cum primum vidit pridie earundem Kalendarum ſextam noctis horam, hoc eſt, ipſas naſcentes Kalendas, dicitur eſſe *anniculus*, & toto die Kalendarum uſque ad ſextam noctis ſequentis, ſimiliter *anniculus* appellatur, quamvis poſt meridiem illius diei incipiat major eſſe, ſi velimus ad naturalis curſus rationem iſta perpendere. At communis conſuetudo loquendi

aliud uſurpat, quæ toto illo die *anniculum* eum appellat, quia ætates hominum non horis, ſed diebus, & menſibus, anniſve definit. *Connan. lib.* 3 *cap.* 12. *num.* 3. Satis eſt igitur ſi ultimum anni diem quis attigerit, ut dicatur *anniculus*, etiamſi dies non ſit exactus, ſed tantum inceptus. Exactus dies eſt, quum omninò actus eſt, ac horis ſuis & momentis abſolutus, atque ita effluxit ac pertranſiit, ut jam incipiat ſequens. Cicero dixit: *Diem exigere*, pro tranſigere & conſumere, Terent. *in Heautom.* inquit: *Quo ſtudio vitam ſuam te abſente exegerit*; id eſt traduxerit.

Die. b] Anni certi cum in lege ſit mentio, intelligimus de perfecto 365. diebus conſtante. Quorum ultimus ſi de re favorem reſpiciente agatur; ut uſucapione, *l. & ideo. ff. de uſucap.* teſtamento, *l. atque ætate.* 5. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.* libertate; *l.* 1. *ff. de manumiſſ.* ut ſit completus non neceſſe, ſed ſufficit eſſe cæptum; non ſi de re odioſa, ut reſtitutione in integrum, *l.* 3. §. *minorem. ff. de minor.* præſcriptione temporalium actionum, *l. in omnibus. ff. de oblig. & action.* Carboniana poſſeſſione, *l.* 1. *C. de Carb. Edict.* agatur; tum enim de momento in momentum facienda computatio.

LEX

LEX CXXXV.

Ulpianus Lib. IV. *ad Legem Iuliam & Papiam.*

QUæret aliquis ſi *portentoſum*, vel *monſtroſum a*, vel *debile* mulier ediderit, vel qualem *viſu*, vel *vagitu* novum, non *humanæ figuræ*, ſed alterius magis animalis, quam hominis partum: an, quia enixa eſt, prodeſſe ei debeat? & magis eſt, ut hæc quoque parentibus proſint *b*. nec enim eſt, quod eis imputetur, quæ qualiter potuerunt, ſtatutis obtemperaverunt *c*. neque id, quod fataliter acceſſit, matri damnum injungere debet.

EXPLICATIO.

Monſtroſum. a] *Partuum monſtroſorum* duæ videntur in mulieribus eſſe ſpecies; *Una* cum alicui naturali originis & generationis ſuæ forma minimè deſtructa, vel augmentum acceſſit, vel in aliquo dilibatum & detractum, vel mutilatum eſt. *vide ſupra l. oſtentum.* 38. *Alia* cum aliquis formâ naturalis originis & generationis deſtructâ, naſcitur; puta in animalis alicujus naturam deformatus ut *minotaurus*.

Proſint. b] Si agatur de ſuccedendi jure, Liberi contra naturæ formam editi, cum ſint prodigiis & monſtris ſimiles, non habentur liberorum numero. *l. non ſunt.* 14. *de ſtatu homin. l. quod dicitur.* 12. *de liber. & poſthum.* Nolebat Romulus infantes triennio minores fraudari alimentis aut exponi, exceptis monſtroſis. *Dion. Halicarn. lib.* 2. Juſtin. *in l.* 3. *Cod. de poſthum. hered. inſtit.* ait. *Si vivus in Orbem totus proceſſit, ad nullum declinans monſtrum.* Paulus *lib.* 4. *ſent. tit.* 9. inquit: *Mulier ſi monſtroſum aliquid, aut prodigioſum enixa ſit, nihil proficit. Non ſunt enim liberi, qui contra formam generis humani converſo more naſcuntur.* At verò de parentum jure ſi quæratur; veluti, ſi Latina mater jus Civitatis Romanæ, vel jus trium liberorum conſequatur: vel quid ex teſtamento (quod orba non poſſet) enixa conſequatur; benignius eſt, nè quid innocenti matri culpæ adſcribatur. *hic.*

Statutis obtemperaverunt. c] Rectè. Eſt enim humanum, ut matri ad vitandam Legis Juliæ; (orbas eorum quæ in teſtamentis relinquebantur ſciviſſe notantis *Nicephor. lib.* 7. *cap.* 57.) pœnam; partus contra formam humanam editus proſit. Quod ea vacet culpa; ſoboli procreandæ operam dando, Legi Juliæ paruerit. *Forner. hic.*

LEX·

LEX CXXXVI.

Ulpianus Lib. V. *ad legem Juliam & Papiam.*

G*Eneri* [a] appellatione & *neptis*, & *proneptis*, tam ex *filio*, quam ex *filia* editorum, cæterarumque *maritos* [b] contineri, manifeſtum eſt.

EXPLICATIO.

Generi. a] *Gener* maritus eſt filiæ, *l. nam facile. ff. de grad. affin.* continetur que ejus appellatione *ſponſus*; *l. in legibus. ff. de teſtib. l. ſervus. ff. de grad. affin.* Porrigiturque *generi* appellatio ad *progenerum*, *l. Gallus. §. forſitan. ff. de lib. & poſt.* & ultra, *ut hic.* Quæ interpretatio in Edicto de poſtulando facienda. *l. 3. ff. de poſtul.* In Edicto verò de infamia notatis verba hæc, *Genero mortuo*, de ſolo filiæ viro ſunt accipienda. *l. 1 & l. 8 ff. de iis qui not. inf.*

Cæterarumque maritos. b] Græcis γαμβρὸς; maritum ſignificat ἀπὸ γάμου ϗ ῥέω: Latinis & Generum Scævola *l. creditor. 60. & 3. mand. Si inter maritum & ſocerum id actum eſſet. Gener* dicitur à *genendo*: Quo verbo utuntur Lucretius, Varro. *lib. 1. cap. 40. & lib. 2. cap. 2. de re ruſtic.* Ulpianus *in l qui filiabus. 17. de legat. 1. Si qua filia mihi genitur.* Julianus *in l. ſi is qui. 13. de reb. dub. Si qui mihi filius aut filia*

genitur vid. & l. un. Cod. de iis qui parent. aut liber. occid.

LEX CXXXVII.

Paulus Lib. II. *ad Legem Juliam & Papiam.*

TEr *enixa a b* videtur, etiam quæ *trigeminos* pepererit *c*.

EXPLICATIO.

Ter enixa. a] Senatuſconſulto Tertulliano cautum erat, ut quæ mulier ingenua Romana *tres:* Libertinæ verò, vel Latinæ conditionis, *quatuor* liberos enixa eſſet, filio defuncto ſuccederet. *§. 1. Inſt. ad SC. Tertyll.* Undè ICti Pauli ſententia, mulier quæ *trigeminos* peperit, SCti Tertylliani gaudebat beneficio. Hodie & Honorii & Juſtiniani conſtitionibus *lib. 1. & 2. C. de jur. lib.* hujuſmodi privilegia extincta ſunt. Undè Procopius, cauſſam everſionis Romani Imperii ortam arbitratur.

Enixa. b] Nonius Marcellus, inquit, *Enixa* dicuntur fœmina intendi, hoc eſt, conandi & dolendi labore perfunctæ: vel ex hoc, quod vinculis quibuſdam periculi, quibus periclitarentur fuerint exſolutæ. Quare Romanæ Leges mulieribus in multis benignæ ſtuduerunt: ut filiis ex SCto Tertull. ſuccederent: Ut cæteris creditoribus in pignore præferrentur.

Quis

Quis enim, inquit Juſtinianus, *earum non miſereatur, propter obſequia, quæ maritis præſtant; propter partus periculum & ipſam liberorum procreationem. l. ult. Cod. qui potior. in pign. hab.*

Tergeminos peperit. c] Non eodem nixu: Nec enim per naturam fieri poteſt, ut duo vel tres partus ſimul ac ſemel uterum egrediantur. *l. Areſcuſa.* 15. *cum ſeq. de ſtatu hom.* Sed *tergeminos* edidiſſe cenſetur quæ eos uno eodemque puerperio peperit: at non uno eodemque nixu: ſi quidem toties enitendi dolendique labore perfuncta, quot partus edit, totidemque liberorum parens facta. *h. l. & d. l. Areſcuſa. l.* 3. *§. ſed & tres. ſe pars hered. petat. l. ſi pater.* 36. *in fin. de ſolution.*

LEX CXXXVIII.

Idem Lib. IV. *ad Legem Juliam & Papiam.*

H*Ereditatis* [a] appellatione *bonorum* quoque *poſſeſſio* continetur.

EXPLICATIO.

Hereditatis. a] *Bonorum poſſeſſio* rectè dicitur hereditas, ſed in genere, ſicuti arrogatio dicitur adoptio in genere, ſed non in ſpecie. *Vacon. à Vacun. lib.* 3. *declar. jur. declar.* 48. Eſt enim *bonorum poſſeſſio* hereditas quædam prætoria, quæ æque atque hereditas civilis com-

moda & incommoda in ſe habet: *l.* 1 *ff. de bon. poſſeſſ.* Quam etiam ob cauſſam Prætor bonorum poſſeſſorem in omni cauſſa habet loco heredis, *l. Prætor.* 117. *ff de div. jur.* Quippe qui in omnibus vice heredis ſit: *l.* 2. *ff. de bon. poſſ.* vel, *ut loquitur. l.* 1 *ff. de poſſeſſ. hered. petit.* veluti heres: & bonorum poſſeſſor eadem defuncti bona nanciſcitur, quæ nactus fuiſſet Jure Civili heres. *d. l.* 1. *l.* 14. *ff. de bon. poſſ. cont. tab.*

LEX CXXXIX.

Ulpianus Lib. VII. *ad Legem Juliam & Papiam.*

ÆDificia Romæ *a* fieri etiam ea videntur, quæ in *continentibus Romæ ædificiis* fiant.

EXPLICATIO.

Ædificia Romæ. a] Ut Latini liberti Jus Quiritium nanciſcebantur ædificando Romæ; *Ulpian. in fragment. tit.* 3. ita & in continentibus ædificiis; quia *Romæ* appellatio continentibus ædificiis finitur. *l.* 2. *l.* 87. *ff. hic.* Unde ſi ædificia Romæ ultra certam altitudinem erigi prohibeantur, *l.* 1. & 2. *C. de ædific. priv.* & ad ea quæ in ſuburbiis ſunt, pertinebit.

IDEM

IDEM §. I.

P*Erfeciſſe* ædificium is videtur, qui ita conſummavit, ut jam in *uſu* a eſſe poſſit.

EXPLICATIO.

In uſu. a] Puta *qualem paterfamilias deſtinavit:* nam omne ædificium, etiam imperfectum, poteſt aliquo in uſu eſſe. Hinc heres theatrum municipibus facere juſſus, illud feciſſe non intelligitur, niſi ei propriam formam, quæ ex conſummatione contingit dederit. *l. ſi is, qui.* 80. §. 1. *ſed & ſi. ff. ad leg. Falcid.*

LEX CXL.

Paulus Lib. VI. *ad Legem Iuliam & Papiam.*

C*Epiſſe* a quis intelligitur, quamvis alii adquiſivit.

EXPLICATIO.

Cepiſſe. a] Licet *cepiſſe non* videatur, qui ſtatim reſtituturus eſt; *l. aliud.* 71. *ff. hic.* tamen filiusfamilias, qui patri; ſervus, qui domino, ipſis relicta & præſtita acquirunt, cepiſſe rectè dicuntur; Quia jus acquiſitionis ex filii & ſervi perſona conſideratur: Pater enim & domi-

nus

nus ex jure ſubjecti ſibi hominis nituntur. *l. qui hominem* 34. *§. quidem. ff. de ſolution.* Qui illud jus etiam potuerunt non agnoſcere. *l. cum proponas.* 3. *C. de hered. inſtit.* Juris fictione pater cum filiò, dominus cum ſervo eadem perſona cenſentur; unde delata his commoda, illis ſtatim intelliguntur quæſita. *l placet* 79 *de acquir. hered. l. qui hominem.* 34. *§. quidam.* 8. *de ſolution. & liberat. vid. l. ult. Cod. de uſufr. l. cum filiofamilias.* 11. *de legat.* 1.

LEX CXLI.

Ulpianus Lib. VIII. *ad Legem Juliam & Papiam.*

ETiam ea mulier cum moreretur, creditur filium habere, quæ *exciſo utero edere* [a] *poſſit* [b]. nec non etiam alio caſu [c] mulier poteſt habere filium, quem mortis tempore non habuit: ut puta eum, *qui ab hoſtibus remeavit* [d].

EXPLICATIO.

Exciſo utero edere. a] Propriè tamen non dicitur peperiſſe. *l. anniculus.* 132. §. 1. *ff hic.* Eſt enim aliud habere filium, aliud parere. *Harmenop.* 5. § 26. Filio cæſo, omnia quæ cæteris filiis indulgentur, competunt. *l. quod dicitur. ff. de lib. & poſthum. l. fin. C. de ſuis & legit. l.* 6. *ff. de inoff. teſtam.* Eum auſpicatius naſci

naſci inquit Plinius 7. *cap.* 8. exemplo Scipionis Africani, Cæſaris.

Poſſit. b] Imò infantem ediderit. Græci: *Δοκεῖ ἡ γυνὴ ὑὸν ἔχειν ἐν τῷ τελευτᾶν, ἧς ἀνατμηθείσης ἐξῆλθε βρέφος.* Ergò Infans editus ad maternam hereditatem legitimam vocatur: *l.* 1. *§. filio. ad SC. Tertyll.* Patri ſub conditione *Si naſcetur*, heres inſtitutus, ſi præteritus, teſtamentum rumpit: Inofficioſi teſtamenti, etiam materni, querela agit: *l quod dicitur.* 12. *de liber. & poſthum. l. poſthumus.* 6. *§. ſimili. de inoffic. teſtam. l. pen. Cod. de poſthum. hered. inſtit.* Cum fratribus ad parentum ſucceſſionem admiſſus virilem partem auferet. *l.* 3. *Cod. de inoff. teſtam.* Neque enim ab aliis natis differt, neque ulla in eo culpa arguitur, ſi non declinet ad monſtrum. *d. l. pen.*

Nec non etiam alio caſu. c] Id eſt, ſingulari, præter communes ac vulgatas Juris regulas. *Vid. l. qui vas.* 48. *de furt. quæ eſt l. eum qui.* 14. *eod. exceptio.*

Ab hoſtibus remeavit. d] Quia ab hoſtibus capti, ſervi eorum fiunt. *l.* 1. *l.* 12. *§.* 1. *ff. de capt. & poſtlim. rev.* qui pro mortuis habentur; *l. ſervitutem.* 209. *ff. de div. reg. jur. l. intercidit.* 59. *§. fin. ff. de cond. & demonſtr.* Reverſi, jure poſtliminii, omnia jura priſtina recuperant, *d. l.* 12. *§.* 1. finguntur que retrò in civitate ſemper fuiſſe. *l.* 16. *l.* 12. *§.* 1. *ff. de capt. & poſtlim. rev.*

LEX CXLII.

Paulus Lib. VI. *ad Leg. Jul. & Papiam.*

T*Riplici* [a] *modo conjunctio* intelligitur. Aut enim re per ſe conjunctio contingit, aut *re & verbis*, aut *verbis tantum*. Nec dubium eſt quin conjuncti ſint, quos & nominum & rei complexus jungit. Veluti, *Titius & Mævius ex parte dimidia heredes ſunto*. Vel [ita] *Titius Mevіuſque heredes ſunto*. Vel *Titius cum Mævio ex parte dimidia heredes ſunto*. Videamus autem: nè, etiam ſi hos articulos [b] detrahas, *&*, *quæ*, *cum*, interdum tamen conjunctos accipi oporteat. Veluti *Lucius Titius*, *Publius Mævius ex parte dimidia heredes ſunto*. Vel ita, *Publius Mævius*, *Lucius Titius heredes ſunto. Sempronius ex parte dimidia heres eſto*. ut Titius & Mævius veniant in partem dimidiam, & re & verbis conjuncti videantur [c]. *Lucius Titius ex parte dimidia heres eſto. Sejus ex parte*, *qua* [d] *Lucium Titium heredem inſtitui*, *heres eſto.*

eſto. Sempronius ex parte dimidia heres eſto. Julianus dubitari poſſe, tres ſemiſſes facti ſint, an Titius in eundem ſemiſſem cum Cajo & Sejo inſtitutus ſit. Sed eò quod Sempronius quoque ex parte demidia ſcriptus eſt, veriſimilius eſſe, in eundem ſemiſſem duos coactos, & conjunctim heredes ſcriptos eſſe.

EXPLICATIO.

Triplici. a] *Triplex* eſt *conjunctio*, ex quo *jus accreſcendi*, (quò pars vacans cedit & accreſcit parti occupatæ.) oritur. Nimirum fit vel *verbis tantum*, vel *re tantum*, vel *re & verbis ſimul.* Eorum qui *re & verbis* ſimul conjuncti ſunt, tantum hic exempla dat Juriſconſultus; nos & aliorum, ſed breviter pro inſtituto noſtro, & materiæ ſubtilitate, dabimus. *Verbis* ergò *tantum* ſunt conjuncti *ut ſi dicam Titio & Sejo ex æquis partibus fundum Sejanum do lego. l. re conjuncti.* 89 *ff. de legat.* 3. Dicuntur verbis eſſe conjuncti, quia non videntur eſſe conjuncti in re, tanquam in toto. Cui-Cuilibet enim ſua portio, & intellectu & corpore attributa. Si Titius partem ſuam nolit, jam prius totum manet, & portio illa quæ Titio debebatur, accreſcit Sejo. *l. un.* § *his ita. C. de caduc. toll.* Niſi ſit uſusfructus legatus, ubi, hoc caſu, jus accreſcendi ceſſat, *l.* 1. §. *ult.*

ult. cum ll. ſeqq. ff. de uſufr. accreſc. & ſic pars vacans cum proprietate conſolidatur. *Re* dicuntur conjuncti, cum duobus eadem res ſeparatim legatur; ut *Titio fundum Cornelianum do, lego, Sejo fundum Cornelianum do, lego.* Hic jus accreſcendi non habet locum, cum in partibus ſit occupatum; partes autem hic non fiant, niſi concurſu. *d. l. re conjuncti.* 89. Concurſu ergò non facto, res alteri in ſolidum jure potius non decreſcendi cedet. *d. l. un. §. ſin verò. Re & verbis* conjuncti ſunt, quibus idem, partibus nullis expreſſis, in eadem oratione, conjunctim relinquitur: ut *Titius & Mævius & Sejus heredes ſunto. alia exempla vide in lege.* Inter hos jus accreſcendi locum obtinet. Imò ſi plures ſint, non tamen unius generis conjuncti, qui omnes jure accreſcendi niti volunt, hi qui re & verbis conjuncti; cæteris præferuntur. *d. l. re conjuncti.* 89. At inter ſimpliciter, puta re aut verbis conjunctos, verbis conjuncti præferuntur re cōnjunctis. *d. l. re conjuncti.*

Articulos. b] His particulis aliàs plures inter ſe conjungi ſolent. *vid. l* 53. *ſup.*

Videantur. c] *Re* ergò *conjuncti* ſunt ſi teſtator *Titio & Sejo leget fundum. Et* enim articulus ex ſua natura conjungit; Licet tacitè, (quod in materia conjunctionis, (ubi an expreſsè eadem ſtructura plures vocentur potiſſimum conſideratur.) nullius conſiderationis eſt. *Bald. l. ſi fortidianum.* 7. *C. de legatis.*) per interpretationem viriliter diſtribuere cenſeatur. *l.* 1. *C. ſi plur. una ſent.*

Ex

Ex parte qua. d] Hic Titius & Sejus re conjunguntur; nec ulla fit partis ademptio, cum abſurdum non ſit in eadem parte duos inſtitui: re & verbis à Sempronio disjunguntur.

Dubitari. e] *Ratio dubitandi.* Sempronio dimidia expreſſum datur. nulla Titio expreſſim: ad Sejum igitur pertinet dimidia, atqui Sejus ex ea parte heres inſtitutus eſt, ex qua Titius: igitur ex dimidia, & ex conſequenti, tres ſemiſſes facient. *Ratio decidendi.* Sempronius ex dimidia ſcriptus eſt nominatim, eſt igitur veriſimilius Titium & Sejum ad alterum tantum ſemiſſem vocatos: nam ex aſſe ſi dimidium ſuſtuleris, quod remanebit, erit alteri dimidio æquale. *l.* 15. *ff. de hered. inſtit. Goth. in not. hic.*

LEX CXLIII.

Ulpianus Lib. IX. *ad Legem Iuliam & Papiam.*

ID *apud ſe quis habere* videtur, de *quo habet actionem* a: Habetur enim quod peti poteſt b.

EXPLICATIO.

Actionem. a] Quod ex interpretatione introductum eſt. *l Labeo.* 14. § *fin. ff. hic.* Impetratâ enim ad rem petendam actione rei accipiendæ ſpes datur; *l. quod ſi.* §. 4. *ff. de petit. hered.*

hered. de juris auctoritate. *arg*. §. 1. *& tot. tit. Inſt. de action*. Tamen revera minus eſt actionem habere quam rem. *l. minus*. 204. *ff. de div. reg jur*. Quia dubius eſt litis eventus, & ſumptus in petendo maximi, *l. quod debetur*. 51. *ff. de pecul. l*. 6. *ff. de minor*. & cogitanda mora temporis, quod judicatis datur *c. quotiens*. 2. *qu*. 6. Et nonnunquam inopia debitoris actionem inanem facit. *l. nam. is*. 6 *ff de dolo*. Quamobrem certi & conſulti Patresfam. lites tanquam ſcopulos (ad quos fortunarum ſuarum multifaciunt naufragium) vel tranſigendo, vel cedendo, vel alia ratione qua poſſunt, illud judiciorum incertum vitant. *l*. 2. *Cod. de tranſact. l. in ſumma*. 65. *de condict. indeb. l*. 4. *de alienat. jud. mutandi cauſ*.

Habetur quod peti poteſt. b] Quod nos jure poſſumus nanciſci, propè eſt ut eam conſecuti eſſe videamur. *l ſi quis*. 11. *de teſtam. tut. l*. 2. *de hered. inſtit l*. 4. *Cod. de inſtit. & ſubſtit*. Et contra: Amiſiſſe rem, cujus actionem habere deſinimus *l Labeo*. 14. *in fin. hic*. Regulæ ſuperiori ex adverſo reſpondet. Non videri eum *Cepiſſe*, qui per exceptionem à petitione removeatur: vel an ſit, id ipſum quod petit, alteri reſtituendum. *l. non videtur. cepiſſe*. 15. *l. non videtur quiſquam*. 52. *de reg. Iuris. Exempla. in l*. 1. *de dot. prœleg. l*. 28. *de legat*. 1. *l*. 10. *l*. 12. §. *pen. de inoff. teſtam*.

LEX

LEX CXLIV.

Paulus Lib. IX. *ad Legem Juliam & Papiam.*

LIbro memorialium Maſſurius ſcribit *pellicem* apud antiquos eam habitam, quæ cum uxor non eſſet, cum aliquo tamen vivebat *a*: quam nunc vero nomine *amicam*, paulo honeſtiore *concubinam* appellari. Granius Flaccus *b* in libro de jure Papiriano ſcribit, *pellicem nunc* vocari, quæ cum eo, cui uxor ſit, corpus miſceat. quoſdam eam quæ uxoris loco ſine nuptiis in domo ſit, quam παλλάκην Græci vocant *c*.

EXPLICATIO.

Vivebat. a] Accipiebatur enim *Pellex*, apud Veteres generaliter tam pro ea, quæ cum cælibe, quam pro ea quæ cum marito vivebat: & deſignabat pellicis (à *pellendo*, immutatis quibuſdam literis, quod legitimam uxorem à viro ferè pellat, dictæ) vox & concubinam, & aliam quæ cum alterius marito conſuetudinem habebat. Undè Gellius *Noct. Attic. lib.* 4. *cap.* 4. dicit non omnem pellicem probroſam, ſed eam tantum

tantum eſſe habitam, quæ juncta conſuetaque eſſet cum eo, in cujus manu mancipioque alia matrimonii cauſſa foret.

Flaccus. b] Hic innuit pellicem hodie nos non amplius uſurpare pro ea amica, quæ concubina eſt, ſed quæ ſoluta conſuetudinem habet cum alterius marito, ſive id fiat ſub ſpecie digamiæ, ſive concubinatus. Quo ſpectat illud Ovidii *Epiſt.* 9. *Ante meos oculos adducitur advena pellex.* & illud Salluſtii in Ciceronem: *Filia matris Pellex.*

Quam παλλάκην *Græci vocant.* c] Gellius *Noct. Atticar. lib.* 4. *cap.* 3. *pellex* quaſi πάλλαξ, hoc eſt, quaſi παλλακίς· πάλλαξ juvenis, adoleſcens: vel à verbo παλλάσω, quod eſt irrigo, perfundo, fœdo: ſive ἀπὸ τοῦ πάλλειν hoc eſt, à vibrando; quod juvenum eſt proprium. *Euſtach.* Undè & apud Dores πάλλαξ in fœminino puellam deſignat. Πάλλαξ igitur ſive παλλακὶς, & pellex eſt omnis puella, quæ ſe ab uno viro quidem irrigari, & vibrari paſſa eſt, ſed matrisfamilias nomen in viri domo non habet.

LEX CXLV.

Ulpianus Lib. X. *ad Legem Juliam & Papiam.*

V*irilis* [a] appellatione interdum etiam *totam hereditatem* contineri dicendum eſt. •

EX-

EXPLICATIO.

Virilis. a] Quod ſupra *l. poteſt. 95.* diximus de *reliquo*; id hic Juriſconſultus de *virili parte* dicit. Nempe licet *virilis* appellatio ad ſingulas & *æquales* partes referatur pro numero perſonarum, *l. un. §. ſin autem legatarii. C. de caduc. toll.* ut cum dicimus heredes pro *virili* teneri: Titium & Sejum in *viriles* partes inſtituo; *l. virilis. ff de legat. præſt.* Et *virilis portio*, & *virilis pars*, item *virile* opponuntur *ſolido*, *toti* atque *integro.* ut *in l. 7. de Magiſtr. conven. l. Paulus. 43. l ſi plures. 341. de adminiſtr. tut. l. totiens. 44 l. hoc jure. 152. §. in contractibus. de div. reg. jur.* tamen ex re *integrum*, ſive ſolidum ſignificare poteſt. Sicut enim *reliquum* illud etiam dicitur, quod eſt univerſum: *d. l. poteſt. 95. & proximat. 92. hic*; ita etiam *virile* & *virilis portio*, illud totum quod datum, quod à defuncto relictum, quod in hereditate eſt appellari poteſt. *l. virilis. 8. de legat. præſtand. d. l. un. §. ſin autem. ubi gloſſ. l. 2. Cod. de hered. inſtit.* Sic cum duo in partes æquales inſtituti ſunt, altero eorum mortuo, vel hereditatem non adeunte, totum accreſcit alteri. *d. l. 2. d. l. un. §. his ita.*

LEX

LEX CXLVI.

Terentius Clemens Lib. II. *ad Legem Iuliam & Papiam.*

SOceri [a], *ſocrus* appellatione *avum* quoque & *aviam* uxoris vel mariti contineri, reſpondetur.

EXPLICATIO.

Soceri. a] Quod ſupra diximus de nurus, *l. nurus.* 50. & generi, *l. generi.* 136. appellatione, id hic de *ſoceri* & *ſocrus* appellatione dicendum. Nempe & *ſoceri* & *ſocrus* appellationem etiam ſponſalibus adquiri; *l.* 8. *ff. de gradib. affin.* & eâ, & uxoris vel mariti avum, aviam, proavum, proaviam, & ulteriores contineri: *hic. & l.* 3. §. 1. *ff. de poſtul.* Quanquam vir uxoris ſuæ avum, *magnum ſocerum* dicat, aviam, *magnam ſocrum:* proavum verò *majorem ſocerum*, proaviam, *majorem ſocrum* appellet. *Feſt. lib.* 11. *Modeſt. l.* 4. §. *gradus. ff. de gradib. affin.* Quos etiam proſoceri & abſoceri nomine demonſtramus. *l. nihil intereſt.* 15. §. 1. *ff. de act. rer. amot. Capitolin. in vita Gordiani.*

LEX

LEX CXLVII.

Idem Lib. III. *ad Legem Iuliam & Papiam.*

QUi in *continentibus* urbis nati ſunt, *Romæ nati* a intelligantur.

EXPLICATIO.

Romæ nati. a] In continentibus nati, Romæ nati: ſicut ædificia in continentibus exſtructa Romæ facta cenſentur. *l. ædificia.* 139. *hic.* Ut & ex vico vel municipio civitati obnoxio ortus, civitatis jura nanciſcitur. *l. qui ex vico.* 30. *ad municip.* Maximè ex quo poſt Antonini conſtitutionem. *l. in orbi.* 17. *de ſtatu hom. Novel.* 79. Romanæ Civitatis jus eviluit. *Nomen Civium Romanorum*, inquit Salvius Maſſilienſ. lib. 5. de providentia. *aliquando non ſolum magnum æſtimatum, ſed magno emptum* (Actuum Apoſt. cap. 22.) *nunc ultro repudiatur, ac fugitur: nec vile tantum, ſed abominabile penè habetur.* Liberi tres Romæ nati Patri proderant. §. 1. *Inſt. de excuſat. tut. l. pen* §. *Roma. ff. eod.*

LEX CXLVIII.

Cajus Lib. VIII. *ad Legem Iuliam & Papiam.*

NOn eſt *ſine liberis a*, cui vel *unus filius*, *unave filia eſt*. hæc enim enunciatio, *habet liberos*, [*non habet liberos*] ſemper pluralitivo numero *b* profertur: ſicut & pugillares *c*, & codicilli.

EXPLICATIO.

Non eſt ſine liberis. a] Titius ergò ſi heres inſtitutus, & rogatus, ut hereditatem reddat Sempronio, *ſi ſine liberis deceſſerit*, ſufficit ut conditio deficiat, ſi *unum filium*, vel *filiam. l. pater.* 101. §. 1. *ff. de cond. & demonſt.* etiam naturalem, *l. ex facto.* 17. §. 4. *ff. ad SC. Treb.* vel ſi nepotem ex filia relinquat. *l.* 1. *C. de condit. inſert*, *l. jubemus*. 6. §. 2. *C. ad SC. Trebell.*

Semper plurativo nomine. b] Scilicet apud Auctores probatos, Recentiores tamen Impp. non puduit, contra puram latini ſermonis in ſcribendo conſuetudinem, dicere *Liberum & Codicillum. l. ſi quis ſuo.* 33. *Cod. de inoffic. teſtam. l. antepen. verſ. liberum. Cod. de ſecund. nupt. l. generali.* 13. *Cod. de SS. Eccleſ. l. non codicillum.* 14. *Cod. de teſtib. & Codicilli.*

Pugilla-

Pugillares. c] Catullus dixit *Pugillar. Codicillum* Marcellus *in l. pen. de jure Codic.* Paulus *in l. ſi ita ſcripſero.* 38. *de condit. & demonſtr.* Sed vixerunt poſt Gajum. Notandum *pugillaria* & *codicilli* plurativo numero videri dici natura; *liberi* uſu.

LEX CXLIX.

Idem Lib. X. *ad Legem Iuliam & Papiam.*

NAm [a] quem *ſine liberis* eſſe dicere non poſſumus: hunc neceſſe eſt ut *dicamus liberos habere.*

EXPLICATIO.

Nam. a] Qui non *eſt ſine liberis*, *liberos habet*. Hinc colligit Alciatus *hic.* argumentum à contrariis ſemper concludere. Nam affirmato uno contrariorum, ſtatim alterum, niſi intermedium quoddam ſit, negatur. *Gœd. hic.*

LEX CL.

Idem Lib. IX. *ad Legem Iuliam & Papiam.*

SI ita à te ſtipulatus fuero, *Quanto minus à Titio conſecutus fuero, tantum dare ſpondes?* non ſolet dubitari,

 quin

quin ſi nihil à Titio fuero conſecutus, totum [a] debeas [b], quod Titius debuerat.

EXPLICATIO.

Totum. a] Quia *minus* non ſemper vim comparativi retinet. *Vall. lib.* 1. *cap.* 12. ideò minus conſecutus recte dicitur qui nihil conſecutus. *vid. l. minus.* 32. *ſupra. & l.* 7. §. 2. *ff. de tribut. act. l. fin. ff. de reb. cred.*

Debeas. b] Sed ante Titium excuſſum non rectè convenietis. *l. decem.* 116. *ff. de verb. obligat.*

LEX CLI.

Terentius Clemens Lib. V. *ad Legem Iuliam & Papiam.*

D*Elata* hereditas [a] intelligitur, quam quis poſſit adeundo conſequi [b].

EXPLICATIO.

Delata hereditas a] *Hereditas*, ut & *bonorum poſſeſſio*, duobus modis conſideratur delata. *Primò*, prout defertur à Lege, vel teſtamento agnatis, cognatis, &c. *l. lege.* 130. *ff. hic.* *Secundo*, habito reſpectu ad acquiſitionem & ſucceſſionem, ut ſcilicet quis poſſit eam *acquirere*

vel

vel *tranſmittere. Acquiritur* hereditas adeundo. §. 6. *Inſt. de hered. qual. & diff. Aditur* ſolo animo § *fin. Inſt. de hered. qual. & diff.* Sive is *verbis* explicetur, ſive aliquo *facto*, quod tanquam ab herede geritur. *l.* 20. §. 4. *l.* 88. *ff. de acq. vel. amit. hered.* Fieri debet liberè; *l.* 16. *C. de jur. delib. l.* 40. *cum. ll. ſeqq. ff. de acq. vel amitt. hered.* purè, ſine die, aut conditione: *l.* 51. §. *fin. ff. eod.* in ſolidum, *l.* 1. 2 *ff. eod.* tum cum certò conſtat, utrum ex teſtamento, an ab inteſtato, & quota ex parte, delata ſit hereditas. *l.* 15. *cum ll. ſeqq. l.* 21. §. *fin. cum ll. ſeqq. l.* 93. *ff. eod.*

Conſequi. b] Id eſt, ſi *adiret. Delata* ergò hereditas rectè non dicitur in qua, quo minus adiri poſſit, eſt impedimentum; ut quia ſub conditione data. E conversò *delata* poteſt dici hereditas purè data, licet eam heres adire nequeat; quia reſpectu hereditatis, (cujus, non heredis perſonæ reſpectu delata dicitur. *Bellon. lib. ſupput.* 12. *cap.* 16.) nihil obſtat, quominus ſi quis adiret, eam poſſet conſequi: *fac. l. is qui heres.* 13. *in princ. l. nec is.* 17. §. 1. *l. ventre.* 84. *ff. eod.*

LEX CLII.

Gajus Lib. X. *ad Leg. Jul. & Papiam.*

HOminis *a* appellatione tam *fœminam*, quam *maſculum*, contineri, non dubitatur.

EXPLICATIO.

Hominis. a] Quod hic dicitur, ad naturam humani generis eſt referendum. Nam conſtat, cum *hominem* dicimus quemcunque contineri; non ſolum ſive *maſculus*, ſive *fœmina* ſit, ſed & ſive *liber*, ſive *ſervus*, ſive *pubes*, ſive *impubes*. *l.* 3. §. 1. *ff. de lib. hom. exhib.* Plautus Ciſtellaria: *Metus me utrobique agitat, illos hominis miſera miſereri.* Cicero in Cluentiana. *Cujus ea ſtultitia eſt, ut eam nemo hominem: ea vis, ut nemo fœminam, ea crudelitas, ut nemo matrem appellare poſſit.* Apud Græcos, ἀνθρώπου nomen & in fœminam cadit. Clemens Alexandrinus *cap.* 4. *lib.* 1. *Pædagogi.* Demoſtenes *in orat. contra Nearam.* Quanquam intra utrumque ſexum, jure plurimum interſit. Nec quis, (licet regulæ triviales *hominem* dicant eſſe communis generis.) de muliere ſeparatim dixerit *homo*. Eſt enim, teſte *Phoca Grammatico*, maſculini generis. Dicitur autem *homo*, ſive ab humo, ſive à concordia, ἀπὸ τῆς ὁμονοίας, quod nullum animal ſit ſocialius. Itaque ubi non eſt mutua charitas, ac ſocietas amica, ibi non ſunt homines. Hinc apparet legem quæ de hominibus loquitur, etiam de fœminis eſſe accipiendam. *l.* 1. *hic.* Niſi aliud expreſſius appareat adjecta videlicet qualitate aut proprio nomine. Ut cum dicit teſtator *hominem Titium do lego*, & ſi quid aliud ejuſmodi in Lege aut teſtamento enuntietur & inveniatur.

LEX

LEX CLIII.

Terentius Clemens Lib. XI. *ad Legem Iuliam & Papiam.*

INtelligendus *a* eſt *mortis tempore fuiſſe*, qui *in utero relictus* eſt.

EXPLICATIO.

Intelligendus. a] Licet qui in utero eſt non ſit homo; *l. in falcidia. 9. in fin. ff. ad leg. Falcid.* tamen, favore illius qui & homo & civis futurus eſt, eum lex, (quæ, ut & natura, ſemper benè ſperat, & metum abortus abominatur.) fingit eſſe in rerum natura, *l. qui in utero. 26. ff. de ſtatu homin.* rebus humanis: *l. qui in utero. 7. ff. eod.* & jam nato comparat: *l. 2. §. qui autem. 6. ff. de excuſat. tut.* in iis puta quæ ad ejus commodum ſpectant. *d. l. qui in utero. 7.* Et ſic quandocunque pater ejus moritur, mortis ejus tempore intelligitur fuiſſe. *vid. l. is cui ita. 18. ff. quand. dies legat.* Ergò illi omnia Jura ſalva in nativitatis tempus ſervantur *l. 1. § ſi quis. unde cognati:* ut ſi naſcatur, omnia illi reſtituantur ac ſi natus fuiſſet, cum conciperetur, ſive ſint hereditates, ſive bonorum poſſeſſiones, ſive jus aliud. *l. pen. de ſtatu homin. d. l. 1. §. ſi quis. l. 1. de teſtam. tut. §. antepen. & pen. Inſt. de tutel. l. 2. de vulg. & pup. ſubſt. l. 9. ad leg. Falcid.* adeò ut etiam quandoque medium tempus attendatur. *l. 18. de ſtatu. homin.*

LEX CLIV.

Macer Lib. I. *ad Legem Viceſimam.*

M*Ille paſſus a* non à *miliario b* urbis, ſed *continentibus* ædificiis numerandi ſunt.

EXPLICATIO.

Mille paſſus. a] Sunt *mille paſſus* ſtadia octo. *Stadium* autem paſſus centum viginti quinque habet, qui ſunt plus paulo pedes ſexcenti: *Paſſus* ſunt quinque pedum. Quia verò miliarium lapidibus diſtingui ſolet, ſæpe dicimus in jure ad viceſimum lapidem, hoc eſt viceſimum miliare. Juriſconſultus, inquit; Ultra centeſimum miliare ab urbe tutelam ſuſcipere non coguntur. *l. propter litem* 21. §. 2. *ff. de excuſat. tutor. l.* 2. *C. de erogat. milit. annon. lib.* 12.

Miliario. b] *Miliarium* à mille paſſibus dictum, erat columna aurea in capite fori Romani ab Auguſto primum erecta, à qua omnes Italiæ viæ initium & finem capiebant, & à qua itinerum menſura ſumebatur. *Dion. lib.*54. *Plutarch. in Galba. Plinius. lib.* 3. *cap.* 5. *Tacitus. lib.*17. Undè hic legendum videtur. Mille paſſus à miliario urbis, non à continentibus ædificiis numerandi ſunt. *Iuxta. Gothofr. hic.*

LEX

LEX CLV.

Licinnius Rufinus Lib. VII. *Regularum.*

PRoximi *a* appellatione etiam ille continetur qui ſolus eſt.

EXPLICATIO.

Proximi. a] Quamvis *proximus* propriè de pluribus dicatur, tamen quo magis valeat id quod actum eſt, *proximus* accipitur non ſolum qui ante aliquem eſt, ſed etiam is ante quem nemo eſt, quamvis ipſe ſolus ſit. *hic. & l. 34. ff. de vulg. & pup. ſubſt. vide ſupr. l. proximus. 91.* Hinc cum lex agnato proximo hereditatem deferr, qui ſe heredem proximum dicit, ſi nemo ipſi contradicat, non cogitur probare, ſe defuncto eſſe propinquiorem; ſed ſufficit probare ſe intra eum eſſe gradum, undè Prætor legitimos vocat: quia *proximus* eſt, qui ſolus eſt; ſolus autem præſumitur cujus ſocii nulli apparent. *Alciat. hic ex Cornæo. conſ. 194. in 4.*

LEX CLVI.

Idem Lib. X. *Regularum.*

MAjore parte *a* anni poſſediſſe quis intelligitur, etiam ſi *duobus men-*

ſibus poſſederit: ſi modo adverſarius ejus aut paucioribus diebus, aut nullis poſſederit.

EXPLICATIO.

Majore parte. a] Duo ſunt retinendæ poſſeſſionis interdicta, *Vti poſſidetis* & *Vtrubi. Vti poſſidetis* eſt de rebus ſoli, *Vtrubi* de rebus mobilibus. *In illo* vincit is qui redditi Interdicti tempore, nec vi, nec clam, nec precario ab adverſario poſſidet: *In hoc* qui majore parte anni poſſedit: quo hæc lex pertinet: (Prætor: *Vtrubi hic homo quo de agitur, majore parte hujuſce anni fuit, quominus is eum ducat, vim fieri veto. l.* 1. *ff. utrubi.* Theophilus. §. *pen. de Interdict. Vtrubi veſtrum ſervus ille de quo agitur, majore parte hujus anni fuerit; quominus is eum ducat vim fieri veto.*) & oſtendit majorem partem anni reſpectu poſſeſſionis adverſarii intelligi. Sic olim. Hodie per utrumque interdictum vincit, qui tempore illatæ turbationis & litis conteſtatæ non vi, clam, aut precariò ab adverſario quidem ſive per ſe, ſive per alium poſſidet. *l.* 1. §. 1. *ff. Vtrubi.* §. *ſed interdicto quidem. Inſt. de Interdict.* De Jure Canonico ſufficit probatio antiquioris poſſeſſionis. *c. licet. de probat.*

LEX

LEX CLVII.

Ælius Gallus Lib. I. *de Verborum quæ ad jus pertinent Significatione.*

P*Aries* a eſt, ſive murus, ſive *maceria* eſt.

EXPLICATIO.

Paries. a] *Parietum* plura ſunt genera, præcipua hic recenſere eſt operæ pretium. *Paries* alius eſt *cratitius*, *in l.* 52. §. *item Mela. ff. pro Socio.* qui in cratis modum lignis contextis compoſitus eſt: *de quo Vitruvius. lib.* 2. *cap.* 8. *& lib.* 7. *cap.* 3. Alius *intergerinus.* Feſto *lib.* 9. qui inter confines ſtruitur, & quaſi intergeritur; *de quo Plinius. lib.* 35. *cap.* 12. Vitruvio, qui communiter utriuſque domus onera, gerit & ſuſtinet; ſic dictus, quod à vicinis extructus veluti intergerat, hoc eſt, communiter gerendo ſit. *Corraſ.* 4. *Miſcell. cap.* 16. Paries *ſolidus* & *fornicatus* opponuntur apud Ciceronem in Topicis. Ubi *ſolidus* paries accipitur, qui à ſolo continuo ductu ad faſtigium exurgit, ſicuti nuſquam ſuſpendatur: *fornicatus* verò, qui arcum habet. Fit paries plerunque ex lapidum congerie, vel limo & calce, gypſo aliave materia, puta ex cæmentis, lateribus, trabibus, ſtipitibus. Comprehendit ergò, ut hic inquit JCtus, & murum, privatum puta; (Mu-

rus enim propriè publicus dicitur, qui urbem munit & mænia continet. *Cicer. de nat. Deor.* 137. *& pro lege Manilia.* 38. *vid. Bart. in l. Sacram. ff. de rer. diviſ. & in l. hoc jure ff. de juſtit. & jure.*) & *maceriam*, id eſt, parietem, qui ex alia materia, quam cœmentis & lapidibus ritè diſpoſitis, factus eſt. *l. pen. ff. com. præd. l. æde.* 37. *ff. de contr. empt.* Varro *de re ruſtica cap.* 14. *maceriam* docet in fundo eſſe facile, fabrile ſepimentum, cujus ſpecies ſunt quatuor: quod fit è lapide, quod è lateribus coctilibus quod è lateribus crudis, quod ex terra & lapillis compoſitis informe. Hinc maceriam ducere. *in l.* 17. *ff. com. præd.* Siculus Flaccus de condition. agror. pag. 8. *Aut congeries lapidum acervatim congeſta ſunt, quos ſcorpiones appellant; aut in effigie maceriarum, quæ Attina appellantur.* Ibid. pag. 14. *Maceria quoque, & quæ ex congeſtione lapidum fiunt, & quæ manu.* Livius *lib.* 42. *Maceria erat ab læva ſemita paulum exſtans à fundamento* : & poſt, *poſt maceriam ſe abdiderant.*

IDEM §. 1.

ITem *via* [a] eſt, ſive *ſemita* [b], ſive *iter* [c] eſt.

EXPLICATIO.

Item via. a] Cum de *via* loquimur quatenus ſervitutis ſpecies eſt, *in princ. Inſt. de ſervit,* ab itinere, actuque diſtat. Quum verò de

de ſervitute non accipitur, ſed de iis quibus publicè commeatus eſt, ut hic, non ſolum iter, ſed etiam ſemitam continet. Tales viæ vel *publicæ* ſunt, vel *privatæ*. *l. 2. §. viarum. ff. ne quid in loco public. l. 38. ff. de acq. rer. dom.* *Publicas* Iſidorus, *lib. 15. c. ult.* definit, quæ in ſolo publico ſunt, per quas iter populo patet, quæ vel ad mare, vel ad oppida pertinent; hæ & *prætoriæ*, & *conſulares*, & *regiæ*, & *militares* dicuntur. *d. l. 2. §. viarum. & l. fin. ff. de itin. publ.* *Privatæ* viæ, quæ & *agrariæ* dicuntur, ſunt eæ quæ ad agros ducunt, per quas omnibus commeare licet, in quas exitur de via conſulari. *d. l. 2. §. viarum.* Sunt & *vicinales* viæ, quæ vel in vicis ſunt, vel in vicos ducunt: quæ ſi non ex collatione privatorum fiant, publicarum loco habentur. Sed inter has & cæteras vias *publicas*, quæ etiam *militares* dicuntur, hoc intereſt, quod *militares* exitum ad mare, aut in urbe, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent. *Vicinalium* verò pars in militares exitum habent, pars ſine exitu moriuntur. *l. ult. ff. de locis & itin. publ.*

Semita. b] Sic dicta quaſi ſemis via & anguſtius ſpatium quam ut iter confici poſſit. Accipitur & pro devia vel callida via: undè Catullus dixit; omnes puſilli & ſemitarii (hoc eſt, qui ſemitas vias quærunt) mæchi.

Iter. c] Iter eſt, qua quis pedes vel eques commeare poteſt: ſic dictum, quod vehendo quid teritur; vel ab eundo, cujus ſupinum eſt *itum*: ſive ab *ito* frequentativo.

LEX

LEX CLVIII.

Celſus Lib. XXV. *Digeſtorum.*

IN uſu juris a frequenter uti nos Caſcellius ait *ſingulari appellatione*, cum plura generis ejuſdem ſignificari vellemus: nam & *multum hominem veniſſe Romam*, *& piſcem vilem eſſe* dicimus. Item in ſtipulando ſatis habemus de herede cavere. *Si ea res ſecundum me heredemve meum judicata erit.* Et rurſus, *Quod ob eam rem te heredemve tuum.* nempe æque, ſi plures heredes ſunt, continentur ſtipulatione.

EXPLICATIO.

In uſu juris. a] *Singulari numero* ſæpe *pro plurali* utimur: ſicut contra ſæpe *plurali pro ſingulari, ut l. non eſt ſine liberis.* 148. *ff hic.* Hoc enim ex mente proferentis pendet. Undè ſi pluribus heredibus inſtitutis, ita ſcriptum eſt, *Heres meus damnas eſto dare aureos quinque*, non quilibet heres, ſed omnes videbuntur damnati; ut una quinque dent. *l. ſi pluribus.* 44. *ff. de legat.* 2. Et ſi lex homicidam jubeat ſummo affici ſupplicio, niſi pacem ab herede impetraverit, ſi plures adſint, omnium conſenſus requiritur. *l.* 4. *§. Cato. ff. de verb. oblig.*

LEX

LEX CLIX.

Ulpianus Lib. I. *ad Sabinum.*

ETiam *aureos nummos* a *as* b dicimus.

EXPLICATIO.

Aureos nummos. a] *Aureus nummus* olim continebat centum Seſtertios. *Dion. lib.* 55. Deinde minoris æſtimationis fieri cœpit, & in Impp. Conſtitutionibus appellari ſolidus. Qui erat ſeptuageſima ſecunda pars libræ ſeu marcæ auri, continens quatuor auri ſcrupulos: practicis in jure noſtro (*ut inquit Vulte jus com. Inſt. de Attil. tut. ad princ. num.* 9. *Gail.* 2. *obſ.* 39. *num.* 2.) ejus qualitatis ac bonitatis, cujus eſt aureus Hungaricus.

Æs. b] *Æs*, metalli genus eſt, & præſertim coloris rubri, ab auro, argento, plumbo, ferro, ac reliquis metallis diſtincti. Plerunque tamen pro *auro* accipimus: item pro *argento*, hoc eſt, argentea moneta: quod primitus olim pecunia omnis fuerit ærea: undè & æs pro pecunia ſumitur: quia prius æs tantum in uſu fuit. *Iſidor.* 16. *origin.* 17. *Cujac.* 33. *obſ.* 7. Servius Tullius VI. Romanorum Rex primus poſt urbem conditam æs ſignare cœpit (*ut Plinius tradit.*) repetitâ vetere ſignandi conſuetudine, ab Jano gemino, primo Italiæ Rege introducta, qui una nummi parte capitis ſui effigiem, altera

navim,

navim, qua Saturnus in Italiam fuerat advectus, exprimi voluit.

LEX CLX.

Idem Lib. II. *ad Sabinum.*

C*Æterorum* [a] & *reliquorum* appellatione etiam omnes continentur, ut Marcellus dixit, circa eum cui optio ſervi legata eſt, ceteri Sempronio: nam tentat, ſi non optet [b], omnes ad Sempronium pertinere.

EXPLICATIO.

Caterorum. a] Quod ſupra diximus has dictiones, *amplius, reliquum, virilem partem*, etiam de toto dici, idem *hic* de dictione *caterorum, reliquorum*, dicendum. Undè *Titio ſervorum optione legata & cateris Sempronio relictis*, Titio non optante, vel alio modo à legato excluſo, omnes non jure accreſcendi, ſed vi verborum ipſorum, *Cuman. coʒ ſ.* 105. ad Semptonium pertinebunt. *l. cum optio.* 17. *ff. de opt. leg.*

Si non optet. b] Si modò jus optandi habuerit. Quid enim ſi filiusfamilias, aut pupillus, aut minor elegerit? *l. Iulianus.* 10. *de legat.* 1. *l. pupillus.* 9. *de acquir. hered. l. ait.* 7. §. *Pomponius. de minorib.*

LEX CLXI.

Idem Lib. VII. *ad Sabinum.*

NOn eſt *pupillus a*, qui in utero eſt *b*.

EXPLICATIO.

Pupillus. a] *Pupillus* propria ſignificatione eſt, qui caret patre, & cui, dum eſt in ætate impuberi adhibetur tutor. *Valla lib.* 4. *Elegant. cap.* 33. Dicitur à *puppis*, quaſi puppus. *Puppæ* erant ſimulachra quædam ſeu imagines, forma & amictu puellarum inſignitæ, quæ puellis ſunt in delitiis. Antiqui appellabant *puppam*, quam nos hodie puellam, & *puppum*, puerum. Perſius Satyra. 2.

Dicite Pontifices, in ſacris quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donata à Virgine puppa.

Cum enim puellæ aut vellent nubere, aut virginitati valedicere Veneri dicare in templo ſolebant puppas.

Qui in utero eſt. b] Quia *pupillus* refertur ad ætatem hominis. (Eſt enim *pupillus*, qui cum impubes eſt, deſiit in patris poteſtate eſſe, aut morte aut emancipatione, *l. pupillus.* 230. *ff. hic.* vel adhuc impubes eſt in patris poteſtate. *l.* 141. §. 1. *ff. de verb. oblig.* nondum doli capax.

capax. *l.* 1. *ff. ne vis fiat, ei qui in poſſ.*) qui autem in utero eſt adhuc homo non eſt, quia necdum animal eſt. *l.* 1. §. 8. *ff. unde cognati.* Hinc tutores pupillis dati, ventri, niſi infans naſcatur, dati non intelliguntur. *l. cùm pater.* 29. *ff. de negot. geſt.* In computatióne legis Falcidiæ, propter ancillæ ventrem hereditas non augetur. *l. in Falcidia placuit.* 9. §. 1. *ff. ad Leg. Falcid.*

LEX CLXII.

Pomponius Lib. II. *ad Sabinum.*

IN vulgari [a] ſubſtitutione, qua ei, *qui ſupremus morietur*, heres ſubſtituitur, rectè ſubſtitutus etiam *unico* [b] intelligitur: exemplo duodecim Tabularum, ex quibus proximus adgnatus & ſolus habetur.

EXPLICATIO.

In vulgari. a] Quia *ſupremus* non is demum dicitur qui poſt aliquem, ſed poſt quem nemo eſt, & quem nemo ſequitur; *l. qui duos* 9. *ff. de reb. dub. l.* 92. *ſupr. ff. hic. ubi vide* ideò ſi teſtator filium quem habet, & quoſcunque habiturus eſt inſtituat, & *ei qui ſupremus morietur Sejum ſubſtituat*; Sejus rectè filio quem teſtator habebat, vi ſubſtitutionis ſuccedet, licet alios filios teſtator non habuerit. *hic. & l. ex duobus.* 34. *ff. de vulg. ſubſt. d. l. qui duos.* 9.

Unico.

Vnico. b] Ratio dubitandi fuit, quod comparatio poſterioris decedentis ex facto prioris mortui ſumitur. *d. l. qui duos.* 9. *Supremus* igitur impropriè dicitur, cui nullus præmoritur.

IDEM § 1.

SI quis ita in teſtamento ſcripſerit, *Si quid filio meo acciderit* a, *Damas ſervus meus liber eſto:* mortuo filio, Damas liber erit: licet enim accidant & vivis *b*, ſed vulgi ſermone etiam mors ſignificatur.

EXPLICATIO.

Acciderit. a] In materia inſtitutionum & ſubſtitutionum, ut & vulgi ſermone, his verbis, *Si quid filio meo acciderit*; hoc ſignificatur, ſi filius deceſſerit. *hoc.* §. Tranquillus in Auguſto. *cap. ult. Iulius filiam neptemque, ſi quid his accidiſſet, vetuit ſepulchro ſuo inferri.* Seneca *lib.* 2. *controverſ. vir & uxor jura verunt, ut ſi quid alteri accidiſſet, alter moreretur.* Eadem eſt vis verborum, *ſi quid contigerit*; *l. uxorem.* 39. § *Sejum.* 12. *ff. de legat.* 3. vel; *ſi quid humanum, humanituſve acciderit*, vel *contigerit. l. publia.* 26. *in princ. ff. depoſ. l.* 30. *§. Seja liberta. & §. ult. ff. de adimend. leg. §. mortis cauſa. Inſt. de donation.* Spartianus *in Hadriani vita*; *Multi ad Senatum eum voluiſ-*

ſe orationem mittere petiturum, ut, ſi quid ei eveniſſet, Principem Rom. Reipubl. Senatus daret.

Accidant & vivis. b] Ut venena, latronum inſidiæ, naufragia. *l. pen. de mort. cauſ. donation.* Paulus *in l. Senatus.* 35. *eod. Cui ex humana ſorte mortis cogitatio eſt, aliàs ex metu mortis, aut ex præſenti periculo, aut futuro. Siquidem terrâ marique, tam in pace, quàm in bello, & tam domi, quam militiæ, multis generibus mortis periculum metui poteſt.*

LEX CLXIII.

Paulus Lib. II. *ad Sabinum.*

ILla verba *a*, *Optimus maximuſque*, vel in eum cadere poſſunt, qui *ſolus* eſt. Sic & circa Edictum Prætoris *ſupremæ* tabulæ habentur & *ſolæ*.

EXPLICATIO.

Illa verba. a] Undè ſi quem unum habet legavit teſtator fundum, verba hæc locum ſibi vendicabunt in eo: quemadmodum ſupremæ tabulæ habentur, etiam ſolæ. *l.* 1. §. 1. *ff. de ſecund. tabul.* Superlativa enim, (ut ſæpius ſupra dictum) interdum pro poſitivis accipiuntur. *vid. l.* 90. *l.* 126. *hic.* 148. *hic.* Sic & ſi unicum filium habens dicat, *Optimus Maximuſque filius meus heres eſtò*: rectè inſtituiſſe dicitur,

eadem

eadem plane ratione qua in præcedenti reſponſo *ſupremus* eſt, qui & *ſolus.*

IDEM §. 1.

PUeria appellatione etiam *puella* ſignificatur, nam & *fœminas puerperas* appellant recentes ex partu, & Græce παιδίον communiter appellatur.

EXPLICATIO.

Pueri. a] *Pueri* appellatione etiam *puella* ſignificatur, non imitatione modo Græci ſermonis, ſed & quod maſculino ſexu fœmininum aliàs contineatur. *l. pronuntiatio.* 195. *in princ. ff. hic.* Argumentum hujus ſignificationis JCtus affert, quod & fœminas recentes ex partu Latini puerperas vocant. Terentius *in Andria.* Non *imperaſti coram quid opus eſſet facto puerpera.* Suetonius *in Caligula. cap.* 8. *Qualiſcunque partus, ait ſine ſexus diſcrimine puerperium vocatur, quod antiqui etiam puellas pueras ſicut & pueros puellos dictitarent.* Aulus Gellius *Noct. Attic. lib.* 12. *cap.* 1. *puerperam* ait dici, *quæ recens enixa eſt.* Ita puerperam accipe in *l.* 14. §. *puerperam. ff. de Ædil. Edict.*

LEX

LEX CLXIV.

Ulpianus Lib. XV. *ad Sabinum.*

NOmen *filiarum* & in *poſthumam* [a] cadere, quæſtionis non eſt, quamvis poſthumæ non cadere in eam, quæ in rebus humanis ſit, certum ſit.

EXPLICATIO.

Poſthumam. a] *Poſthumi* ii *propriè* dicuntur, qui poſt mortem patris naſcuntur, *l.* 3. §. 1. *ff. de injuſt. rupt.* ſic dicti, quod poſt humatum ac ſepultum patrem naſcantur. *Varro. de ling. Lat. lib.* 8. *ſect.* 38. *Iſidor. lib.* 9. *cap.* 5. *orig.* Cujacius *lib.* 5. *obſerv.* 4. & *ad l.* 4. *ff. de lib. & poſth.* poſthumos quaſi poſtremos vel poſteriores dici autumat. *Poſthumi* autem eadem eſt ratio in hereditate parentum, quæ jam natorum. *l. qui in utero.* 26. *ff. de ſtatu hom.* Revera enim poſthumus eſt filius, ut contra filius jam natus non eſt poſthumus. Itaque nomen *filiarum* in *poſthumam* cadere quæſtionis non eſt: quamvis poſthumæ non cadere in eam quæ in rebus humanis ſit, certum eſt. *Connan. lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 8. *Vult. ad* §. 1. *num.* 1. 2. *Inſt. de exhered. liber.* Undè ad Legatum filiabus relictum quoque admittentur poſthumæ, *l. qui filiabus.* 17. *de legat.* 1. Si quis filiabus ſuis vel

vel filiis tutores dederit, etiam poſthumæ dediſſe cenſetur. *l. ſi quis filiabus.* 5. *ff. de teſtam. tut.* Et paterna de operis à liberto ſibi liberiſque ſuis præſtandis ſtipulatio, ad poſthumos quoque pertinebit. *l.* 5. *de oper. libert. Impropriè* etiam *poſthumi* dicuntur, qui poſt teſtamentum factum vivo teſtatore, nati ſunt. §. *poſthumorum. Inſt. eod. l.* 13. *ff. de injuſt. & rupt. vide Forcatul. dialog.* 8. *Necyoman.* Inter poſthumos habentur, quoad effectum rumpendi teſtamenti. *l* 3. §. 1. *de injuſt. rupt.* 122. *fact. teſt.* §. *poſthumorum.* 2. *Inſt. de exhered. liberor.*

IDEM §. 1.

P*Artitionis* [a] nomen non ſemper *dimidium* ſignificat: ſed prout eſt adjectum [b]. Poteſt enim juberi aliquis & maximam partiri poſſe, & viceſimam, & tertiam, & prout libuerit, ſed ſi non fuerit portio adjecta, *dimidia* [c] pars debetur.

EXPLICATIO.

Partitionis. a] Pertinet hic §. ad partitionis legatum. Fit cum teſtator dimidiam hereditatis partem, vel tertiam legat, vel cum ſic *Mævius heres meus cum Titio hereditatem meam partito:* & tunc dimidia pars debetur. *hic &* §. *ſed quia. Inſt. de fideicom. hered. Vlp. in fragm. tit.* 24.

tit. 24. *Cic. de legibus. l. etiam ff. de uſufr.* Qui legatarius partis ſuæ commoda, & pro parte ſua onera debet ſuſtinere: *l. cum filius.* §. 1. *l. ſi quis ſervum.* § *fin. ff. de legat.* 2. & in eam rem partis & pro parte ſtipulationes interponuntur *d.* §. *ſed quia.* Non eſt partitionis legatum, ſi pars bonorum legata, nec illud legatum onus ſequitur. *l. non amplius. & l. ſeq. ff. de legat.* 2. Bonorum enim appellatione onera & damna non continentur, continentur ea verbo hereditatis. *l.* 81. *ff. de legat.* 3. *l.* 2. §. 1. *ff. de collat. bon. l.* 16. §. 1. *ff. ad SC. Treb. l.* 8. §. *ult. l. ſeq. ff. de legat.* 2. *l.* 104. §. *ult. ff. de legat.* 1.

Prout eſt adjectum. b] Tot enim cujuſque rei conſtituere licet, quot lubet. Exempli gratia: *Maxima, minima, l. ult. Cod. & quib. part. viceſima, tertia.* Aliquandò tollendæ obſcuritatis gratia *dimidia* ipſa pars exprimitur. *l. Æmilius.* 38. *de minor.* § *theſauros de rer. diviſ. Inſt. l.* 3. § *ſi in locis. de jure fiſci. l. Lucius.* 87. §. *filiam. de legat.* 2. Sed & ſi non ſit adjectum, non rarò ex re ſubjecta tacitè ſubauditur, quota pars ſit. *Vid. l.* 1. *l.* 2. *l.* 3. *Cod. quand. & quib. quart. pars. l. omnimodo.* 30. *l. quoniam.* 32. *cum ſeq. l. pen. Cod. de inoff. teſtam. Novel.* 1. & 18. Sed quotieſcunque eſt aperta & explorata Legiſlatoris, Teſtatoris vel Contrahentium ſententia, nullus conjecturæ locus relinquitur. *l. ille aut ille.* 25. *de legat.* 3. *l.* 17. *de verb. oblig. l.* 5. §. *qui. de oper. nov. nunt.*

Dimidia. c] *Partis* enim appellatione ſimpliciter prolatâ non alia quam *dimidia* contineri

neri poteſt, quia nulla eſt tam minima quâ non poſſet alia minor conſtitui: Sunt enim partes juris ut aſſes diviſibiles in infinitum ſi non actu, ſaltem potentia, ut de partibus quantitatis continuæ Phyſici jactare ſolent. Et JCtus *l. recte.* 35. §. *ult. & hac. l. ff. hic.* monet hoc in dubio dicendum eſſe, ſed tamen etiam partem propriè dici eam quæ major aut minor eſt dimidia.

IDEM §. 11.

HAbere, ſicut *pervenire*, cum effectu *a* accipiendum eſt.

EXPLICATIO.

Cum effectu. a] Verba ne ſint inania; ut aliquid efficere debent; *l. ſi quando.* 109. *de legat.* 1. ita & cum effectu intelligi, *l.* 1. *quod quiſque jur. l. pen. Ne quis eum qui in jus voc.* maxime cum factorum rerumque gratia comparata ſint. Verba, (quæ à veritate deducit Lactantius) niſi, conferantur in rem, vanum quid videntur & inane. In hac ſpecie, *perveniſſe* ad quemque, & id *habere* quemque dicimus rectè, quod habeat cum effectu, id eſt, cum ſua cauſa; & ita ne auferri, neve evinci ab eo poſſit. *l. non quocunque.* 82. *de legat.* 1. *l. quod evincitur.* 190. *de reg. jur.*

LEX CLXV.

Pomponius Lib. V. *ad Sabinum.*

V*Eniſſe* [a] ad heredem nihil intelligitur, niſi *deducto ære alieno* [b].

EXPLICATIO.

Veniſſe. a] *Veniſſe* aut *perveniſſe* dicitur quod eſt reman'urum, *l* 71. *ff. hic.* & quod deductis oneribus ad aliquem pervenit. *hac. l. &* *l.* 36. §. 1. *ff. ad SC. Treb.* Verbum enim *pervenire* cum effectu accipiendum eſt. *l. præc.* §. *ult.* Proinde in Senatuſconſulto circa petitionem hereditatis facto, perveniſſe ea intelliguntur quibus poſſeſſor locupletior factus eſt, quæque in ea cauſa manent, nec ſunt reſtituta. *l.* 21. §. *item placere &* §. *bonæ fidei. ff. de petit. hered. l in heredem.* 26. *ff. de dolo.* In ſtipulatione quoque emptæ hereditatis (quæ ita concipitur, *Quanta pecunia ad te ex hereditate pervenerit. l.* 50. *ff. de verb. oblig.*) quod legatorum, vel æris alieni, vel cujus alterius oneris hæreditarii nomine erogatum eſt, perveniſſe non videtur. *l.* 2. *cum* §§ *ſuis. ff. de petit. hered.* In legato *Quanta pecunia ad me ex hereditate Titii pervenit tantum dato*; id continetur, quod ex ea hereditate acceptum in tabulas ſuas teſtator retulerit, cautione à legatario præſtanda, ſi quis fortè poſtea ejus hereditatis nomine heres damnetur.

tur. Nec enim poteſt videri ad eum *perveniſſe*, quod ejus hereditatis nomine præſtaturus eſt. *l.* 23. §. *cùm ita legatus. ff. de legat.* 3.

LEX CLXVI.

Idem Lib. VI. *ad Sabinum.*

URbana *familia* [a] & *ruſtica*, non loco, ſed *genere* diſtinguitur, poteſt enim aliquis *diſpenſator* [b] non eſſe ſervorum urbanorum numero: Veluti is, qui ruſticarum rerum rationes diſpenſet, ibique habitet, non multum abeſt à *Villico* [c]. *Inſularius* [d] autem urbanorum numero eſt: videndum tamen eſt, ipſe dominus, quorum loco quemque habuerit: quod ex numero [e] familiæ, & *vicariis* [f] apparebit [g].

EXPLICATIO.

Vrbana. a] *Vrbana* familia à *ruſtica*, non loco. ſed genere, id eſt, opere, *l.* 99. *ff. de legat.* 3. operis, *l.* 12. §. 42. *ff. de inſtr. & inſtrum. leg.* officiis, *l* 65. *ff. de legat.* 2. uſu, *l.* 4. §. 5. *ff. de pœnis.* diſtinguitur. Teſtantis enim uſus præcipuè ſpectari debet, videndumque eſt, quo quemque ſervum loco ac numero is habuerit. Et certè quos circa ſe habet paterfamilias,

lias, & ſui uſus miniſteriique urbani cauſa, non poſſunt non in eo numero eſſe. Quod plenius exponitur. *in d. l. ſer vis urbanis. 99. ff. de legat. 3. & d. l. quæſitum eſt. 12. §. idem reſpondit. 42. ff. de inſt. & inſtrum. leg. l. 4. §. pen. ff. de penu. leg.*

Diſpenſator. b] *Diſpenſator* ſervus appellatur, qui familiæ rationes diſpenſat, peculiique adminiſtrationem habet. *l. 51. l. 62. ff. de ſolution. l. 1. in fin. ff. de auro & arg. leg. l. 166. l. 203. ff. hic.* Quintilianus *lib 6 cap. 4. Diſpenſatori* qui cum ad reliqua non reſponderet, dicebat ſubinde, non comedi. Suetonius. *in Veſpaſiano.* Admonente *diſpenſatore*, quemadmodum ſummam vellet rationibus inferri, &c. Per diſpenſatores itaque olim nomina faciebant. *ut apparet ex l. ult. § ſi inter. ff. de verb. oblig.*

Villico. c] *Villicus*, à villa dictus, *Varro. lib. 1. de re ruſtic.* eſt Servus is, qui præpoſitus eſt rationibus ruſticis, fructibus percipiendis, univerſoque operi ruſtico. *l. 8. ff. de inſtr. & inſtrum. leg l filio ff. de adimend. leg. l. ſi cum villico. 16. ubi Gothofr ff de inſtit. action.*

Inſularius. d] *Inſularius*, eſt ſervus inſulæ, id eſt, ſeparatæ domus, cuſtos. *l. 16. §. 1. ff. de uſu & habit. l. ult ff. de off. Praef. Vigil l. 5. ff. de inſt. act. l. 203. ff. hic.* Ei ſimilis eſt, qui Gallica lingua *Conciergerius* nominatur.

Numero. e] Id eſt ordine. Numerus enim & pro ordine ponitur. *l. un. in fin ff. de bon. poſſeſſ. ex teſtam. milit.*

Vicarius.

Vicariis. f] *Vicarius* ſervus eſt, qui in familia ordinarii vices gerit. Ulpianus. *l. ſervos.* 73. *ff. de legat.* 3. *Vicarios* ſervorum ſuorum numero non contineri Pomponius ſcribit. Paulus *l. ſi in re.* 19. *ff. de noxal. act.* Si ſervus tuus navem exercuerit, ejuſque *vicarius* & idem nauta in eadem nave damnum dederit. *Vicarius* & *ordinarius* nomina ſervorum, inter ſe conferuntur: nam ille in hujus, quaſi domini, peculio ſervus eſt. Ulpianus. *l.* 17. *ff. de pecul.* Si ſervus meus ordinarius vicarios habeat, id quod vicarii mihi debent, an deducam ex peculio ſervi ordinarii?

Apparebit. g] Igitur ſi ſervus ordinarius, urbana ruſticaque negotia tractans, habeat alios vicarios urbanis, alios ruſticis, qui ſervus in ruſtici vicarii famulitio erit, ruſticus cenſebitur, & contra. Ex vicariorum opere conditio actorum quibus ſubſunt, dignoſcitur. Ex cibariorum & alimentorum genere & demenſo menſtruoque vel diario cibo ſervorum qualitatem ſecerni poſſe, non eſt abſurdum. Ut nec ex nomenclatura, ſeu numero ſervorum; fortè illud ipſum, *ex libellis familiæ. l. ſervis.* 99. *de legat.* 3. Villici enim, præter ephemeridem operumque ruſticorum commentarium, ſervorum quoque quaſi cenſum habebant. *Forner. hic.*

IDEM §. 1.

PErnoctare *a* extra urbem intelligendus eſt, qui nulla parte noctis *b* in urbe eſt. *Per c* enim totam noctem ſignificat.

EXPLICATIO.

Pernoctare. a] *Pernoctare* extra urbem, eſt de nocte integra urbe abeſſe. Præſidi abnoctare extra provinciam non licet. *l.* 15. *ff. de offic. Praſid.* Mulier quæ trinoctio abnoctaſſet uſurpabatur. *Gell Noct. Attic. lib.* 3. *cap.* 2. *in fin.* Flamen dialis, non ultra binoctium pernoctare poterat. *Tacit.* 3.

Nulla parte noctis. b] Qui ergò aliqua noctis parte in urbe fuit, extra urbem pernoctaſſe, dici non poteſt. *vid. & Aul. Gell. Noct. Att. cap.* 2. *lib.* 3.

Per. c] *Per* enim auget ſignificationem & integrum quid denotat. Sic (ut ſupra diximus) ædificia *perfeciſſe* dicitur non qui inchoavit, non qui majorem partem extruxit: ſed qui conſummavit, qui eo perduxit, ut in uſu eſſe poſſint. *l. ædificia.* 339. *§.* 1. *ff. hic.* ut corpus ſit ex opere perfectum. *l.* 5. §. 1. *ſupra hic.* Sic *perſuadere* plus eſt, quam *ſuadere*, hoc eſt conſilium dare; cum ſit ſuadendo eò adigere, ut in eandem ſententiam quis deſcendat. *l.* 1. *§. perſuadere. de ſervo corrupto.* Sic pertextum veſtimen-

veſtimentum eſt illud, quod contextum eſt, & texendo conſummatum. *l. veſtimentum.* 22. *de auro & arg. leg.* Sic *peragere fabulam.* Cicero dixit pro eo quod eſt, totam comœdiam abſolvere. *Perdiſcere*, & perfecte & totum diſcere. Hinc illud: *Voluntatem diſcendi ſimul cum ſpe perdiſcendi abjecit.*

LEX CLXVII.

Vlpianus Lib. XXV. *ad Sabinum.*

C*Arbonum* a appellatione *materiam* b non contineri. Sed an *lignorum?* & fortaſſis quis dicet, nec lignorum: non enim lignorum gratia habuit. Sed & *titiones*, & alia *ligna cocta*, ne fumum faciant utrum *ligno*, an *carboni*, an ſuo generi adnumerabimus? & magis eſt, ut *proprium* genus c habeatur. *Sulphurata* quoque de ligno æque eandem habebunt definitionem. Ad *faces* quoque *parata* non erunt lignorum appellatione comprehenſa, niſi hæc fuit voluntas. Idem & de *nucleis* d olivarum, ſed & de *balanis* e eſt, vel ſi qui alii nuclei, De *pinu* f autem *integri ſtrobili* g, ligni appellatione continebuntur.

EXPLICATIO.

Carbonum. a] *Carbo* non tantum pruna extincta, ſed & dicitur cum eſt ignitus. *l. ſervitutes. ff. de ſervitut. l. fundum. ff. de action. empt. Carbonibus legatis* materia non videtur legata: ut nec ligno legato. Materia enim rei appellatione quæ ex ea conficitur, non venit. *hic & l. librorum.* 52. *§ quòd tamen. l. ligni.* 55. *§. ſi lignum.* 7. *cum §. ſeq. ff. de legat.* 3. Nec è diverſo appellatione materiæ continetur materiatum, id eſt, ex materia confectum corpus aliquod, ac maxime ſi ſpecies facta ad priſtinam materiam reduci non poteſt. *l. Servius.* 57. *l. argento.* 53. *ff. de legat.* 3. *§. cum ex aliena. Inſt. de rer. diviſ.* niſi teſtatoris voluntas aliud urgeat. *d. l. librorum.* 52. *§. quod tamen.* 4. *d. l. Servius.* 57.

Materiam. b] *Materia* generaliter dicitur ex qua aliquid fit. *l.* 7. *§. cum quis ex aliena. ff. de acquir. rer. dom. Materiam* itaque propriè rudem & informem accipimus, & operi faciundo deſtinatam. Sed hic ut & alibi Juriſconſulti, *materiam* à *ligno* ſeparant: *hoc* vocabulo ea quæ comburendi cauſa parata ſunt, ſignificantes: *illo* verò ea, quæ ad ædificandum, fulciendum, adcommodata ſunt. *l. ligni.* 55. *ff. de legat.* 13. *l.* 12. *in princ. ff. de uſufructu. l.* 18. *§ ſi quis caverit. ff. de pignor. act. l.* 45. *§. pen. ff. de jure fiſci. l.* 14. *§.* 1. *ff. de peric. & com. rei vend. l.* 47. *ff. de act. empt.*

Genus.

Genus. c] Non ergò *titiones*, & alia *ligna cocta*, & *ſulphurata*, & *faces*, & nuclei, ligno legato venient. *Ligna cocta* ſunt, quæ igne vel ſole ita toſta, exſiccata & peculiari ſtudio arida reddita, ut nihil ſucci inſit, quo fumus excitari queat, maximè ſi habeantur amurca (hoc eſt, fece & ſorde olei conſperſa. *ut ex Plinio & Catone aſſerit, Franc. Marius. de partib. adium. cap.* 4. *lib.* 2. *Sulphurata* de ligno ſunt ligna, ad ignem ſuſcipiendum ſulphure illita. *d. l.* 55. *§. ult. Plin. lib.* 36. *natur. hiſtor. cap.* 19. Venduntur in faſciculos collecta & quaſi gregatim permutantur. *Franc. Mar. de part. ad. cap.* 4. *lib.* 2.

Nucleis. d] *Nucleus* vel ſignificat, dulce quod duro in nucibus, prunis, olivis, contegitur; quo ſenſu hic non accipitur: vel corticem, qui olivis aliiſque ſimilibus detractus eſt ſuffimenti cauſa; in qua ſignificatione hic ſumitur.

Balanis. e] *Balanus* glandem generaliter ſignificat. Plinius *lib.* 17. *cap.* 20. 7. *In quacunque terra ſeritur è balano.* De eſculo loquitur. Specialiter tamen, de palmulis, quas vulgò dactylos vocamus, accipitur, ut hic ab Ulpiano, & Plinio *lib.* 13. *cap.* 4. 18. *num.* Nam in alia parte Phœnices, Ciliciæque populari etiam nomine à nobis appellantur balani. De dactylis palmarum fructu.

Pinu. f] *Pinus* eſt arbor picei generis nuces ferens, quas *ſtrobylos* tum Galenus, tum JCti vocant. *Franc. Mar. de part. adium. lib.* 2. *cap.* 3.

Hi ligno legato venient; *hic. & d. l. ligni.* 55. § *fin. ff. de legat.* 3. cum cibo ſint inutiles, & ſolis ignibus apti.

Integri ſtrobili. g] Id eſt, virentes adhuc & nondum maturi.

LEX CLXVIII.

Paulus Lib. IV. *ad Sabinum.*

P*Ali a* & *perticæ* in numerum *materiæ* redigendi ſunt, & ideò lignorum appellatione non continentur.

EXPLICATIO.

Pali. a] *Pedamenta*, de quibus meminit Ulpianus *in l.* 3. *ff. de ſerv. ruſtic. præd.* ſunt munimina & pali, quibus vitis caduca fulcitur. *ut ex Catone docet Alex. ab Alex. Genial. dier. lib.* 2. *cap.* 10. *Pedamentorum* tria ſunt genera: unum *robuſtum*, ſeu fixile, è quercu, caſtanea, vel junepero, quod ridica dicitur: aliud è pertica conficitur, hinc palus dicitur; & eſt *teres:* tertium ob neceſſitatem ex harundineto conficitur: ut *Varro Columella in tract. de re ruſtica tradiderunt.* Et propterea Plinius. *Pedatas vineas dixit.* Pali autem & perticæ, *hic & l. pali.* 56. *ff. de legat.* 3. lignorum appellatione non continentur, Quod in numerum materiæ redigendi ſunt. quod tamen reſtringendum, niſi ex vetuſtate ulterius ad uſum vitium

tium apti non eſſent. *Coraſ. Miſcellan. lib.* 19. *c.* 1. *num. ult. Alciat. Brech. hic.*

LEX CLXIX.

Idem Lib. V. *ad Sabinum.*

NOn tantum in *traditionibus*, ſed & in *emptionibus*, & *ſtipulationibus*, & *teſtamentis* adjectio hæc, *Uti optimus maximusque eſt*, hoc ſignificat, ut liberum [a] præſtetur prædium, non ut ſervitutes ei debeantur [b].

EXPLICATIO.

Liberum. a] Qui prædium tradit, vendit, legat, his verbis *optimus maximusque*, libertatem prædii innuere, non ſervitutem ei deberi ſupra diximus. *l.* 126. *& l.* 90. Quid autem, ſi teſtator unum habens fundum, ita leget, *Uti optimum maximum do, lego.* An hic debetur fundus, etiamſi non liber: Omninò. Nec enim demonſtratio falſa legatum vitiat. *l.*17. §.1. *de condit. & demonſtr. &* §.30. *Inſt. de legat.* Nec ita heredem de evictione dabitur actio. In emtione ſecus eſt, ſi venditor nominatim dixerit, vendi fundum uti *optimus maximus* eſt: tunc enim evictâ ſervitute prædiali, venditor de evictione tenetur. *l. pen. de evition.*

Non ut ſervitutes ei debeantur. b] Quod ferè præſumitur. *l. altius.* 8. *Cod. de ſervit. & aqua.*

qua. Pluris æſtimantur prædia libera. Contra multum decedit de pretio fundi ſervitutem debentis. Quo nomine, quanti minoris ex empto, & aliæ actiones ſunt comparatæ. *l.* 1. *in fin. l. ſi tibi liberum.* 8. *de act. empt. l. ſed & ſi.* 22. *de cond. indeb. l. quoties.* 61. *de Ædil. Edict. l. qui libertatis.* 69. §. *pen. de Eviction. Forner. hic.*

LEX CLXX.

Ulpianus Lib. XXXIII. *ad Sabinum.*

HEredis appellatione *omnes* ſignificari *ſucceſſores* a credendum eſt etſi verbis non ſunt expreſſi.

EXPLICATIO.

Omnes ſucceſſores. a] Hac de re & ſupra. *l. heredis.* 65. diximus. Hic addimus. Si heres gravatus, & primus non adeat, omnes, ſive jure civili, ſive prætorio, ſive directè, ſive per fideicommiſſum ſuccedant, ſolvere teneri: *Alciat. hic.* ſi quis ſibi & ſucceſſoribus paciſcatur, & particularem contineri: *l. fluminum.* §. 1. *ff. de damn. inf.* ut geminatio alicujus ſit effectus, nec alterum videatur ſuperfluum. *Iaſ. l. quidem.* §. 1. *de edend. Alexand. conſ.* 193. *in* 2.

LEX CLXXI.

Pomponius Lib. XVI. *ad Sabinum.*

P*Erveniſſe* a ad te rectè dicitur, quod per te ad alium pervenerit: ut in hereditate à liberto per patronum filiumfamilias patri ejus adoptivo adquiſita reſponſum eſt.

EXPLICATIO.

Perveniſſe. a] Licet *perveniſſe* verbum cum effectu accipiendum ſit, *l. cepiſſe.* 164. §. *fin. ſupra.* & dictio. *Per* illi addita perfectionem quandam acquiſitionis denotet, *vid. ſupra. l. 166.* §. 1. & *l. qui concubinam.* §. 1. *ff. de legat.* 3. tamen ſi quis filium, cujuſdam liberti patronum, arrogans, caverit, *Quod ad eum filium perveniſſet, eo defuncto, his ad quos ea res pertinere potuiſſet, reſtituturum*; & filius liberto ſucceſſerit, & ſic eam hereditatem cum ex regula juris ne momento quidem in perſona filii conſiſtat, *l. placet. ff. de acq. hered.* ſibi quæſierit; ad filium rectè nihilominus ea dicetur perveniſſe; & ſic erit reſtituenda; quia hereditas non patris, ſed filii reſpectu delata, *l. ſed ſi plures.* §. *in arrogato. ff. de vulg. & pup. ſubſt.* quia verba ſtipulationis hoc inferunt. *Perveniſſe* enim ad me dicitur, quod per me ad alium pervenit;

venit; *l.* 150. *ſupra.* dum ille jure meo nitatur. *d. l.* 140. *ubi vide.*

LEX CLXXII.

Ulpianus Lib. XXXVIII. *ad Sabinum.*

L*Iberti* a appellatione etiam libertam contineri placuit.

EXPLICATIO.

Liberti. a] Sicuti patroni appellatione, patrona; ſervi nomine, ancilla; fratris, ſoror, filii, filia, intelligitur: *l. patroni.* 52. *l. inter ſtuprum.* 101. *fin. l. quiſquis.* 116. *hic. l. Lucius.* 88. §. *matre. de legat.* 2. *l. tres.* 25. *de pact.* ita *liberti* nomine *liberta* quoq; continetur. Quare ſi quis libertis alimenta legaſſit, & libertabus debebuntur: *l.* 4. *de alim. & cibar. legat.* Patronus non minus libertæ, quam liberto heres tutorque legitimus erit. §. *ex eo enim. verſ. libertorum libertarumque. Inſt. de legit. patron. tut.*

LEX CLXXIII.

Idem Lib. XXXIX. *ad Sabinum.*

C*Ollegarum* a appellatione hi continentur, qui ſunt ejuſdem poteſtatis.

EX-

EXPLICATIO.

Collegarum. a] *Collegæ* (ut hic inquit JCtus) dicuntur, *Magiſtratus* qui ſunt ejuſdem poteſtatis; ſic dicti ab eo quod una lecti ſint. *Varro lib. 5. de ling. latin. Collegæ* ergò dicuntur Magiſtratus municipales, Præſides *l. 7. ff. de cuſtod. & exhib. reor.* item contutores concuratoreſque, *l. 14. l. 46. § cum teſtamento ff. de admin. tut. l. 2. C. eod. l. 5. ff. de ſuſp. tut. l. 3. C. de probat. l. 4. C. de magiſt. conven.* qui eadem legatione funguntur; *l. 2. C. de legation. lib. 10.* Quinimò & coheredes collegæ dicuntur, *l. 101. ff. de ſolution.* nec non hi quoque qui in eodem collegio ſunt. *l. 41. §. ult. l. 42. l. ult. ff. de excuſat. tut. l. ult. C. de hered. Decur.* Prætores etiam *Collegæ* Conſulum ſunt, non quod ſint pari Imperio (Majus enim eſt Imperium Conſulis, & ſuperior Magiſtratus *l. 4. ff. de recept. arbit.*) ſed quod iiſdem creentur auſpiciis, quod quaſi participato magiſtratu ſe invicem collegas ſoleant appellare: *Plin. in Panegyr.* quod Prætores ita rogentur, ut collegæ Conſulum ſint. *Cic. 9. ad Atticum.*

IDEM §. 1.

Qui *extra* a *continentia urbis eſt, abeſt:* cæterum uſque ad continentia, non abeſſe videbitur.

EX-

EXPLICATIO.

Qui extra. a] *Abeſſe* verbum multifariam in jure accipitur; *de quibus infra in l. abſentem.* 199. hic dicitur, eum *abeſſe*, qui eſt extra continentia urbis, id eſt, ſuburbia & quatenus ſe urbs continet. *vid. l.* 5. *l.* 6. *l.* 7. *Cod. de procurat. l. abſentem.* 199. *inf. hic* Hujus ergò procurator rem ratam haberi, aut judicatum ſolvi ſatiſdare debet. *Gl. in l. præſens.* 5 *ff. de procurat.* Qui ergò in hortis, *d. l. præſens.* 5. in foro, urbe, continentibus ædificiis eſt, præſens eſſe cenſetur, *l. & qui.* 6. *cum. l. ſeq. ff. eod.* cum nullo, aut ipſius, aut actoris, incommodo fieri facile poſſit ut adſit, ſi evocetur ad Prætorem.

LEX CLXXIV.

Idem Lib. XLII. *ad Sabinum.*

ALiud eſt a promittere *furem non eſſe*, aliud *furto noxaque ſolutum.* qui enim dicit *furem non eſſe*, de hominis propoſito loquitur: qui *furtis noxaque ſolutum*, nemini eſſe furti obligatum promittit.

EXPLICATIO.

Aliud eſt. a] Qui mancipium vendit, illud *furto noxaque ſolutum* præſtare tenetur, *l.* 1. *ff.* *de*

de Ædil. Edict. Furto Noxaque, ſolutus dicitur, non qui noxam nunquam commiſit, ſed qui ob eam rem noxali judicio ſubjectus non eſt. *hac. l. & l.* 17. §. *quod ajunt. ff. eod. l.* 72. §. *pen. ff. de ſolution. l.* 3. *ff. ſi. fam. furt fec. dic. l. fin. ff. de rer. permut.*. & noxiis ſolutus. *l.* 45. §. 1. *ff. de legat.* 1. *Noxis* quoque *ſolutus* ſervus dicitur *noxio contrarius*, ob cujus noxam nihil debetur, vel qui nemini eſt obnoxius (nam hinc quoque fictum obnoxii vocabulum videtur.) quaſi liber & ſolutus omni obligatione, quæ ex noxa contrahitur, ſive quod nullam admiſerit, ſive quod eo nomine ſatisfactum ſit. Qui in ſervi venditione, ut ſæpe fieri ſolet, non tamen neceſſe, promittit ſervum furem non eſſe, de animo hominis, propoſitoque loquitur, undè ſi ſervus furtum, venditori, domino, extraneo, fecerit, ex ſua promiſſione venditor tenetur. *l. quod ſi nolit.* 31. *l. ſi furtum.* 52. *ff. de Ædil. Edict.*

LEX CLXXV.

Pomponius Lib. XXII. *ad Sabinum.*

F*Aciendi* a Verbo, *reddendi cauſa* continetur.

EXPLICATIO.

Faciendi. a] *Facere* verbum, ut & *factum*, duplici modo accipitur. *Uno* pro mero facto; & tum

tum nihil aliud ſignificat, quam corporalem effectionem; veluti *foſſam fodere*, *Romam ire*, *&c. Hoc* qui promiſit, ſi liber, præſtatione ejus quod intereſt liberatur. *l. ſi inſulam. ff. de verb. oblig. Altero* pro eo quod effectum juris poſt ſe relinquit; & tum omnem omninò faciendi cauſſam complectitur: *dandi, ſolvendi, numerandi, judicandi, l. verbum.* 218 *ff. hic.* item *reddendi*, *hac. l.* & *reſtituendi.* Hinc ſi in fraudem creditorum id quod in diem, vel ſub conditione debebatur, creditori ante tempus ſit redditum, creditoribus conſuletur. Quia quæ in fraudem creditorum facta ſunt Prætor reſtitui jubet. *l. omnes.* 17. *in fin. ff. quæ in fraud. cred. Facta* autem etiam ſunt, quæ ſunt *reddita.* In edicto etiam Quod metus cauſa D. Marcus id quoque factum dici declarat, cum per metum ſibi, rem ſuam non adito Judice aliquis debitorem reddere compulit. *l. 9. §. ex hoc l. extat.* 13. *ff. quod met. cauſ.*

LEX CLXXVI.

Ulpianus Lib. XLV. *ad Sabinum.*

S*Olutionis* [a] verbo, *ſatisfactionem* quoque omnem [b] accipiendam placet. Solvere dicimus eum qui fecit, quod facere promiſit.

EX-

EXPLICATIO.

Solutionis. a] Quid *ſolutionis*, *liberationis*, *ſatiſdationis*, *ſatisfactioniſque* verbo contineatur, ſuperius jam dictum. *l.* 48. *l.* 61. *l.* 117. *ff. hic.*

Omnem. b] Puta, ſi quidem creditor cui ſolvi debet eam acceptare velit: non enim tenetur. *l. item liberatur.* 6. §. 1. *ff. quib. mod. pign. vel hyp. ſolv.* Hinc procurator, ſolutionis recipiendæ conſtitutus, ſi delegationem aliamve ſatisfactionem recipiat, nec de conſenſu creditoris conſtet, debitorem non liberat; quia qui mandat ut ſolutio recipiatur, mandaſſe, ut in ſpecie recipiatur debita, intelligitur. *Alex. conſ.* 95. *in* 5.

LEX CLXXVII.
Idem Lib. XLVII. *ad Sabinum.*

Natura *cavillationis*, quam Græci σωρείτην a (id eſt, *acervalem ſyllogiſmum*) appellaverunt, hæc eſt, ut ab evidenter veris per breviſſimas mutationes diſputatio ad ea, quæ evidenter falſa ſunt, perducatur.

EXPLICATIO.

Σωρείτην. a] Eſt *Sorites* vitioſum interrogandi

gandi genus, ab acervo tritici nomen habens: *Cic. lib. 1. de Orator. & Perſ. Satyr. 6. Inventus Chryſippe tui finitor acervi.* veluti ſi ita interrogem; *Hereſne ſucceſſor eſt; utique. Quid legatarius? id quoque; Titiuſne legatarius? certè; Igitur Titius eſt heres. arg. l. id tempus. ff. de uſucap.* Item ſi interrogetur tale quid, ut in quamcunque partem reſpondeas, deceptus eſſe videaris, ψευδόμενον eſt *Sorites. l. qui quadraginta.* 88. *in princ. ff. ad leg. Falcid. Gell. Noct. Attic. lib.* 16. *cap.* 20. Cicero in Hortenſio, apud Nonium; *Tune pſeudomenon & ſoritem & totam dialecticam aut illudis, aut increpas?* Africanus, τῶν ἀπόρων, quæſtionem, quæ apud Dialecticos τοῦ ψευδομένου dicitur. *l. qui quadringenta. ad leg. Falcid.* Seneca *lib.* 7. *de benefic. cap.* 4. exemplum dat. *Sic loquitur: Is cujus proſtitutæ ſunt leno eſt; Omnia autem ſapientis ſunt. Ergò ſapiens eſt leno.* Ibidem: *Nemo rem ſuam emit. Omnia autem ſapientis ſunt. Ergò ſapiens nihil emit.* Siquidem in interrogationibus adhibebantur *Sorites*, ſed ita ſubtiliter, & cautè, ut earum modus penè inexplicabilis eſſet, ac ne internoſceretur quidem niſi à peritiſſimis & in omni genere diſputandi exercitatiſſimis. *ut ex Seneca Epiſt.* 89. *refert. Fab. ad l. ea eſt natura.* 65. *ff. de div. reg jur.* Exemplum eſt, ſi quis ita inducat: *Ex pluribus cauſſis poſſidemus, poſſidendo uſucapimus. Vſucapione domini efficimur. Ergo ex pluribus cauſſis dominium accipimus.* Poſtremum falſum eſt, præcedentia veriſſima. *l.* 3. *§. ex pluribus ff. de acq. poſſeſſ.*

Nam

Nam *uſucapio* non eſt *dominium*, ſed cauſſa & velut modus dominii conſequendi, nec ſola ſufficit, niſi & bona fides, & legitimum continuumque tempus interveniat. *tot. tit. ff. Inſt. C. de uſucap.* & in ſumma magis unum genus eſt poſſidendi, ſpecies infinitæ. *d. l.* 3. § *genera.* Contra ex falſis præmiſſis vera poteſt effici concluſio: ut *Omne prædium in jure conſiſtit. Omnis ſervitus eſt prædium. Ergò omnis ſervitus in jure conſiſtit. Cujac. in tract. ad African. par.* 5. *Sturcius ad d. l. ea eſt natura.* 65. Scire has *cavillationes* JCtus debet, non ut iis utatur, ſed ut acutè iis occurrere poſſit. Malitiis enim eſt obviandum. *l. in fundo.* 38. *ff. de rei vind. l. cum pater.* 77. §. *Titio. ff. de legat.* 2. *Dec. Cagnol. num.* 11. 12. & 13. *ad d. l. ea eſt natura.*

LEX CLXXVIII.

P*Ecuniæ* a Verbum, non ſolum *numeratam pecuniam* complectitur: verum omnem omninò pecuniam, hoc eſt, *omnia corpora.* Nam *corpora* quoque b *pecuniæ* appellatione contineri, nemo eſt, qui ambiget.

EXPLICATIO.

Pecuniæ. a] *Pecunia* à pecude dicta, quaſi patrisfamilias peculium ex pecude æſtimatum; quod in pecoribus omnis veterum ſubſtantia, & pa-

& patrimonium eſſet. *Columella in præfat. lib. 6.* D. Auguſtinus. *ſerm.* 239. inquit: *Pecuniam, aurum, argentum, poſſeſſiones, breviter dicam, pecuniam: totum enim quicquid homines poſſident in terra, omnia quorum domini ſunt, pecunia vocatur: Servus ſit, vas, ager, arbor, pecus, quicquid horum eſt, pecunia dicitur. Et inde eſt primùm vocata pecunia, ideò quia antiqui totum quod habebant, in pecudibus, pecoribus habebant, à pecore pecunia vocata.* Hinc *pecunia* verbum, cum latiſſimè accipitur, (ut hodie ex Juſtiniani conſtitutione in actione de conſtituta pecunia. *l.* 2. *C. de conſt. pecun.* & in favoralibus.) ad omnia ea quæ in patrimonio ſunt, *l.* 5. *ff. hic.* ſive ſint res corporales, ſive incorporales refertur. *l. hac. & l pecunia. 222. ff. hic.* Plinius *lib.* 13. *natur. hiſtor.* pecuniam pro nummis ſimpliciter accipit, & à nota pecudis nomen accepiſſe aſſerit, eò quod pecudis nota primum æs ſignatum ſit. Quo, & quidem ſtrictiſſimo ſignificatu, accipitur, in odioſis, ut SCto Macedoniano, *l. item ſi.* 7. §. *metui.* 3. *ff. de SC. Maced.* & cum hoc res ſubjecta, ut emptio, *l.* 1. §. 1. *ff. de contr. empt. l.* 5. §. 1. *ff. de præſcr. verb. l. pen. C. de rer. permut.* aut notæ (ut numerata) adjectio ſuadet: *l.* 4. *ff. de reb. cred.* nonnunquam, etiam ex ſubjecta materia, aliquanto latius pecuniæ verbum accipitur; puta in mutuo, & interdum aliis contractibus. Et vel ſpeciem aut certum corpus ſignificat; ut *Stichum, gregem, pecuniam in ciſta*; *Bart. n.* 2. *&* 9. *ad l. talis.* 30.

ff. de

ff. de legat. 1. *l. fin. ff. de cond. cauſ. dat.* vel genus genere ſuo conſiſtens; ut *hominem, equum bovem*; *l. quod te. l. condictio.* 9. *ff. de reb. cred. l.* 1. *ff. de tritic. cond. d. l. fin.* vel res in quantitate ponderis, menſuræ, numeri conſiſtentes, cujuſmodi mutuò dantur. *l.* 2. §. 1. *& ſeq. l.* 3. *ubi Bart. Coſtal. Don. ff. de reb. cred.*

Corpora quoque. b] Intereſt alioqui inter pecuniam ſeu quantitatem & ſpecierum corpora. Hæc perire poſſunt. *l.* 5. *ſi cert. petat.* In illam nullus cadit interitus *l. incendium* 11. *C. ſi cert. petat. l. in ratione.* 30. §. *incerta. ad leg. Falcid.* Pro nummis propter certitudinem non juratur in litem, juratur, pro rebus cæteris. *l.* 3. *de in lit. jur. l. qui reſtituere.* 68. *de rei vind.* Corporum non, ſed quantitatis fit compenſatio, *l.* 18. *de pign. act.*

IDEM §. 1.

H*Ereditas* juris *a* nomen eſt, quod & *acceſſionem* & *deceſſionem b* in ſe recipit. hereditas autem vel maximè fructibus augetur.

EXPLICATIO.

Hereditas juris. a] Aliud eſt *hereditas*, aliud *res* quæ per eam acquiruntur. §. 2. *Inſt. de reb. corp. & incorporal. Hæ* corpora ſunt illa verò jus perſonam defuncti referens: *l. non minus. in fin. ff. de hered. inſtit. hæ* certæ ſunt, illa incerta

incerta eſt: *hæ* per ſe ſemper utiles ſunt; *illa* nonnunquam damnoſa. *l. hereditatis.* 119. *ff. hic. ubi vide.* Hinc venditâ hereditate ipſum jus, non autem res hæreditariæ venditæ cenſentur, nec proinde eis evictis præſtatur evictio. *l.* 2. *in princ. ff. de hered. vend.*

Deceſſionem. b] Hinc petitione hereditatis non tantum veniunt, quæ mortis tempore erant in hereditate, ſed & quæ poſtea acceſſerunt, ut *partus*, *fructus*; *l. item veniunt.* 20. §. 3. *ff. de petit. hered.* Aliud in fideicommiſſaria hereditatis petitione, in qua, (cum fideicommiſſum neque augmentum, neque diminutionem recipere poſſit;) hereditatem reſtituere rogatus, id tantum videtur rogatus reddere, quod fuit hæreditatis, (primò ſcilicet inſtanti quod teſtatoris mortem eſt ſubſecutum, *l. in fideicommiſſaria.* 18. §. 2. *ff. ad SC. Trebell.*) quæ poſtea acceſſerunt, ut *fructus*, non veniunt. *d. l. in fideicommiſſaria.* 18. *in princ.* & §. 2. Adde quod fideicommiſſaria minus propriè eſt hereditas. Cum neceſſe ſit hereditatem priuſquam poſſit reſtitui eſſe aditam, *l.* 1. *l.* 4. *l. ſi patroni.* 55. §. *qui fideicommiſſum. ff. eod.* Hereditas autem per aditionem eſſe deſinit, & fit heredis patrimonium. *l. per curatorem.* 90. §. 1. *ff. de acquir. hered. l.* 1. *ff. de ſeparat.*

IDEM

IDEM §. 11.

A*Ctionis* Verbum, & *ſpeciale* eſt, & *generale* a. Nam omnis actio dicitur, ſive in *perſonam*, ſive in *rem* ſit petitio. Sed plerunque actiones *perſonales* ſolemus dicere. *Petitionis* autem verbo, in rem actiones ſignificari videntur. *Perſecutionis* verbo extraordinarias perſecutiones puto contineri: ut puta *fideicommiſſorum*, & *ſi quæ aliæ ſunt*, quæ non habent juris ordinarii exſecutionem.

EXPLICATIO.

Generale. a] *actionis* verbum hic dicitur *generale* eſt, & comprehendit omnem actionem, ſive in *perſonam*, ſive in *rem*, ſive *perſecutionem*. Nec diſtinguuntur vi & ſignificatione verborum, quæ per ſe idem valent; utpote quacunque de re cum alio jure judicioque agimus, in eo & *actio*, & *petitio*, & *perſecutio* rectè dicitur. *Actio*, quod nulla omninò petitio aut perſecutio eſſe poteſt licet in rem, in qua non cum aliquo de re aliqua agatur, § *omnium. Inſt. de action. Petitio*, quod in omni actione eſt aliquid quod ab adverſario petamus. *Perſecutio*, quod nihil aliud eſt agere &

judicio petere, quam rem judicio perſequi. Sed cum plures eſſent ſpecies actionum, quas commodum eſſet ut re diſtinctæ erant, ita ſingulas, (Nè confuſionem verborum rerum ſequeretur confuſio,) propriis nominibus notari; ideò & hæc Nomina veteres JCti diſtinxerunt, & actionem in perſonam, petitionem in rem, perſecutionem extraordinariam dixerunt. *Donell. in comm. tit. Inſt. de action. ad princ. vide alia quæ hic pertinent ſupra. l. creditores.* 10. & *l. actionis.* 34.

IDEM §. III.

HOc Verbum a *debuit*, omnem omninò *actionem* comprehendere intelligitur, ſive *civilis*, ſive *honoraria*, ſive *fideicommiſſi* fuit *perſecutio*.

EXPLICATIO.

Hoc verbum. a] Comprehendit ergò & *actionem in rem:* Non enim malè dicitur, aliquid debere, eſſe ad id præſtandum jure teneri: aut id præſtandum teneri, aut ita teneri, ut id præſtare oporteat: Atqui debet hoc modo, actione in rem conventus. Non debet nobis rem noſtram, aut eam de qua alia quavis actione in rem agitur; at debet ejus reſtitutionem, eamque ipſam ejuſmodi actione perſequimur. *l. officium. l.* 3. *in princ. verbo. l. reſtituere. ff. de rei vind.*

LEX

LEX CLXXIX.

Idem Lib. LI. *ad Sabinum.*

INter hæc verba, *Quanti ea res erit*, vel, *Quanti eam rem eſſe paret*, nihil intereſt: in utraque nempe clauſula placet *veram rei æſtimationem a* fieri.

EXPLICATIO.

Veram rei æſtimationem. a] Non enim ad *id quod intereſt*, ſed ad *rei æſtimationem* verumque pretium plurimum hæc clauſula refertur. *l. hæc verba.* 193. *ff. hic. l.* 8. *ff. de in lit. jurand.* Veluti in Edicto, quo adverſus eos, qui in turba damnum dederunt, actio in duplum, *quanti ea res*, proponitur; *l.* 4. §. *hæc autem actio. ff. vi bon. rapt.* Undè nonnunquam *id quod intereſt*, (cum verum pretium plerunque excedat, *l.* 1. *ff. de act. emt.*) & *quanti ea res eſt*, opponuntur. *l.* 1. §. *ult. ff. ſi quis jus dic. l.* 4. §. *in eum. ff. de damn. inf.* Pro re tamen ſubjecta varia fit horum verborum interpretatio. In Edicto qui ſatisdare cogantur; & in Edicto de falſo tutore, continent *veritatem*; id eſt veram quantitatem; *l.* 2. §. *ult. ff. qui ſatiſd. cog. l.* 7. §. 1. *ff. quod falſ. tut.* In Edicto contra eos qui in jus vocatos vi eximunt ſcripto, *pœnam. l. pen.* §. 1. *ff. ne quis eum qui in jus voc.* In Edicto Quod metus cauſſa, De dolo, *juris* de

quo agitur *æſtimationem*, *l.* 14. §. *Labeo. l.* 21. §. 1. *ff. quod met. cauſ. l.* 18. *ff. de dolo.* In Edicto de ſervo corrupto, *l.* 9. *in fin. ff. de ſervo corrupto.* Stipulatione rem ratam haberi, *l.* 2. 3. *l.* 8. §. *ult. l.* 19. *ff. rem rat. hab.* Interdicto uti poſſidetis, *l.* 2. § *ult. ff. uti poſſid.* Interdicto de itinere actuque privato, *l.* 1. *l.* 3. §. *in hoc interdicto. ff. de itin. act. priv.* De damno infecto, *l.* 4. §. *in eum. ff. de dam. infect.* id *quod intereſt.*

LEX CLXXX.

Pomponius Lib. XXX. *ad Sabinum.*

TUgurii [a] appellatione omne ædificium quod *ruſticæ* magis *cuſtodiæ* convenit, quam *urbanis ædibus* ſignificatur.

EXPLICATIO.

Tugurii. a] Eſt *tugurium*, caſa ſeu domuncula ruſtica, non parietem habens, nec luto cruſtata, ſed vimineis aut ligneis cratibus, ædificata, intextis ſtramentis, aut arundinibus tegulis, culmiſve temerè congeſtis tecta, non ad inhabitandum ſtructa, ſed ut quæ ibi ſunt ab imbribus ac pluviis, aut nimia ſolis ingreſſione defendantur. *hic. & Varr.* 3. *de re Ruſtic. c.* 12. *Colum. lib.* 12. *cap.* 15. Ejuſmodi ſunt caſæ piſcatoriæ & ejus generis aliæ, quas in littore ponere

ponere licet. *l.* 5. *ff. de rer. diviſ.* Gellius Noct. Atticar. *lib.* 12. *cap.* 11. de Peregrino Philoſopho: *Diverſantem, in quodam tugurio extra urbem vidimus.* Græci hic. Καλύβη καλεῖται πᾶν ἀγροικὸν οἰκοδόμημα. Quod dixerat Cajus, *In mare piſcantibus liberum eſſe caſum in littore ponere, qua ſe recipiant d. l. 5. vid. & l. veluti. 6. §. fin. de ſervit. ruſtic. præd.*

IDEM §. 1.

OFilius ait, *tugurium* à *tecto* a, tanquam *tegularium*, eſſe dictum: ut *toga* quod ea tegamur b.

EXPLICATIO.

A tecto. a] Quia in eo, quod ab aëre & pluviis tegat, maximum uſum præſtat. Feſtus: *Tuguria à tecto appellantur, domicilia ruſticorum ſordida.* Afranius in Virgine. *Sordidum tugurium eſt.* Cæcilius in Hypobolimæo: *Habitabat in tugurione operculo.*

Toga quod ea tegamur. b] Plautus in Rudente. *Tegillum me unum areſcit: Id ſi vis, dabo. Eodem amictus, eodem tectus eſſe ſoleo, cum pluit.* Toga, ejuſque uſus civium Romanorum erat proprius: *l. ſed ſi accepto. 32. de jure fiſci.* ea abſtinere & barbara veſte indui, impunè non licebat. *Cicer. pro Cornel. Balb. Macrob. lib. 6. Saturnal. cap. 5. Paul. lib. 3. ſentent. tit.* Uſurparunt & *Togam* pro *tecto*. Titrucius, Gemina.

Si rus ſcorto conſtituit, claveis illico abſtrudi jubeo; ruſtica ne ſit toga copia: id eſt, (Interprete Nonio, in Toga) tecti.

LEX CLXXXI.

Idem Lib. XXXV. *ad Sabinum.*

VErbum [a] illud *pertinere*, latiſſimè [b] patet. Nam & eis *rebus petendis* aptum eſt, quæ dominii noſtri ſint: & eis, quas *jure aliquo poſſideamus* [c], quamvis non *ſint noſtri dominii* [d]. *pertinere* etiam ad nos dicimus, quæ in nulla eorum cauſa ſunt, ſed *eſſe poſſint* [e].

EXPLICATIO.

Verbum. a] Rectè quis ergò rem ad ſe *pertinere* dicit, non ſolum, ob jus dominii, vel quaſi, verum etiam poſſeſſionis, & quod poſſit ipſius ratione obligationis, vel conventionis intereſſe. *per text. b. & l. ſi poſtulaverit.* 27. §. 1. *ff. ad l. Iul. de adult. l.* 1 *ff. de tab. exhib. l. bona fides. ff. depoſ. l. ſi ita ſcriptum.* 45. §. 1. *ff. de legat.* 2. *l.* 4. *§. ſi quis.* 6. §. *ex hoc Edicto.* §. *ſeq. l. quadam.* 9. §. 1. *ff. de edend. l.* 1. §. 1. *l. ſciendum.* 19. §. *deinde. ff. de Ædil Edict. l.* 7. 8. *ff. de jurejur. l.* 1. §. *prodeſt. §. ſi aliter. l.* 2. *§.* 1. *ff. quorum legat. l.* 3. *l. ſi ſine.* 22. §. *ſi in ſtipulationem.*

tionem. l. ſeq. § ff. rem rat. hab. l. 1. ff. de vent. inſpic. l. Prætor ait. ff de cloac. l 9 §. his verbis. ff. de reb. aut jud poſſ. Pertinere igitur verbum, *ut ex d. ll. patet*, pro ſubjecta materia eſt reſtringendum. *Vide ſupra. l. ſciendum.* 70. §. 1.

Rebus petendis. b] Id eſt, vindicandis. *l. actio.* 28. *de obligat. & act. l. pecunia.* 178. *hic.* Tot enim rei vindicationum quot & dominiorum genera: Rerum univerſalium, ſingularium, ſervitutum, vectigalium. *l.* 1. *ſi ager vect.* rerum quas uſucapere cæperamus, &c.

Iure aliquo poſſideamus. c] Jure uſusfructus, vel ſervitutis, vel ſuperficiei. *tit. ſi ſerv. vindic. vid. l.* 1. *in fin. de ſuperfic. & l. in ſpeciali.* 73. *cum ll ſeqq. de rei vind.*

Non ſint noſtri dominii. d] Sed Emphyteuſeos. *vid. l.* 1. *ſi ager vectig.*

Eſſe poſſint. e] Qualia ſunt quæ à conditione pendent, vel in diem conferuntur. *l. cum is.* 8. *Qui & à quib. manum. l.* 4. *de ſeparat. l. in poſſeſſionem* 6. *Quib. ex cauſ. in poſſeſſ lat. l. conditionales.* 54. *ſupr. hic.* Quæ enim ſperantur, quadantenus ad nos pertinent, ut filii *κατ' ἐλπίδα*, etiam vivo patre, exiſtimantur domini. Græci illud *eſſe poſſint*, convertunt *ſperamus. Forner. hic.*

LEX CLXXXII.

Ulpianus Lib. XXVII. *ad Edictum.*

[PAterfamilias] liber *peculium* a non poteſt habere; quemadmodum nec ſervus *bona* b.

EXPLICATIO.

Peculium. a] Accipitur *peculium* aut *latè*, aut *ſtrictè*; *Latè* accipitur pro omnibus bonis quæ quis habet; *ut in l. cogitur. 16. in princ. ff. ad SCtum Treb. l. ſi chorus. 79. ff. de legat. 3. Strictè* & *propriè*, pro univerſitate, *l. 32. in fin. princ. ff. de pecul.* eorum, quæ filiusfamilias, aut ſervus, *l. 47. §. ult. ff. eod. l. 8. §. ult. ff. de pecul. legat.* patre vel domino permittente, *d. l. 5. §. ult. l. 2. l. 49. ff. de pecul.* habet à paternis vel dominicis rationibus ſeparata. *l. 4. princ. & §. ex his. l. 5. ff. eod.* Non illo, ſed hoc ſenſu hic accipitur. Illud paterfamilias habere non poteſt; adeò ut *peculium*, ſive *profectitium*, ſive *adventitium*, ſive *caſtrenſe*, ſive *quaſi*, quod filiusfamilias habet, eo patrefamilias facto, nomen ſuum amittat, & aliis rebus confundatur. *l. fin. § fin. C. de inoffic. teſtam.*

Bona. b] Quia ſervi nihil proprii habere poſſunt. *l. rectè. 13. ff. ex quib. cauſ. major.* Cum tam prætorio, quam civili jure pro nullis habeantur. *l. tutelas. 6. §. ſi libertate. 6. ff. de capite*

pite

pite minut. l. nullo modo. 7. *ff. de lege Corn. de falſis.* Habebant ſervi peculium. Plautus in Rudente. *Peculioſum eſſe decet ſervum, & probum.* Adaugebant enim ſervi frugi cura & parſimonia rem peculiarem. Davus Terentian. in Phorm.

Quod is unciatim vix de dimenſo ſuo
Suum defraudans genium, comparſit miſer
Id illa univerſum abripiet, haud exiſtimans,
Quanto labore partum.

JCtus *in l. peculium.* 39. *de pecul.* dicit; Peculium & ex eo conſiſtit, quod parſimonia ſua quis paravit; vel officio meruit, à quolibet ſibi donari. Idque velut proprium patrimonium ſervum ſuum quis habere voluerit. Plaut. Moſtellæ.

Hi ſi deprehenſi ſunt, faciunt à malo
Peculium, quod nequeunt facere de ſuo,
Augent ex paucillo, theſaurum inde parant:

Imò conniventibus oculis dicimus ſervos habere bona propria, *l. is cui.* 4. §. 1. *de manumiſſ.* Et hodie beneficio Imp. Juſtin. ſervus capit legatum, ei à domina ſinè libertate relictum, nec per eum novo domino, id eſt, heredi, adjicitur. *l. pen.* §. 2. *de hered. inſtit.*

LEX CLXXXIII.

Idem Lib. XXVIII. *ad Edictum.*

TAbernæ *a* appellatio declarat omne utile ad habitandum ædifi-

 cium,

cium, non (*Nam*) ex eo quod *tabulis cluditur* b.

EXPLICATIO.

Taberna. a] *Taberna* dicta eſt, quod, *ut ait Feſtus*, tabulis conficeretur: aut, *ut ait Donatus*, quaſi trabena, à validioribus trabibus, quibus ſuperiora ſunt ſuſpenſa. Iſidorus *lib.* 15. *Etymol. cap.* 2. *Tabernæ* olim vocabantur ædiculæ parvæ & ſimplices in vicis axibus & tabulis clauſæ. Accipiuntur quoque pro œnopoliis, & cellis vinariis ubi vinum & ſervari & vendi ſolet, *Vitruv. lib.* 6. Imò ſignificant omne utile ad habitandum ædificium. *l. hac.* Uſus tamen obtinuit ut tantum ſignificent illum ædificii locum, quo & merces vendi & opera quæcunque fabricari ſolent, ſicut in officina. Hinc Taberna argentaria, *l.* 23. *ff. de contr. empt.* lanionis, *l.* 2. §. 24. *ff. de orig. jur.* ferraria, *l.* 88. §. 3. *ff. de legat.* 3. caſearia, *l.* 8. § 5. *ff. ſi ſerv. vind.* cauponaria, *l.* 13. *ff. de inſt. & inſtrum. leg. l.* 43. *ff. de ritu nupt.* inſtitoria, *l.* 3. *l.* 18 *ff. de inſtit. act.* piſtrinaria, *l.* 15. *ff de inſtruct. & inſtrum.* purpuraria, *l.* 91. §. 2. *ff. de legat.* 3. *&c.*

Cluditur. b] Secundum veterem Latinorum morem ab ejuſmodi verbis *a* rejicientium: Sic *occludere*, *includere*, *recludere*, *concludere*, *cluſura*: *Caſſiodor. cluſus carcere: inf. l.* 216. *hic. cluſa pecunia*, *l. in nave.* 31. *locati. Ita uti cluduntur. in l. ſi mihi.* 92. *de legat.* 3.

LEX

LEX CLXXXIV.

Paulus Lib. XXX. *ad Edictum.*

INde *tabernacula a*, & *contuberna-les b* dicti ſunt.

EXPLICATIO.

Tabernacula. a] Tabernaculum. Undè *Ad-tubernales*, *Contubernales* Feſto, qui in ca-ſtris ſub eodem tabulato, tectoque habitabant. *Contubernalis habitator continua taberna: quod genus domicilii antiquiſſimum Romanis fuiſſe te-ſtimonio ſunt extera gentes, qua adhuc tabula-tis utuntur adificiis: unde etiam tecta caſtren-ſia, quamvis pellibus contegantur, tabernacu-la tamen dicuntur.* Quinctilianus *lib.* 7. *cap.* 8. *E domo in jus ducere non liceat. Tabernaculis e-duxit.* Alfenus Seneca *lib.* 11. *epiſt.* 78. *Triduo abſtinuit, & in ipſo cubiculo poni tabernaculum juſſit.* Ammian. Marcellin. de Iſaurorum latro-num nuptiis & moribus *lib. hiſtor.* 14. inquit: *Vt ſit ſpecies matrimonii, dotis nomine futura conjux haſtam & tabernaculum affert marito.* Id eſt, *tentorium, papilionem.* Nomades, quod in tabernaculis degerent, σκηνῖται appellaban-tur. A tabernaculis *Contubernium*, unde & *Contubernales. Contubernium* duplex: unum *Caſtrenſe*; (*l.* 5. *de re milit.* Veget. *lib.* 2. *de re milit. cap.* 8. *Erant Decani denis militibus pra-*

poſiti; qui nunc caput contubernii vocantur. & cap. ult. *Singula contubernia ad armandum, vel dirigendum: hoc eſt, undecim homines deputantur.* Seneca declam. 2. lib. 10. *Non capit idem contubernium victum & virum fortem.* Sic Contubernales accipiuntur pro Commilitonibus, & caſtrenſium expeditionum comitibus. *l. antepen. commod. l. 2. Cod. Theod. de equor. collat. l. ult. de auro & arg. leg. vid. Veget. lib.* 1. *cap.* 12.) *Aliud urbanum:* Et ſic ſumitur hic. Docet hoc habita peculii mentio; & ſequens mentio tabernæ inſtructæ. Quæ ergo dicit JCtus hic ad ſervos actionemque inſtitoriam referenda. Quod inter liberos & Cives Romanos *matrimonium*, id in ſervorum conjunctione & copula *Contubernium*, apud Veteres. *l.* 3. *Cod. de inceſt. nupt. l.* 3. *l. ancilla.* 23. *Cod. de lib. cauſ. l. ſervi.* 23. *cum l. ſeq. Cod. ad Leg. Iul. de adulter. l. miles.* 11. *ff. eod.* Qui ex eo naſcebantur, *Contubernales fratres ſororeſque* appellabantur. *l. plerunque. in fin. de ædil. Edict. l. quæſitum.* 12. *de fund. inſtr.*

LEX CLXXXV.

Ulpianus Lib. XXVIII. *ad Edictum.*

INſtructam *a* autem *tabernam* ſic accipiemus, quæ & rebus & hominibus ad negotiationem paratis conſtat.

EX-

EXPLICATIO.

Inſtructam. a] *Inſtructa taberna* & rebus & hominibus conſtat; *Hominibus*, id eſt, *ſervis* ad negotiationem paratis. JCtus *in l. 5. de inſtit. act. Diſcipulis ſuis, quibus tabernam ſuam inſtructam tradiderat.* Hinc *tabernâ inſtructâ* legatâ, & res & inſtitores continentur. Non *taberna inſtrumento legato*; tum enim loci duntaxat, non etiam totius negotiationis inſtrumentum legatum videtur. *hic & l. taberna.* 13. *ff. de inſtruct. & inſtrum. leg.*

LEX CLXXXVI.

Idem Lib. XXX. *ad Edictum.*

C*Ommendare* a nihil aliud eſt, quam deponere.

EXPLICATIO.

Commendare. a] *Commendare* vel refertur ad *homines*, & obligationem non inducit; *l. ſi vero.* 12. *§. cum quidam.* 12 *ff. mandati. l. fin. C. quod cum eo, &c.* Vel ad *res* & inducit; tunc enim deponere ſignificat. *h. l. & l.* 24. *in princ. ff. depoſiti. l. 6. l. 9. C. eod.*

LEX CLXXXVII.

Idem Lib. XXXII. *ad Edictum.*

VERBUM *exactæ* [a] *pecuniæ*, non ſolum ad *ſolutionem* referendum eſt: verum etiam ad *delegationem*.

EXPLICATIO.

Verbum exactæ. a] *Exigere* variè accipitur; propriè tamen dicitur *exigere*, id quod ſibi debetur per judicem, aut ſine judice, repoſcere & auferre. Igitur qui interpellato cum inſtantia debitore, ad ſuum perveniunt, exigiſſe dicuntur: *Exactumque* accipimus quod non ultrò, ſed vel imminente judice, aut aliàs urgente creditore ſolutum eſt ac præſtitum. *Solutum* etiam intelligitur, quod *delegatum. l. hac.* & *l.* 8. §. 3. *ff. ad SC. Vellejan. Delegare* eſt vice ſua alium Reum Creditori dare. *l.* 11. *de novation.* Vulgari Mercatorum lingua, *aſſignare aliquem:* pro quo veteres JCti dicunt, *delegare debitorem*; puta cum debitor alium pro ſe ſubſtituit qui ſolvat: Cui ſubſtitutioni ſi acquieſcat creditor, prior debitor liberatur debito. *l.* 3. *Cod. eod. l.* 15. *de ſolution.* Eleganter Seneca *lib.* 3. *de benefic. Debitores nobis delegat Deos, precaturque ut illi pro ſe gratiam referant.*

LEX CLXXXVIII.

Paulus Lib. XXXIII. *ad Edictum.*

H*Abere* [a] duobus modis dicitur: altero jure *dominii*; altero, obtinere ſine *interpellatione* id, quod quis emerit.

EXPLICATIO.

Habere a] *Habere* verbum generale eſt, & ad *dominii jus* & *poſſeſſionis*, atque etiam eum qui detentor eſt pertinet. *Habere* inquit Ulpianus *l. ſtipulatio iſta. §. habere. 9. ff. de verbor. oblig.* dupliciter accipitur: primo *jure dominii*; Deinde *obtinere ſine interpellatione*, id quod quis emerit: nam & eum habere dicimus qui rei dominus eſt, & eum qui dominus quidem non eſt, ſed tenet. Denique habere rem apud nos depoſitam ſolemus dicere. In emptionibus ubi ſolebat emptor ſtipulari rem ſibi habere licere, habere ſignificat non dominium, de quo ibi actum non videtur; *l. ſi ita. ff. de contr. empt.* ſed facultatem rem ſemper quietè poſſidendi fore, neminemque ſuperventurum, qui poſſidentem impediat, vel moleſtia adficiat. *l. 11. §. fin. ff. de act. empt. l. 4. ff. de uſur.*

IDEM

IDEM §. 1.

C*Autum* [a] intelligitur: ſive perſonis, ſive *rebus* cautum ſit.

EXPLICATIO.

Cautum. a] *Cautum* ergò intelligitur, ſive *perſonis*, id eſt, *fidejuſſoribus*, ſive *rebus*, id eſt, *pignoribus*, cautum ſit. *hic.* Imò nuda promiſſione intelligitur cautum. *l.* 3. *C. hic.* Concilia. Cum *cautionis* verbum à lege, *d. l.* 3. *& ibi Iaſon. Cagnol. in l. plus cautionis. n.* 6. *ff. de div. reg. jur.* teſtatore, *d. l.* 3. *& ibi Dd.* contrahentibus, *Salic. d. l.* 3. *not. in l.* 1. *C. de procur.* profertur; nudam promiſſionem continet. *d l.* 3. Niſi qui cavere debet, ſit perſona ſuſpecta, *ut in l. Divus. & in l. cum idem. ff. de petit. hered.* (tum enim inanis cautio creditori non prodeſſet.) *Bald. Bart in d. l.* 3. niſi is qui promiſit cautione antea erat obligatus (aliàs ſecunda promiſſio priori nihil afferret utilitatis.) niſi agatur de cautione prætoria; *l.* 1. *§. jubet. ff. de collat. l.* 7. *ff. de prætor. ſtip. Salic. d. l.* 3. niſi cautio ſufficiens, & competens, *l.* 21. *ff. de judic.* idonea, *l.* 41. *ff. de petit. hered. l.* 6. *ff. de pignor. l.* 56. *ff. depoſiti. l.* 59. *in fin. ff. mand. l. pen. C. depoſiti.* (idoneè enim cavere eſt ſatiſdatò & captis pignoribus. *l.* 4. §. 8. *ff. de fideicom. libert.*) bona & plena debeatur. *Gl. in l. ſi mandato.* §. *fin. ff. mand.* niſi rectè caveri oporteat.

l. 1.

l. 1. *ff. de uſufr. earum rer. l.* 1. *§.* 9. *ff. de coll. bon. l.* 73. *ff. hic.*

LEX CLXXXIX.
Idem Lib. XXXIV. *ad Edictum.*

F*Acere* a *oportere* & hanc ſignificationem habet, ut abſtineat quis ab eo facto, quod contra conventionem fieret, & curaret, ne fiat.

EXPLICATIO.

Facere. a] *Facti* ergò appellatione etiam *non factum* continetur. *l* 2. *§.* 5. *ff. de verb. oblig. l. in facto.* 60. *ff. de cond. & demonſtr. l. in fraudem.* 4. *ff. quæ in fraud. cred. l. qui non facit.* 121. *ff. de div. reg. jur.* Siquidem *factum* civiliter capiatur, hoc eſt, prout à jure, tanquam differens ab his quæ juris ſunt, conſideratur. Non ſi *factum* naturaliter ex verbis conſideretur. Si vero lex aut homo aliquid facere *affirmative* jubet, non faciens, contra facere dicitur; *l. ſi quis major.* 41. *C. de tranſaction.* ſi *prohibitive*, ne quid fiat, non qui negligit, ſed qui facit, contra facere dicitur. Quippe facere, & non facere ſunt oppoſita. *l. ſi is qui ducenta. §. utrum. ff. de reb. dub. Cagnol. ad d. l. qui non facit.* 121.

LEX

LEX CXC.

Ulpianus Lib. XXXIV. *ad Edictum.*

P*Rovinciales* a eos accipere debemus, qui in provincia *domicilium* habent: non eos, qui ex provincia *oriundi* ſunt.

EXPLICATIO.

Provinciales. à] An quis ergò *provincialis* ſit, non ex ortu, ſed domicilio judicandum videtur. Imò & *ex ortu*, ne minus nativitas quam domicilium poſſit. Nec obſtat quod hic dicatur *provinciales* non dici eos, qui ex provincia oriundi ſunt. Longè enim *ortus* ab *oriundo* differt: *ortus* enim ſignificat locum nativitatis; *Oriundus* eum locum unde majores noſtri, à quibus deducti natique ſumus, fuerunt. Sic Livius. *Hippocrates & Epicides nati Carthagine, ſed oriundi à Syracuſis. decad.* 3. *cap.* 4. Alio loco, ſine, præpoſitione dicit, *oriundum Sacerdotium.* Teſte Valla *lib.* 3. *Elegant. cap.* 57. Canoniſtæ utrum quis provincialem dicat, an de provincia; non curant; utrumque idem ſignificare volunt. *in c.* 1. *de ſponſal. & matrim.* Verba tamen *de Provincia*, aliquantò magis ad originem quam ad domicilii & habitationis locum referuntur. Sic Accurſ. *in l.* 1. *de tutor. & curat. dat.* ejuſdem provinciæ tutores originarios interpretatur. *Brechæus hic.*

LEX

LEX CXCI.

Paulus Lib. XXXV. *ad Edictum.*

INter *divortium* [a] & *repudium* hoc intereſt, quod repudiari etiam futurum matrimonium poteſt: non rectè autem ſponſa divortiſſe dicitur: quod *divortium* ex eo dictum eſt, quod in diverſas partes [b] eunt, qui diſcedunt [c].

EXPLICATIO.

Inter divortium. a] Quid divortium & repudium inter ſe differant, ſupra *l. inter ſtuprum.* 101. §. 1. *ff. hic.* diximus.

Diverſas partes b] Cajo JCto *in l.* 2. *ff. de divort. divortium* à diverſitate mentium dicitur: aliis à *divertendo*, quibuſdam verò per tranſlationem à divortio aquarum ſimiliumque rerum. *Cicero lib.* 3. *de orat.* Sic Iſidoro *lib.* 15. *Etymol. cap. ult. divortia ſunt flexus viarum*, hoc eſt, viæ in diverſum tendentes.

Diſcedunt. c] Inde *diſceſſio* ac *diſcidium*; latinè ſcientibus uſurpatur pro divortio: non, ut vulgò perperam *Diſſidium.* Sic in *l. non ut* 8. *de captiv. & poſtlim. reverſ. Pœnis diſcidii tenebitur.* Jul. Firmicus lib. 5. Matheſ. cap. 3. *Vxor citò ab eò, aut repentina morte, aut diſcidio ſeparabitur.* JCtus Ulpian. *Cum uxorem retinere prohibearis, non videri te cauſſam diſcidii praſti-*

præſtitiſſe. l. miles. 11. *in fin. ad leg. Iul. de adult. l. cum hic ſtatus.* 32. §. *ſi divortium. de donation. int. vir. & uxor.* Cicero in Antonium: *Ipſe autem amore ardens confirmabat, quod deſiderium tui diſcidii ferre non poſſet; ſe in exilium eſſe iturum.* Idem pro domo: *Deflevi conjugis miſere diſcidium liberorum chariſſimorum ſolitudinem. Gellius lib. 2. cap. 12.*

LEX CXCII.

Ulpianus Lib. XXXVII. *ad Edictum.*

HÆC adjectio *pluriſve* [a], non infinitam pecuniam continet, ſed *modicam* [b]*:* ut taxatio hæc, *Solidos decem pluriſve,* ad *minutulam ſummam* referatur.

EXPLICATIO.

Pluriſve. a] Hæc adjectio, *pluriſve,* quæ numero certo, in inſtrumentis, 2. *Eclog.* 2. *c.* 189. apponi ſolet ad *modicam ſummam* referri ſolet. Idem obtinet cum *plus minus* dicit. *l. Publia.* 26. §. *fin. ff. depoſiti.* Hinc ſi quis fundum cujus veram æſtimationem ignorat, centum aureis vendat, & ſi plus valeat illud ſe dicat donare, non donaſſe intelligitur, niſi cum aliquid modicum plus valet. *Bart. in l. ſi quis cum aliter. ff. de verb. obligat.* Quid *modicum* & *minutula* ſumma ſit eſt Judicis ex perſona-

rum

rum qualitate æſtimare. *l.* 1. §. *ait Prætor. ff. de jure delib. l. ab hoſtibus.* 15. §. *fin. cum l. ſeq ff. ex quib. cauſ. major.*

LEX CXCIII.

Idem Lib. XXXVIII. *ad Edictum.*

HÆC verba a, *Quanti eam rem paret eſſe; non ad quod intereſt, ſed ad rei æſtimationem referuntur.*

EXPLICATIO.

Hæc verba. a] Contra JCti omnes id quod actoris intereſt intelligunt illis verbis contineri. *l.* 3. *in fin. uti. poſſidet. l.* 1. § *hæc. verba.* 5. *Ne quis fiat ei. l. ult. de prætor. ſtipulat. l.* 2. §. *ult. Qui ſatiſd. cogant. junct. l. ult. Si quis in jus vocat. non ier.* Sed dicendum Particulas, *non, ſed,* in G. l. n. ἐλλειπτικῶς eſſe poſitas, pro *non ſolum ſed etiam.* Verba hæc; *Quanti eam rem paret eſſe:* non ſolum ad id quod intereſt, ſed & generaliter ad rei æſtimationem, de qua agitur referuntur. *h. l. confer. l. un.* § *fin. Si quis jus dic. non obtemp.* Cæterum id quod intereſt interdum idem eſt cum æſtimatione rei; cum vero rei pretio: *l.* 13. §. *ult. de rei vind. junct. l.* 12. § *ſi poſt. ad exhibend.* Plerunque vero pluris eſt, quam res ipſa. *l.* 1. *de act. emt. l.* 29. § 1. *de Ædil. Edict. l. ſi fundus.* 33. *locati. l.* 6. *de vi & vi arm. Cujac.* 6. *obſ.* 31.

LEX

LEX CXCIV.

Idem Lib. XLIII. *ad Edictum*

INter *donum* & *munus* [a], hoc intereſt, quod inter genus & ſpeciem. Nam genus eſſe *donum* Labeo à donando dictum, *munus* ſpeciem. Nam *munus* eſse *donum* cum cauſa, ut puta *natalitium* [b], *nuptalitium* [c].

EXPLICATIO.

Inter donum & munus. a] *Munus* à *dono* tam apud Juriſconſultos, *ut in l. 6. in fin. ff. de offic. Proconſ. l.* 18. *ff. de offic. Præſid. l.* 37. *l.* 47. *ff. de oper. libert. l.* 44. §. *licet. l. ult.* § 1. *ff. de liber. cauſ. l. 6. in fin. ff. ad l. Iul. repet. l.* 53. *ff. hic.* quam Grammaticos, alioſque autores ſeparatur, Sic Plautus *in Ciſtell. Inde in amicitiam inſinuavit cum matre, & mecum ſimul: blanditiis, muneribus, donis. Cicero* in *Cluent Tantum donis datis, muneribus perfecerat.* Quid autem inter *donum* & *munus* interſit, cum Juriſconſulti, tum Grammatici dubitaverunt. Servius dicit *Donum* propriè ſuperiorum Deorum eſſe: *Munus verò* inferiorum. Donatus *in Terent. Donum* propriè Deorum, *munus* hominum. Juriſconſultus Ulpianus *Donum*, *hic.* quaſi genus facit; *munus* ſpeciem: propterea quod quæ muneri dantur, dona omnia ſint: at non

at non contra. Quod hic addit *munus* eſſe *donum* cum cauſſa; ut puta *natalitium*, *nuptalicium*; non univerſè dicitur, ſed propriè ac præcipuè de libertorum in patronos grati animi ſignificatione. *vide. l. qui Libertinus.* 37. *ff. de oper. libert. l. Iulianus.* 37. *ff. de bon. libert.* Aliter JCtus Marcianus *in l. munus.* 214. *infra. hic.* videtur donum à munere diſtinguere. ubi vide.

Natalitium. b] Hoc ſolemne apud omnes fere Gentes munus fuit *l. ſed & ſi vir.* 31. §. *pen. de donat. inf. vir. & uxor.* Symmachus *lib.* 6. *epiſt.* 80 & 81. ſic. *Ævum maneat hic dies, qua te nobis filia dedit: adjicere etiam ingravata tibi jucunda munuſcula ut lineam miſi:* puta margaritarum. *l. lineam.* 26. *ad Leg. Falcid. l. ſi quis uxoris.* 52. §. *ſi linea de furt.* Plautus Epidico. *Inaurem tibi adferre natali die.* Cenſorinus de die natali, ad Q. Cærellium *cap.* 3. *Id moris*, inquit, *inſtitutique majores noſtri tenuerunt; ut cum die natali munus annale Genio ſolverent, manum à cæde & ſanguine abſtinerent: ne die qua ipſi lucem accepiſſent, alius demerent.*

Nuptalicium. c] In nuptiis munera conviviaque ſemper fuere agitata. Munus, quod Curialibus datur poſt nuptias, aut uxorum ad Curiales introductionem. Suidas γαμήλια interpretatur. Didimus Homer. *Iliad.* 3. refert proverbium, γαμηλίαν εἰσενεγκεῖν, *nuptiale munus dare.* Uxorem ducens in Græcia, lautius cogebatur parare convivium. Teſtis Terentianus adoleſcens: dicens; *Quem ad cœnam vocabo meorum*

meorum æqualium. Fuit & moris, ut Sponſæ Sponſi propinquis tempore Nuptiarum veſtes donarent. Viciſſim Noti, Amici, Propinqui Nuptæ munera, nuptialia dicta. *l.* 1. §. *præterea. de tut. & ration. diſtrah. l. tutor ſecundum.* 13. *de admin. tutor.*

LEX CXCV.

Idem Lib. XLVI. *ad Edictum.*

PRonuntiatio *a* ſermonis in ſexu maſculino ad utrumque ſexum plerumque porrigitur.

EXPLICATIO.

Pronuntiatio. a] *Maſculino* ſermone, ſexum *fœmininum*, non modò *extenſivæ ſignificationis* beneficio, (ut hic argumento verbi *porrigitur*, vult Alciatus.) ſed maximè *ſermonis proprietate* comprehendi ex *l.* 1. *l.* 40. §. 1. *l. liberti.* 172. *l. hominis.* 152. *l. patroni.* 152. *l. Servius.* 122. *ff. hic.* & iis quæ ibi diximus, patet. *ut & ex l ſi quis.* 7. *ff. de juriſdict. l. ait Divus.* 16. *ff. de jure fiſci. l. hac autem ſatisdatio.* 20. *cum l. ſeq. ff. de adopt. l.* 1. §. *de co. ff. de pecul. l.* 1. *ubi Bart. ff. de conſt. pec. & multis aliis.*

IDEM §. 1.

FAmiliæ *a* appellatio qualiter accipiatur, videamus. Et quidem variè

accepta eſt. nam & in *res*, & in *perſonas* deducitur. In *res*, ut puta in lege duodecim tabularum his verbis, *adgnatus proximus familiam habeto.* Ad *perſonas* autem refertur familiæ ſignificatio ita, cum de patrono & liberto loquitur lex: *ex ea familia b*, inquit, *in eam familiam*, & hic de ſingularibus perſonis legem loqui conſtat.

EXPLICATIO.

Familia. a] *Familia* appellatio varia eſt, & deducitur, id eſt, dividitur, in *res* & in *perſonas.* Ad *res* relata pro hereditate & ſubſtantia bonorum ponitur: *l. ult. C. hic.* ut in illis Legis XII. Tabul. verbis, *Proximus agnatus familiam habeto*, id eſt, hereditatem. Quo ſenſu familiæ erciſcundæ actionem, quæ heredibus de dividenda hereditate competit, accipe. §. *quadam actiones. Inſt. de action.* Hinc familiæ emptor, qui imaginaria venditione à teſtatore hereditatem emebat, dictus. *Vlp. in Inſt. de teſtam.* Quintilianus *Declamat.* 308. *Non dixerim ego teſtamentum, cui libripens & emptor familiæ, & cætera juri neceſſaria deerunt.* Ad *perſonas* verò cum refertur, vel certas perſonas, ut libertum continet, vel corpus aliquod, vel gentem ſignificat. *ut ex* §§. *ſeqq. conſtat.* De *perſonis* actum videtur cum familiæ teſtator relinquit;

P *Bart.*

Bart. l. fin. C. hic. de *rebus* cum de familia diſponit. *l nam quod.* 14. §. *fin. ff. ad SC. Trebell.*

Ex ea familia. b] Videntur legis XII. Tab. verba fuiſſe hæc *Ex ea familia unde Titius miſſus manu eſt, in eam familiam adſcribatur. Alciat. hic.*

IDEM §. 11.

F*Amiliæ* appellatio refertur & ad *corporis* a cujuſdam ſignificationem, quod aut *jure proprio* ipſorum, aut *communi univerſæ cognationis* continetur. *Jure proprio* familiam dicimus, plures perſonas, quæ ſunt ſub unius poteſtate, aut natura, aut jure ſubjectæ: ut puta *patremfamilias*, *matremfamilias* b, *filiumfamilias*, *filiamfamilias*, *quique deinceps vicem eorum ſequuntur*, ut puta *nepotes*, & *neptes*, & *deinceps* c. *Pater* autem *familias* d appellatur, qui in domo dominium e habet. rectèque hoc nomine appellatur, quamvis filium non habeat. non enim ſolam perſonam ejus, ſed & *jus* demonſtramus. Denique & *pupillum patremfamilias* appellamus, & cum *paterfamilias* moritur, quotquot capita ei ſubjecta

jecta fuerint, ſingulas familias incipiunt habere. Singuli enim patrumfamiliarum nomen ſubeunt. Idemque eveniet & in eo qui *emancipatus f* eſt: nam & hic ſui juris effectus, propriam familiam habet. Communi jure *g* familiam dicimus *omnium adgnatorum:* nam etſi patrefamilias mortuo ſinguli ſingulas familias habent: tamen omnes, qui ſub uniûs poteſtate fuerunt, rectè ejuſdem familiæ appellabuntur, qui ex eadem *domo h* & *gente* proditi ſunt.

EXPLICATIO.

Corporis. a] *Corpus*, ad quod *familiæ* appellatio refertur, aut jure *proprio* ipſorum, aut *communi* cognationis nomine continetur. *Iure proprio* familiam dicimus plures perſonas, quæ ſunt ſub unius poteſtate, aut natura, aut jure ſubjectæ. Hac enim appellatione non ſervi modò, ſed & liberi, qui in poteſtate noſtra ſunt continentur: *l.* 40. § *familiæ.* & *l hac. ff. hic. l.* 23. *ff. de adoption.* Hinc patresfamilias, matresfamilias, filiifamilias, dicuntur. *l.* 11. *ff. de lib. & poſth. l.* 5. *ff. de his qui ſunt ſui vel al. jur.* Sic in Ædilitio Edicto familiæ appellatione & filiifamilias, & omnes, qui in ſervitio ſunt, liberi quoque homines bonâ fide ſervientes, de-

P 2 mon-

monſtrantur. *l.* 25. §. 1. *l.* 31. §. *idem Pedius. ff. de Ædil. Edict.* Eodemque modo in Edicto Vi bonorum raptorum familiæ nomen eos, qui in miniſterio ſunt, continere dicitur, etiamſi liberi eſſe proponantur, vel ſervi alieni bonâ fide nobis ſervientes. *l.* 2. §. *familia ff. vi bon. rapt.* Eadem in Interdicto unde vi, familiæ fit interpretatio. *l.* 1. § *familia. ff. de vi & vi arm. l. hac.* §. *pen.*

Matresfamilias. b] Quæ matrisfamilias nomine veniat ſupra, *l.* 46. §. 1. diximus.

Neptes & deinceps. c] Familiæ ergò appellatio in deſcendentibus ultra quartum gradum intelligitur.

Pater autem familias. d] Itaque patresfamilias dicuntur, qui ſunt ſuæ poteſtatis, ſive puberes, ſive impuberes, *l.* 4. *ff. de his qui ſunt ſui vel alien. jur.* Nam filii cujuſcunque ætatis ſint, morte patrum ſui juris effecti patresfamilias ſunt. *l.* 5. *ff. quan. dies legat.* Hinc Tertullianus *in lib. de virg. veland. Materfamilias*, ait, *vocatur licet virgo*, *paterfamilias licet inveſtis.* Paterfamilias etiam fit Servus manumiſſus. *l.* 14. *ff. qui teſtam. fac.*

Dominium. e] Id eſt, *jus dominandi.* Nam non ab actu dominandi dicitur paterfamilias; poteſt enim ætate, judicio, vel alia ratione impediri; ut ſi ſit pupillus, furioſus, liberos, ſervos, domi non habeat; *text. hic. & l.* 4. *l.* 8. *ff. de his qui ſui vel ali. jur.* ſed à potentia; ut ſi liberos, ſervos haberet; ætate, judicio, valeret; jure poteſtatis jus in eos exerceret.

Eman-

Emancipatus. f] *Emancipatus* opponitur *filiofamilias.* *Ille* ſui juris eſt, *hic* alieni; *ille* habet familiam, *hic* nullam: adeoque *ille* paterfamilias eſt, *hic* non: item *ille* teſtamentum facit, *hic* non facit, niſi in bonis iſtis in quibus pro patrefamilias habetur: *ille* inſtitutus, eſt heres extraneus; *hic* ſuus & neceſſarius. Hodie cum *emancipatus* inſtar ſui redactus ſit. *l. meminimus. C. de legit. hered.* in favorabilibus, ſive lex de familia, ſive de agnatione verba faciat, putat Alciatus & emancipatum contineri. *l. fin. C. hic. l. qui ſe patris. C. Unde liber.*

Communi jure. g] Communi jure *familiam* dicimus omnium *adgnatorum*, qui ex eadem domo & gente proditi ſunt, cognationem; ut ejuſdem familiæ rectè dicantur, qui ejuſdem nominis ſunt: etiamſi ſinguli propriam alant familiam, ſuique juris omnes exiſtant, aut adhuc in poteſtate ſint. Ac proinde patroni & liberti & omnes propinqui ad fideicommiſſum, familiæ relictum, invitati intelliguntur. *l. ult. C. hic.* Etenim cum fideicommiſſum familiæ relinquitur, ad ejus petitionem admittuntur, qui ex nomine defuncti fuerunt eo tempore, quo moreretur: quo in numero & liberti & filii quoque poſtea emancipati habentur. *l. 32. in fin. l. 69. §. ult. l. 77. §. cum inter. ff. de legat. 2. l. 114. §. cum pater ff. de legat. 1.*

Domo. h] *Domus* pro familia uſurpatur Cicero *lib. 10. epiſtol.* ſic: *Ego neceſſitudinem conjunctam habui cum domo veſtra, ante aliquanto quam natus es.* Et lib. 13. ſic: *Quæ nè enumerem*

LEX CXCIV.
Idem Lib. XLIII. *ad Edictum*

INter *donum* & *munus* [a], hoc intereſt, quod inter genus & ſpeciem. Nam genus eſſe *donum* Labeo à donando dictum, *munus* ſpeciem. Nam *munus* eſse *donum* cum cauſa, ut puta *natalitium* [b], *nuptalitium* [c].

EXPLICATIO.

Inter donum & munus. a] *Munus* à *dono* tam apud Juriſconſultos, *ut in l. 6. in fin. ff. de offic. Proconſ. l.* 18. *ff. de offic. Præſid. l.* 37. *l.* 47. *ff. de oper. libert. l.* 44. §. *licet. l. ult.* § 1. *ff. de liber. cauſ. l. 6. in fin. ff. ad l. Iul. repet. l.* 53. *ff. hic.* quam Grammaticos, alioſque autores ſeparatur, Sic Plautus *in Ciſtell. Inde in amicitiam inſinuavit cum matre, & mecum ſimul: blanditiis, muneribus, donis. Cicero* in *Cluent Tantum donis datis, muneribus perfecerat.* Quid autem inter *donum* & *munus* interſit, cum Juriſconſulti, tum Grammatici dubitaverunt. Servius dicit *Donum* propriè ſuperiorum Deorum eſſe: *Munus verò* inferiorum. Donatus *in Terent. Donum* propriè Deorum, *munus* hominum. Juriſconſultus Ulpianus *Donum*, *hic.* quaſi genus facit; *munus* ſpeciem: propterea quod quæ muneri dantur, dona omnia ſint: at non

at non contra. Quod hic addit *munus* eſſe *donum* cum cauſſa; ut puta *natalitium*, *nuptalicium*; non universè dicitur, ſed propriè ac præcipuè de libertorum in patronos grati animi ſignificatione. *vide. l. qui Libertinus. 37. ff. de oper. libert. l. Iulianus. 37. ff. de bon. libert.* Aliter JCtus Marcianus *in l. munus. 214. infra. hic.* videtur donum à munere diſtinguere. ubi vide.

Natalitium. b] Hoc ſolemne apud omnes fere Gentes munus fuit *l. ſed & ſi vir. 31. §. pen. de donat. inf. vir. & uxor.* Symmachus *lib. 6. epiſt.* 80 & 81. ſic. *Ævum maneat hic dies, qua te nobis filia dedit: adjicere etiam ingravata tibi jucunda munuſcula ut lineam miſi:* puta margaritarum. *l. lineam. 26. ad Leg. Falcid. l. ſi quis uxoris. 52. §. ſi linea de furt.* Plautus Epidico. *Inaurem tibi adferre natali die.* Cenſorinus de die natali, ad Q. Cærellium *cap. 3. Id moris*, inquit, *inſtitutique majores noſtri tenuerunt; ut cum die natali munus annale Genio ſolverent, manum à cade & ſanguine abſtinerent: ne die qua ipſi lucem accepiſſent, alius demerent.*

Nuptalicium. c] In nuptiis munera conviviaque ſemper fuere agitata. Munus, quod Curialibus datur poſt nuptias, aut uxorum ad Curiales introductionem. Suidas γαμήλια interpretatur. Didimus Homer. *Iliad.* 3. refert proverbium, γαμηλίαν εἰσενεγκεῖν, *nuptiale munus dare.* Uxorem ducens in Græcia, lautius cogebatur parare convivium. Teſtis Terentianus adoleſcens: dicens; *Quem ad cœnam vocabo meorum*

meorum æqualium. Fuit & moris, ut Sponſæ Sponſi propinquis tempore Nuptiarum veſtes donarent. Viciſſim Noti, Amici, Propinqui Nuptæ munera, nuptialia dicta. *l.* 1. §. *præterea. de tut. & ration. diſtrah. l. tutor ſecundum.* 13. *de admin. tutor.*

LEX CXCV.

Idem Lib. XLVI. *ad Edictum.*

Pronuntiatio *a* ſermonis in ſexu maſculino ad utrumque ſexum plerumque porrigitur.

EXPLICATIO.

Pronuntiatio. a] *Maſculino* ſermone, ſexum *fœmininum*, non modò *extenſivæ ſignificationis* beneficio, (ut hic argumento verbi *porrigitur*, vult Alciatus) ſed maximè *ſermonis proprietate* comprehendi ex *l.* 1. *l.* 40. §. 1. *l. liberti.* 172. *l. hominis.* 152. *l. patroni.* 152. *l. Servius.* 122. *ff. hic.* & iis quæ ibi diximus, patet. *ut & ex l ſi quis.* 7. *ff. de juriſdict. l. ait Divus.* 16. *ff. de jure fiſci. l. hac autem ſatisdatio.* 20. *cum l. ſeq. ff. de adopt. l.* 1. §. *de eo. ff. de pecul. l.* 1. *ubi Bart. ff. de conſt. pec. & multis aliis.*

IDEM §. 1.

Familiæ *a* appellatio qualiter accipiatur, videamus. Et quidem variè accepta

accepta eſt. nam & in *res*, & in *perſonas* deducitur. In *res*, ut puta in lege duodecim tabularum his verbis, *adgnatus proximus familiam habeto.* Ad *perſonas* autem refertur familiæ ſignificatio ita, cum de patrono & liberto loquitur lex: *ex ea familia b*, inquit, *in eam familiam*, & hic de ſingularibus perſonis legem loqui conſtat.

EXPLICATIO.

Familia. a] *Familia* appellatio varia eſt, & deducitur, id eſt, dividitur, in *res* & in *perſonas*. Ad *res* relata pro hereditate & ſubſtantia bonorum ponitur: *l. ult. C. hic.* ut in illis Legis XII. Tabul. verbis, *Proximus agnatus familiam habeto*, id eſt, hereditatem. Quo ſenſu familiæ erciſcundæ actionem, quæ heredibus de dividenda hereditate competit, accipe. §. *quædam actiones. Inſt. de action.* Hinc familiæ emptor, qui imaginaria venditione à teſtatore hereditatem emebat, dictus. *Ulp. in Inſt. de teſtam.* Quintilianus *Declamat.* 308. *Non dixerim ego teſtamentum, cui libripens & emptor familiæ, & cætera juri neceſſaria deerunt.* Ad *perſonas* verò cum refertur, vel certas perſonas, ut libertum continet, vel corpus aliquod, vel gentem ſignificat. *ut ex §§. ſeqq. conſtat.* De *perſonis* actum videtur cum familiæ teſtator relinquit;

Bart. l. fin. C. hic. de *rebus* cum de familia diſponit. *l nam quod.* 14. §. *fin. ff. ad SC. Trebell.*

Ex ea familia. b] Videntur legis XII. Tab. verba fuiſſe hæc *Ex ea familia undè Titius miſſus manu eſt, in eam familiam adſcribatur. Alciat. hic.*

IDEM §. 11.

F*Amiliæ* appellatio refertur & ad *corporis.* a cujuſdam ſignificationem, quod aut *jure proprio* ipſorum, aut *communi univerſæ cognationis* continetur. *Jure proprio* familiam dicimus, plures perſonas, quæ ſunt ſub unius poteſtate, aut natura, aut jure ſubjectæ: ut puta *patremfamilias*, *matremfamilias* b, *filiumfamilias*, *filiamfamilias*, *quique deinceps vicem eorum ſequuntur*, ut puta *nepotes*, *&* *neptes*, *&* *deinceps* c. *Pater* autem *familias* d appellatur, qui in domo dominium e habet. rectèque hoc nomine appellatur, quamvis filium non habeat. non enim ſolam perſonam ejus, ſed & *jus* demonſtramus. Denique & *pupillum patremfamilias* appellamus, & cum *paterfamilias* moritur, quotquot capita ei ſubjecta

jecta fuerint, ſingulas familias incipiunt habere. Singuli enim patrumfamiliarum nomen ſubeunt. Idemque eveniet & in eo qui *emancipatus f* eſt: nam & hic ſui juris effectus, propriam familiam habet. Communi jure *g* familiam dicimus *omnium adgnatorum:* nam etſi patrefamilias mortuo ſinguli ſingulas familias habent: tamen omnes, qui ſub uniûs poteſtate fuerunt, rectè ejuſdem familiæ appellabuntur, qui ex eadem *domo h* & *gente* proditi ſunt.

EXPLICATIO.

Corporis. a] *Corpus,* ad quod *familiæ* appellatio refertur, aut jure *proprio* ipſorum, aut *communi* cognationis nomine continetur. *Iure proprio* familiam dicimus plures perſonas, quæ ſunt ſub unius poteſtate, aut natura, aut jure ſubjectæ. Hac enim appellatione non ſervi modò, ſed & liberi, qui in poteſtate noſtra ſunt continentur: *l.* 40. § *familiæ. & l hac. ff. hic. l.* 23. *ff. de adoption.* Hinc patresfamilias, matresfamilias, filiifamilias, dicuntur. *l.* 11. *ff. de lib. & poſth. l.* 5. *ff. de his qui ſunt ſui vel al. jur.* Sic in Ædilitio Edicto familiæ appellatione & filiifamilias, & omnes, qui in ſervitio ſunt, liberi quoque homines bonâ fide ſervientes, de-

 mon-

monſtrantur *l.* 25. §. 1. *l.* 31. § *idem Pedius. ff. de Ædil. Edict.* Eodemque modo in Edicto Vi bonorum raptorum familiæ nomen eos, qui in miniſterio ſunt, continere dicitur, etiamſi liberi eſſe proponantur, vel ſervi alieni bonâ fide nobis ſervientes. *l.* 2. §. *familia ff. vi bon. rapt.* Eadem in Interdicto unde vi, familiæ fit interpretatio. *l.* 1. § *familia. ff. de vi & vi arm. l. hac.* §. *pen.*

Matresfamilias. b] Quæ matrisfamilias nomine veniat ſupra, *l.* 46. §. 1. diximus.

Neptes & deinceps. c] Familiæ ergò appellatio in deſcendentibus ultra quartum gradum intelligitur.

Pater autem familias. d] Itaque patresfamilias dicuntur, qui ſunt ſuæ poteſtatis, ſive puberes, ſive impuberes, *l.* 4. *ff. de his qui ſunt ſui vel alien. jur.* Nam filii cujuſcunque ætatis ſint, morte patrum ſui juris effecti patresfamilias ſunt. *l.* 5. *ff. quan. dies legat.* Hinc Tertullianus *in lib. de virg. veland. Materfamilias*, ait, *vocatur licet virgo, paterfamilias licet inveſtis.* Paterfamilias etiam fit Servus manumiſſus. *l.* 14. *ff. qui teſtam. fac.*

Dominium. e] Id eſt, *jus dominandi.* Nam non ab actu dominandi dicitur paterfamilias; poteſt enim ætate, judicio, vel alia ratione impediri; ut ſi ſit pupillus, furioſus, liberos, ſervos, domi non habeat; *text. hic. & l.* 4. *l.* 8. *ff. de his qui ſui vel ali. jur.* ſed à potentia; ut ſi liberos, ſervos haberet; ætate, judicio, valeret; jure poteſtatis jus in eos exerceret.

Eman-

Emancipatus. f] *Emancipatus* opponitur *filiofamilias. Ille* ſui juris eſt, *hic* alieni; *ille* habet familiam, *hic* nullam: adeoque *ille* paterfamilias eſt, *hic* non: item *ille* teſtamentnm facit, *hic* non facit, niſi in bonis iſtis in quibus pro patrefamilias habetur: *ille* inſtitutus, eſt heres extraneus; *hic* ſuus & neceſſarius. Hodie cum *emancipatus* inſtar ſui redactus ſit. *l. meminimus. C. de legit. hered.* in favorabilibus, ſive lex de familia, ſive de agnatione verba faciat, putat Alciatus & emancipatum contineri. *l. fin. C. hic. l. qui ſe patris. C. Vnde liber.*

Communi jure. g] Communi jure *familiam* dicimus omnium *adgnatorum*, qui ex eadem domo & gente proditi ſunt,. cognationem; ut ejuſdem familiæ rectè dicantur, qui ejuſdem nominis ſunt: etiamſi ſinguli propriam alant familiam, ſuique juris omnes exiſtant, aut adhuc in poteſtate ſint. Ac proinde patroni & liberti & omnes propinqui ad fideicommiſſum, familiæ relictum, invitati intelliguntur. *l. ult. C. hic.* Etenim cum fideicommiſſum familiæ relinquitur, ad ejus petitionem admittuntur, qui ex nomine defuncti fuerunt eo tempore, quo moreretur: quo in numero & liberti & filii quoque poſtea emancipati habentur. *l. 32. in fin. l. 69. §. ult. l. 77. §. cum inter. ff. de legat. 2. l. 114. §. cum pater ff. de legat. 1.*

Domo. h] *Domus* pro familia uſurpatur Cicero *lib. 10. epiſtol.* ſic: *Ego neceſſitudinem conjunctam habui cum domo veſtra, ante aliquanto quam natus es.* Et lib. 13. ſic: *Quæ nè enumerem*

merem totam domum tibi commendo. Virgil. 3. Æneid.

Aſcanius omniſque domus. Et iterum:
Da propriam Thymbrae domum. Et lib. 5.
Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris.

Sunt tamen qui appellationem οἴκου, *domus*, latius volunt patere quam πατριᾶς, *familia*. *vid. Eraſmus ad cap.* 2. *Luca cap.* 4. *ad verba: Quod erat ex domo & familia Davidis.*

IDEM §. III.

Servitutum [a] quoque ſolemus appellare familias, ut in Edicto Prætoris oſtendimus ſub titulo de furtis, ubi Prætor loquitur de familia publicanorum. Sed ibi non omnes *ſervi*, ſed *corpus* quoddam *ſervorum* demonſtratur hujus rei cauſa paratum, hoc eſt, vectigalis cauſa: Alia autem parte Edicti omnes ſervi continentur, ut *de hominibus coactis*, *vi bonorum raptorum*: item *redhibitoria*, ſi deterior res reddatur emptoris opera, aut familiæ ejus; Et interdicto *unde vi*, familiæ appellatio omnes ſervos comprehendit.

EX-

EXPLICATIO.

Servitutum. a] Quod hic de ſervis dicitur, de iis non ſolum intelligendum eſt, ſed & de quibuſcunque famulantibus, & operam ſuam in id quod hic demonſtratur, præſtantibus. ut ſupra vidimus; *vide l.* 1. § *familia. ff. de publican. l.* 2. § *hac actio. ff. vi bon. rapt. l.* 1. § *ſi quod mancipium. l Ædiles etiam* § *familia. ff. de Ædil. Edict. l.* 1. § *familia. ff. de vi & vi arm.* Familia ab Oſcis originem ducit, apud quos *Servus:* nominabatur *Famel:* Undè *Famulus* dictus: indeque Familia dicta. *Feſtus.* In Legibus Longobardicis ponitur pro *Familia*; *Gaſindium* à Germanico *geſinde*; quod familiam notat.

IDEM §. IV.

SEd & *filii* continentur [a].

EXPLICATIO.

Continentur. a] Filii *familia* appellatione continentur; ſi ſunt in poteſtate, jure proprio & Communi; ſi emancipati; tantum communi jure. *ſupr. hic.* §. 2. *vid. l. peto.* 69. § *fin. de legat.* 2.

IDEM §. v.

ITem appellatur [a] *familia* plurium perſonarum, quæ ab ejuſdem ultimi genitoris ſanguine proficiſcuntur; ſicuti dicimus *familiam Juliam*, quaſi à fonte quodam memoriæ.

EXPLICATIO.

Item appellatur. a] Eſt igitur una *familia*, ad quam omnes *ſtirpes* referuntur, & illa *Gentis* nomine appellari conſuevit; ſunt & aliæ quæ ex *ſtirpibus* conſtant. Quot ejuſdem gentis *ſtirpes* tot *familiæ* ſunt. Sic Suetonius *in Nerone. Ex gente Domitia*, inquit, *duæ familiæ claruerunt, Calvinorum & Ænobarborum.* Hinc patet omnes qui ejuſdem nominis ſunt, ejuſdem quoque eſſe familiæ, *gentis*, non *ſtirpium* reſpectu; qui ejuſdem cognominis ſunt, ejuſdem quoque eſſe *familiæ*, *ſtirpium*, non *gentis* reſpectu. *vid. Sueton. in Galba. & Tiberio. Familia* autem cum tot, ut vidimus, ſignificationes habeat, de qua actum ſit ex ſubjecta materia dijudicandum eſt.

IDEM §. VI.

MVlier autem *familiæ* ſuæ caput [a], & finis [b] eſt.

EX-

EXPLICATIO.

Caput. a] Hoc eſt *principium.* Sui enim juris facta familiam habet. *confer. l. hanc. in* §. 1. *cum l.* 4. *ff. de his qui ſui vel alien. jur. ſunt. l. nupta.*30. §. 1. *l. Titia.*34. *ff. ſolut. matrim.*

Finis. b] Quia, cum eorum filii patrum nomina ſervent, in eas familiæ (pro gente puta acceptæ) origo non propagatur, ſed extinguitur. Quamvis ipſa Romuli Lege viri conſors, ſacrorumque eſſet ſocia. *Dionyſius Alicarnaſſæus lib.* 2. Quaſi domina rerum mariti, divinæ & humanæ domus ſocia. *l.* 1 *Rer. amotar. l.* 1. *de ritu nupt. l* 4. *Cod. de crim. expilat. hered.* Eſt igitur *Mulier* caput & finis familiæ ſuæ: id eſt, *neminem, ut paterfamilias ipſa habet in poteſtate.*

LEX CXCVI.

Cajus Lib. XVI. *ad Edictum Provinciale.*

F*Amiliæ a* appellatione & ipſe princeps *familiæ* continetur.

EXPLICATIO.

Familiæ. a] Quia nomina univerſitatum, non membris tantum, ſed & capite conſtant. Sic appellatione militum Imperator; *l.* 1. *ff. de teſtam. milit.* appellatione populi Senatus continebitur. § *plebs. Inſt. de jur. nat. gent. & civ.*

IDEM §. 1.

F*Oeminarum* liberos [a] in *familia* earum non eſſe, palam eſt: quia qui naſcuntur, patris, non matris familiam ſequuntur.

EXPLICATIO.

Fœminarum liberos. a] *Fœmina* familiæ alicujus duces eſſe non poſſunt. Nam qui ex eis naſcuntur juſti liberi, (Illegitimi enim ventrem ſequuntur. *l.* 19. *ff. de ſtatu hom.*) patrem non matrem familias ſequuntur; & familiarum paternarum, nomen ferunt: non maternarum: Quia in fœminas nullum jus adgnationis tranſit, neque ſuos heredes habent. *l.* 13. *ff. de ſuis & legit.* Hinc filii gentilitia matris ingnia gerere nequeunt.

LEX CXCVII.

Vlpianus Lib. L. *ad Edictum.*

I*Ndicaſſe* [a] eſt *detuliſſe*, *arguiſſe*, *accuſaſſe*, & *conviciſſe*.

EXPLICATIO.

Indicaſſe. a] *Indicat* qui *arguit*, *accuſat*, *convincit*. Hinc præmium, ei qui famoſi libelli autorem indicavit, non debetur, niſi reus convi-

convictus ſit. *l. Lex Cornelia. in fin. ff. de injur.* *Indicare* tamen nonnunquam eſt æſtimare & rei venalis precium ſtatuere. Sic *in l. Iulianus. §. quod tamen. 3. ff. de act. emt.* indicationem poſuit Ulpianus. Indicaturam nominat Plinius. *lib. 22. cap. 14.*

LEX CXCVIII.

Idem Lib. II. *de omnibus Tribunalibus.*

URbana *prædia* [a], omnia ædificia accipimus, non ſolum ea, quæ ſunt in oppidis: ſed & ſi forte *ſtabula* [b] ſunt, vel alia *meritoria* [c] in villis, & in vicis: vel ſi *prætoria* [d] voluptati tantum deſervientia: quia urbanum prædium non locus facit, ſed materia. Proinde *hortos* [e] quoque, ſi qui ſunt in ædificiis conſtituti; dicendum ſit urbanorum appellatione contineri. Plane ſi plurimum *horti* in reditu ſunt, *vinearii* forte, vel etiam *olitorii*, magis hæc non ſunt urbana.

EXPLICATIO.

Vrbana prædia. a] *Vrbana prædia* à *ruſticis* non loco, ſed materia & qualitate diſcernuntur. *Vrbana* ſiquidem accipimus ædificia o-

mnia, quæ ad urbanum uſum inhabitandi, recreandi, mercimonii, voluptatisve gratia habentur; nec non ſolum ea, quæ ſint in oppidis, ſed & ſi fortè ſtabula ſunt in continentibus ædificiis, vel alia meritoria in villis, & in vicis, vel ſi prætoria voluptati tantum deſervientia, horti quoque qui amœnitatis gratia, non reditus, habentur. *hic. & l. 16. C. de præd. min. l. 54. in fin. ff. de petit. hered. l. 59. ff. de contr. emt. l. 13. §. ſi in locatis. ff. de act. emt. l. 4. ff. de pact. l. 1. ff. com. præd.*

Stabula. b] *Stabula* hic ſunt diverſoria ad hominum manſionem conſtituta; *ut & in l. 1. in fin. ff. furti adver. caup. aut ſtab.* Hinc *ſtabularius* qui tecto viatores accipit. Seneca *lib. 1. de benef. cap. 13. Nemo,* ait, *ſe ſtabularii, aut cauponis, hoſpitem indicat.* Accipiuntur & *ſtabula*, pro ſeptis quibus jumenta & greges ſtabulantur. *ut in. l. eo jure. ff. in quib. cauſ. pign. tac. contr. Columel. lib. 1. de re ruſtic. cap. 6.* & tum naturam prædiorum ruſticorum ſequuntur.

Meritoria. c] *Meritoria* ſunt diverſoria, vel fullonica, vel ſtabula, vel quæ alia loca, quæ mercede locantur, à merendo dicta. *l. 91. §. Balneas. ff. de legat. 3. l. 13. § ult. ff. de uſufr. l. 52. §. ſi quis ex. ff. pro Socio. l. 5. §. domum. ff. de injur.* Vopiſcus *in Tacito: Meritoria intra urbem ſtare vetuit.* Spartianus *in Peſcennino Nigro; Pro tricliniis popinas habent, pro cubiculis meritoria.*

Prætoria. d] *Prætorium* apud veteres eſt pars villæ

villæ lautius ædificata, & patrisfamilias habitationi relicta. *l. 2. ff. de ſervit. ruſt. præd. l. 12. ff. de uſu & habit. l. 83. §. 1. ff. de leg. 3. l. 35. §. Cajus. ff. de legat. 2. l. 13. § ult. ff. de injur. Suetonius in Caligula. cap.* 37. Nam ut in urbe ſolius *Principis domus prætorium* appellabatur, reliquorum civium non item: ſic in villis, in quibus ferè quiſque tantum in ſuos habet dominium, quantum in ſubditos ſuos Princeps, *prætorium* dixerunt, ubi ſcilicet quaſi princeps habitaret.

Hortos. c] *Horti* amœni, urbani prædii appellatione continentur; niſi plurimum in reditu ſint, id eſt, principaliter propter ruſticos reditus conſtituti. *de quibus in l. frugem.* 77. *ſup. eod.*

LEX CXCIX.

Idem Lib. VIII. *de omnibus Tribunalibus.*

ABſentem [a] accipere debemus eum, qui non eſt *eo loco* [b], in quo petitur. non enim trans mare *abſentem* deſideramus. & ſi fortè extra *continentia* urbis ſit, abeſt: cæterum uſque ad *continentia*, non abeſſe videbitur, ſi non latitet [c].

EX-

EXPLICATIO.

Abſentem. a] *Abſens* is dicitur qui non eſt in eo loco, in quo petitur: *hic.* & pro diverſitate ſubjectæ materiæ & tractatibus varie quis dicitur abeſſe. *Gloſſ in l. præſens. ff. de procur.* In *judiciis abſens* dicitur qui in jurè non eſt, *l* 14. §. *Prætor. ff. de damn. inf.* & qui à tribunali abeſt, *l. non tantum.* §. *abeſſe. ff. de fideicom. libert.* item qui extra territorium jus dicentis, *l. heres abſens. & ibi Gloſſ. de judic.* qui latitat, *l.* 173. *l. hac. ff. hic.* In *Edicto de damno infecto,* qui non eſt in urbe, *d. l.* 4. §. *Prætor ait.* vel qui domi non eſt; In *contractibus* cum de ſtipulatione agitur, qui ſe exaudire non poſſunt, abſunt; *l.* 1. §. 1. *ff. de verb. oblig.* In *uſucapione* abeſt, qui in eadem provincia non eſt; *l. fin. C de præſcr. long. temp.* In *teſtamentis*, qui non audit, vel non videt teſtatorem; In *procuratore dando*, abeſt dominus qui extra continentia urbis eſt. *l.* 1 § *fin. l* 2. 5. *cum ſeqq. ff. de procur.* *Abſens* etiam interdum habetur, qui adeſt. Sic miles qui Romæ militat pro Reipublicæ cauſa abſente habetur: *l. milites. ff. ex quib. cauſ. major.* Sic *abſens* habetur, qui etſi corpore præſens ſit, animo tamen abeſt; ut furioſus, *l.* 2. §. *pen ff. de jur. codicill. l.* 124 *ff. de div. reg. jur. l.* 17. § *filiofam. ff. de injur.* pupillus. *l.* 10 *ff. quib. ex cauſ. in poſſ. eat.*

Loco. b] *Loci* varia eſt ſignificatio; nam interdum provinciam, interdum oppidum, vel urbem,

urbem, *tot. tit. ff. de eo quod certo loco.* interdum integrum fundum; *l. fundi* 211. *inf. hic.* interdum minimam fundi partem: *l. locus.* 60. *ſup. eod.* ſignificat; hic pro *urbe, civitate, oppido*, in quo alicujus, puta tutoris, præſentia requiritur, accipitur. *ut patet ex verſ. & ſi forte hic.*

Si non latitet. c] Qui enim de induſtria latitant, fruſtrationis pœnis afficiuntur. *l. licet.* 42. *in fin. de procurat. l.* 3. *de judic. l* 3. *§. tutor. de ſuſpect. tutor. l. fulcinius.* 7. *Quib. ex cauſ. in poſſ. eat.*

IDEM § 1.

ABeſſe non videbitur, qui ab *hoſtibus* captus [a] eſt, ſed qui à *latronibus* detinetur.

EXPLICATIO.

Ab hoſtibus captus. a] Ab *hoſtibus* captus, cum pro mortuò habeatur, *l. ſervitutem. de R. I.* tanquam abſens, vocari in jus, citatione ad domum delatâ, non poteſt, ſed ejus ſucceſſor vocandus. Poteſt à *latronibus* detentus; Ei tamen Prætor ſuccurrit. *l.* 1. *l ſuccurritur.* 9. *ff. ex quib. cauſ. major.*

LEX

LEX CC.

Idem Lib. II. *Digeſtorum.*

HÆC ſtipulatio *a*. *Noxis ſolutum præſtari?* non exiſtimatur ad eas noxas pertinere, quæ publicam exercitionem & coërcitionem capitalem habent.

EXPLICATIO.

Hac ſtipulatio. a] Licet *noxa* appellatione omne delictum contineatur; *l. plebs.* 238. § *fin. ff. hic.* tamen qui *noxis ſolutum præſtari*, *ſervum promittit*, de privatis, non etiam his quæ publicam exercitionem & coërcitionem capitalem habent, promiſiſſe exiſtimatur. *h. l* & *l.* 17. §. *quod ajunt. ff. de Ædil Edict. l.* 11. §. *ult. ff. de eviction.* Quia verba ſecundum legis de ea re loquentis ſenſum, intellexiſſe contrahentes præſumuntur; Ædiles autem, qui quibus caſibus redhibitioni locus eſſet, conſtituerunt, noxam ab hujuſmodi fraude diſtinxerunt. *l.* 1. *l. quis ſit.* 17. §. *quod ajunt.* 17. *cum* §. *ſeq. ff. de Ædil. Edict.*

LEX CCI.

Idem Lib. XXCI. *Digeſtorum.*

JUSTA interpretatione recipiendum eſt, ut appellatione filii *a*, ſicuti *filiam*-

liamfamilias contineri ſæpe reſpondebimus, ita & *nepos* videatur comprehendi, & *patris* b nomine *avus* quoque demonſtrari intelligatur.

EXPLICATIO.

Filii. a] Ex proprietate ſermonis *nepos filii* appellatione non continetur. *l. 6. ff. de teſt. tut.* §. *fin. Inſt. qui teſtam. tut. dare*. Omninò ex præſumpta teſtatoris & legantis voluntate, *l.* 41. §. 1. *ff. de legat.* 3. & in Senatus Conſulto Macedoniano, *l 6. C. de S C. Maced.* & in Senatus Conſulto quo cavetur, ne tutor pupillam filio ſuo elocet. *l.* 59. *ff. de ritu nupt.* Hujuſmodi interpretatio juſta eſt. *l. hac. Nepos* enim *filii* loco eſt habendus. *l.* 34. *C. de inoff. teſt. l.* 1. *C. de natur. lib.* Ut autem *filii* appellatione *filia*, etiam in tutela, *l.* 16. *ff. de teſt. tut.* ita *nepotis*, *neptis* continetur. Sexus enim maſculinus & fœmininum complectitur. *l.* 1. *l.* 40. §. 1. *l.* 52. *l.* 122. *l.* 152. *l.* 172. *l.* 194. *ff. hic.*

Patris. b] Viceverſa *patris* appellatione continetur *avus*, *l. hac.* & *patres* pro *parentibus* accipiuntur. *l. patri.* 20. *ff. de adulter.* Quod in his maximè verum eſt, quæ benignè accipienda & interpretatione adjuvanda ſunt: utique enim in lege Juliâ de maritandis ordinibus & in lege Julia de adulteriis, *patris* appellatione *avus* non continetur. *l.* 44. §. 1. *ff. de ritu nupt. d. l. patri.* 20 *ff. ad leg. Iul. de adult.*

LEX

LEX CCII.

Alſenius Varus Lib. II. *Digeſtorum.*

CUM in teſtamento [a] ſcriptum eſſet, *ut heres in funere, aut in monumento duntaxat aureos centum conſumeret*, non licet minus conſumere. ſi amplius vellet licet: neque ob eam rem contra teſtamentum [b] facere videtur [c].

EXPLICATIO.

Cum in teſtamento. a] Heres plus expendendo in funere, aut monumento, quam teſtator expreſſit, voluntati ultimæ non derogat; cum quia in majore ſumma minor continetur; tum quia heres eis quæ in ipſius favorem introducta ſunt poteſt renunciare. Videtur autem hic teſtator certam expreſſiſſe ſummam, ut heredi gravato conſuleret. Minus expendendo quam teſtatur juſſerat, heres contra teſtamentum facere intelligitur: Alii quam heredi ſi teſtator curam monumenti faciendi impoſuerit; is quod plus quam teſtator voluit expendit, non repetit; *l.* 31. §. 4. *ff. de negot. geſt. l.* 50. *§.* 1. *ff. de hered. petit.* ſi minus expendit, cætera ſumma heredibus proficiet. *l. Lucius Titius.* 88. *§.* 1. *ff. de legat.* 2.

Contra teſtamentum. b] Contra teſtatoris voluntatem facientibus, hereditas aufertur ut indi-

indignis, eaque vindicatur fiſco. *l. ult. Cod. de fideicom.* D. Auguſtinus *cap.* 119. *Hereditate careat, qui contra teſtatoris voluntatem facere voluerit.* Heredes teſtatoris voluntati obtemperare debent. *l. ſi cui legatum.* 92. *de cond. & demonſtr.* Ad c‥ s obſequium cogebantur auctoritate Po‥ cum. *l. hereditas.* 50. *de petit. hered.* Quo um ea cura fuit. *Cicero. lib.* 2. *de Legib.*

Facere videtur. c] Multò minus, ſi quid apertè contra Leges, vel tacitè in fraudem legum caveretur: ut in Falcidiam, Voconiam, *l. nemo.* 55. *de legat.* 1. *Paulus lib.* 3. *ſent. tit.* 4. vel turpes, ridiculæ, probroſæ conditiones inſererentur: *l. pen. de condit. inſtit. Paul. d. loco. l. hereditas.* 50. § 1. *de petit. hered. l ſervo.* 113. *in fin. de legat.* 1. *l. ult. de aur. & argent. leg.* Alioqui defuncti judicium ſequetur heres ſtudioſè. *Plinius lib.* 3. Sabino *epiſt.* 10. *lib.* 5. *Calviſio epiſt.* 7.

LEX CCIII.

Idem Lib. VII. *Digeſtorum.*

IN lege Cenſoria *a* portus Siciliæ ita ſcriptum erat: *Servos quos domo quis ducet ſuo uſu, pro his portorium ne dato:* quærebatur, ſi quis à Sicilia ſervos Romam mitteret fundi inſtruendi cauſa, utrum pro his hominis *portorium b* dare

re deberet, nec ne. Reſpondit, duas eſse in hac ſcriptura quæſtiones; primam, quid eſset *domum ducere:* alteram, quid eſset *ſuo uſu ducere.* Igitur quæri ſoleret, utrum, ubi quiſque habitaret, ſive in provincia, ſive in Italia, an duntaxat in ſua cujuſque patria *domus* eſse rectè dicetur? ſed de ea re conſtitutum eſse, eam *domum* c unicuique noſtrum debere exiſtimari, ubi quiſque ſedes & tabulas haberet, ſuarumque rerum conſtitutionem feciſset: Quid autem eſset *uſu ſuo* d, magnam habuiſse dubitationem e. Et magis placet, quod victus ſui cauſa paratum eſt tantum contineri. Itemque de ſervis eadem ratione quæri, qui eorum uſus ſui cauſa parati eſsent: utrum *diſpenſatores* f, *inſularii, villici, atrienſes* g, *textores* h, *operarii* quoque ruſtici, qui agrorum colendorum cauſa haberentur, ex quibus [agris] paterfamilias fructus caperet, quibus ſe toleraret: omnes deniquè ſervos, quos quiſque emiſset, ut ipſe haberet, atque eis ad aliquam rem uteretur, neque ideò emiſset, ut venderet.

deret. Et ſibi videri eos demum *uſus ſui* cauſa patremfamilias habere, qui ad ejus corpus tuendum, atque ipſius cultum præpoſiti, deſtinatique eſsent: quo in genere *junctores* [i], *cubicularii* [k], *coci*, *miniſtratores* [l], atque alii, qui ad ejuſmodi uſum parati eſsent, numerarentur.

EXPLICATIO.

In Lege Cenſoria. a] Eſt *Lex Cenſoria*, non à cenſu, ut vult Accurſius hic, ſed à *Cenſoribus* dicta. Quorum munus, inter alia erat portoria vectigalia locare. Plinius *nat. hiſtor. lib.* 33. *cap.* 4. inquit. *Extat lex cenſoria Ictimulorum aurifodinæ, qua in Vercellenſi agro cavebatur, ne plus quinque M. hominum in opere publicani haberent.* Livius *dec.* 1. *lib.* 4. de cenſura loquens. *Sub ditione ejus ſunt vectigalia populi Romani.* Polyb. 6. Hiſtor. *Locabantur à Cenſoribus partim ſarta tecta operum publicorum per Italiam, quæ difficile ſit enumerare: partim vectigalia fluminum, portuum, hortorum, fodinarum, agrorum, denique omnia quæ ditione Romana continentur*; &c. Etiam anſeres paſcendi locabantur, in honorem eorum qui quondam Capitolium ſervarant: *teſte Plinio.* 10*. Natur. Hiſtor.* 22. *&* 7. *cap.* 72. *Cicerone. Verr.* 4. *& pro Roſcio.* Solebant autem *Cenſores* in locatione vectigalium pacta cum publicanis inire,

inire, quibus, quatenus eſſet exigendum, ſtatuebatur. Undè cum in *lege Cenſoria* portus Siciliæ cautum eſſet, *Ne pro ſervis quos quis domum pro ſuo duceret, vectigal ſolveretur*; dubitatum fuit, quid eſſet *domum ducere*, & quid eſſet *uſu ſuo ducere*. Quod hic JCtus decidit.

Portorium. b] Id eſt, *vectigal*, non tantum quod in portu, ſed & quod in tranſitu pontis pro exportandis mercibus ſolvitur. *l. 3. C. de vectigal. l. 60. §. 8. ff. locati.* Mancipiorum quoque nomine exigebatur *h. l. portorium hominis.* Paulus *l. antepen. de Calumniat. Cum Publicanus mancipia retineret, dataque ei pecunia eſſet quæ non* (portorii ſcilicet nomine) *deberetur, actione in factum ex Edicto de Calumniatoribus conveniendum.* Juſtinus Martyr *Apolog. Chriſt. ad Antonin. Imp.* Objicit: *De Androgynis, meritoriis pueris exigi portoria, quæ procul ab Orbe Romano amandari oporteat.* Excipiebantur mancipia ea quæ quis non mercis, ſed uſus ſui comparaverit, quæ tamen profiteri debet. *l. 5. Cod. de vectig. & commiſſ. l. ult. §. quotiens. §. Divus. de publican.* Quæritur Symmachus de Publicanis portorium ferarum à Senatoribus exigentibus; *lib. 5. epiſt. 60.* Sunt publicani qui hoc vectigal redemerunt, *Portitores* dicuntur. *Portorium* rerum venalium dixit Cicero *in Piſon.*

Domum. c] *Domus*, hic, eſt ubi quis domicilium conſtituit, id eſt, ubi ſedes & tabulas habet, ſuarumque rerum conſtitutionem fecit, ſic Cicero *pro Archia. At domicilium Roma*

non

non habuit is qui tot annis, ante civitatem datam, ſedem omnium rerum, ac fortunarum ſuarum Romæ collocavit. In *lege* verò *Cornelia de injuriis* & in *lege Iulia de adulteriis*, & in *Edicto de aleatoribus*, pro habitatione & domicilio domum accipimus. Et omnis habitatio, ſive propria, ſive aliena, in qua paterfamilias habitat, domus intelligitur, etiamſi ibi domicilium non habeat. *l.* 5. §. *domum. ff. de injur. l.* 8. *in fin. l.* 22. *ff. ad l. Iul. de adult. l.* 1. §. *domum. ff. de alea luſu.* In *Senatuſconſulto de liberis agnoſcendis*, quo domum denunciari permittitur, domum accipimus hoſpitium, ſi in civitate maneat; quod ſi non ſit, ſed in villa, vel municipio, illic, ubi larem matrimonio collocarit, *l.* 1. §. *domum. ff. de agnoſc. & alend. lib.*

Vſu ſuo. d] *Vſus ſui cauſa*, & *uſu ſuo* duci ea demum mancipia videntur, quæ ad patrisfamilias corpus tuendum atque ipſius cultum deſtinantur: veluti cubicularii, coci, miniſtratores, obſonatores, & alii ejuſmodi uſus cauſa parati: *hic.* quæ uſualia mancipia vocantur. *l. fin.* §. *quotiens.* 3. *ff. de public. & vect.* Hinc legatis uxori ſervis qui uſus ejus cauſa parati ſunt, ad eam non pertinent hi ſervi, qui non proprii ipſius, ſed communis uſus cauſa parati ſunt: *l.* 35. *ff. de legat.* 2.

Dubitationem. e] Cum quia, cum de *uſu* generaliter loquatur, videbatur & familiæ *uſum* poſſe intelligi: tum quia jure communi de his quæ patresfamilias ad uſum proprium revehunt vectigal non ſolvitur. *l.* 5. *C. de vectigal.* ſed excipieban-

cipiebantur mancipia uſualia. *d. l. fin.* §. *quotiens. &* §. *Divus. 9.*

Diſpenſatores. f] *Diſpenſator* ſervus & *villicus* & *inſularius*, quis appelletur ſupra *l. urbana.* 166. diximus, ubi vide.

Atrienſes. g] *Atrienſis* ſervus appellabatur is, cui cura credebatur *atrii*; quæ quidem pars prima domus eſt, mediam atiam continens, in quam ex omni tecto collecta pluvia deſcendit; & in qua priſci (ut refert Cato) hoſtio aperto epulabantur: uti etiam pecunias & cætera pretioſiora ſervabant.

Textores. h] *Textor* ſervus erat, qui texebat. Cicero *pro Plancio. Si pro Fabro, aut pro textore emimus.* Inde textrinum locus in quo texitur. *l. qui textrinum. C. de murileg. lib* 11.

Iunctores. i] *Iunctor* erat ſervus qui mulas ad thedam jungebat; qui & mulio vel lecticarius. *l. 99.* § 2. *&* 4. *ff. de legat.* 2. Hinc carruca cum junctura apud Paulum. 3. *ſent. vid. Cujac.* 14. *obſ.* 3.

Cubicularii. k] *Cubicularius* ſervus erat, qui cubiculo, vel ad limina adſidebat. In Nov. 8. Nov. 24. Nov. 27. Cubicularius, eſt Secretarius.

Miniſtratores. l] Miniſtrator propriè dicitur, qui patriſfamilias in menſa miniſtrat.

LEX.

LEX CCIV.

Paulus Lib. II. *Epitomarum Alfeni.*

PVeri [a] appellatio tres ſignificationes habet *unam*, cum omnes ſervos pueros appellaremus: *alteram*, cum puerum contrario nomine puellæ diceremus: *tertiam*, cum ætatem puerilem demonſtraremus.

EXPLICATIO.

Pueri. a] *Pueri* triplex eſt ſignificatio? *Vna*, cum *ſervos pueros* appellamus; puta *domeſticos*, præſertim *tabellarios*; quod niſi pueris & in juvenili ætate conſtitutis, qui pedibus valerent, ad eam rem uti poſſimus. Ideò apud Ciceronem ſæpiſſime legitur. *Pueri tui mihi à te literas reddiderunt.* Terentianus Simo, *Interrogabam mane illorum ſervulos, heus puer, dic ſodes.* D. Ambroſius, de Abraham Patriarcha *lib.* 1. *cap.* 9. *pueri*, id eſt, ſervi. Hoc ſenſu impenſæ in doctrinam puerorum, id eſt, in ſervorum dotalium eruditionem. *l. impenſæ.* 79. *hic. l. ſi quid relictum.* 117. *de legat.* 1. *l. ſin autem.* 27. *fin. de rei vindic.* Symmachus *lib.* 6. *Epiſt.* 8. ait: *Puer veſter inconſultis atque ignorantibus nobis, Vrbe diſceſſit: ut eſt ſervis familiaris improbitas. vid. l. uxorem. §. teſtamento. de legat.* 3. *Altera*, cum contrario nomine *puellæ* utimur, ut *ſexum diſcernamus*; tametſi dubium,

bium non eſt, pueri appellatione & puellam ſignificari, non tantum quod maſculino ſexu fœmininum comprehendatur; *l.* 161. *ff. hic.* ſed & quod puerum pro quolibet ſexu, ſobole, ponant Veteres. Terentius *in Andria. Puerum autem ne reſciſcat mihi eſſe ab illa cautio eſt. Tertia*, quâ ætatem puerilem indicamus. Undè propriâ ſignificatione cum *puerum* dicimus; *impuberem*, id eſt, qui nondum quartum decimum annum complevit *in princ. Inſt. quib. mod. jus patr. poteſt.* intelligemus. *ut in l. in tabulis.* 36 *ff. de ſtatulib.* Ex ſubjecta tamen materia nonnunquam aliter accipitur. In legato alimentorum puero relictorum intelligitur, *l. Mela.* 14. *ff. de alim. legat.* qui decimum octavum annum; *l.* 49. §. 1. *ff. de adopt.* § 4. *Inſt. eod.* §. *ult. Inſt. quib. man. non lic.* In prætoris Edicto de poſtulando, qui annum decimum ſeptimum, non complevit. *l.* 1. § *pueritiam ff. de poſtul.*

LEX CCV.

Idem Lib. IV. *Epitomarum Alfeni.*

QUi fundum vendidit, *pomum* [a] recepit: *nuces*, & ficos, & uvas duntaxat *duracinas* [b], & *purpureas*, & quæ ejus generis eſſent, quas non vini cauſa haberemus, quas Græci τρωξίμους, id eſt, *comeſtibiles*, appellarent, recepta [c] videri.

EX-

EXPLICATIO.

Pomum. a] *Pomi* appellatio, generalis eſt omnium fructuum qui ex arbore eſui apti proveniunt, ſive molles, ſive duri ſunt: & eâ nuces, & ficus, & uvæ duracinæ, & purpureæ, & quæ ejuſdem generis ſunt quas non vini cauſa habemus, quas Græci τρωξίμους appellant, continentur. Nuces, ficus, poma dici oſtendit Pallad. *in Epigram. de nuce, ficubus.* Martialis *Epigram.* 25. *in Xeniis.* nuces pineas poma vocat. Imò Macrobius. *lib.* 3. *Saturnal. cap.* 19. Nuces dici, tradit, à quibuſdam omne pomum, quod foris duro tegatur, & intus habeat quod eſui eſt. Idem *lib.* 2. *cap.* 6. Caſcelli JCti dictum urbanum refert: *Lapidatus à populo Vatinius, cum gladiatorum munus ederet, obtinuerat, ut Ædiles edicerent, ne quis in harenam niſi pomum miſiſſe vellet. Forte iis diebus Caſcellius conſultus à quodam, an nux pinea pomum eſſet? reſpondit: Si in Vatinium miſſurus es, pomum eſt.* Cum itaquè *pomi* appellatio tam generalis ſit, quæſitum fuit, an is qui fundum vendiderat ea lege, ut *poma fundo liceret excerpere,* cenſeretur uvas vini cauſſa paratas ſimul etiam excepiſſe? Et reſpondit Paulus, nuces, & ficus, & duracinas uvas duntaxat, quas non vini cauſâ haberemus, exceptas videri. Quæ autem ad vinum uvæ paratæ eſſent, venditas eſſe.

Duracinas. b] Uvæ *duracinæ* ſunt, quæ propter acinorum duritiem (undè quaſi durus

acinus dictæ. *Plin. lib.* 14. *nat. hiſt. cap.* 1.) tutæ ſunt à frigore, ita ut vel ſuſpendi, vel alio modo eſui reſervari poſſunt tempore hiemali. *Hadrian. Iun. cap. de menſis ſecund. & fructib.* Uvarum & ficuum genera vide apud Macrobium *lib.* 3. *Saturnal. cap.* 20. *& ult.*

Recepta. c] Id eſt, *excepta. Recipere* enim præter natas & vulgatas ſignificationes, in tradendo promittendove excipere & ſibi reſervare ſignificat. *ut in hac l. & l.* 11. *ff. com. præd. l.* 31. *in fin. ff. ſolut. matr. l* 53. §. *ult. ff. de action. empt. l.* 42. *ff. de mort. cauſ. don. l.* 29. § *ſi fundum. ff. de legat.* 3. *l.* 43 §. *ſtipulatus. ff. de uſufr. l.* 40. §. *fundi. &* § *cum fundus. ff. de contr. emt.* Sic Plautus *in Trinum. Poſticulum hoc recepit, cum ædes venderet.* Cicero *in Topic. Fecique quod ſæpe liberales venditores ſolent, ut cum ædes fundumve vendiderint, rutis cæſis receptis concedant tamen aliquid emtori, quod ornandi cauſa aptè & loco poſitum videatur. vide & Gellium. lib.* 17. *Noct. Attic. cap.* 6.

LEX CCVI.

Julianus Lib. VI. *ex Minicio.*

V*Inaria vaſa* [a], propriè *vaſa torcularia* eſſe placet: *dolia* [b] autem & *ſerias* [c] tam diu in ea cauſa eſſe, quamdiu vinum haberent. cum ſine vino eſſe deſinerent, in eo numero non eſſe:

eſſe: quoniam ad alium uſum transferri poſsent. veluti ſi frumentum in his addatur. eandem cauſam *amphorarum* eſse: ut cum vinum habeant, tum in vaſis vinariis: cum inanes ſint, tum extra numerum vinariorum ſint: quia aliud in his addi poteſt.

EXPLICATIO.

Vinaria vaſa. a] *Vinaria vaſa* propriè ſunt, quæ ſunt *torcularia*, id eſt, quæ conficiendo muſto uſui habentur, & *torculari*, id eſt, machinæ præmendis uvis aptæ, conjuncta ſunt: dolia enim, & ſeriæ, & amphoræ etiam in alium uſum, quam vini habentur: ut ſi tritico impleantur. Si tamen vini ſolum cauſſa eis paterfamilias ſemper uſus eſt, vel in eum uſum paravit, non ex vi verborum, de qua hic JCtus diſputat; ſed ex interpretatione, vinariorum vaſorum numero erunt. Undè vino cum vaſis legato, & amphoræ & cadi debentur; non dolia, quia non ſolent loco moveri. *l.* 3. *l. pen. ff. de trit. vin. oleo. leg.*

Dolia. b] Sunt ea, teſte Nonio Marcello, Vaſa grandia quibus vinum reconditur. Non habebant menſuram certam. Fuere tamen olim capaciſſima. Columella; *de picandis doliis loquens*, inquit: *Sunt ſeſquiculearibus doliis picus dura pondo vicena quina ſatis. Seſquiculeare* dolium; eſt amphorarum triginta: *ut interpret. Budæus lib.* 5. *de aſſe.*

Serias. c] *Seria* erant vaſa grandia, ut dolia; undè vinum ad vetuſtatem ſervandum diffundebatur in vaſa minora. *Budæus d. loco Brechæus hic.*

Amphorarum d] Budæus *dicto libro*, tradit amphoram eſſe octavam partem modii Pariſienſis.

LEX CCVII.

Africanus Lib. III. *Quæstionum.*

M*Ercis* a appellatione homines non contineri, Mela ait, & ob eam rem *mangones* b non *mercatores* c, ſed *venaliciarios* d appellari ait, & rectè.

EXPLICATIO.

Mercis. a] *Mercis* appellatio ad res tantum mobiles & venales pertinet; non ad homines, ut ſervos fullones, vel ſarcinatores, vel textores, vel venaliciarios. *l.* 1. *§ licet.* 1. *ff. de tribut. act. l. mercis.* 96. *& l. hac. ff. hic. l. ult. ff. de cond. tritic.* Idque propter dignitatem hominum, *l justiſſime.* 44. *ff. de Ædil. Edict.* quorum ſcilicet gratia & merces & cæteræ res omnes à natura comparatæ ſunt. *l. vetus fuit.* 68. *ff. de uſufr. l. in pecudum.* 28. *ff de uſur. vide tamen ſupra. l. mercis.* 66.

Mangones. b] *Mangones appellatione venaliciariorum* veniunt: quoniam *venalicia*, id eſt, ſervos

ſervos venales expoſitos, ipſi emere præoccupant, ut carius vendant. Cum enim mercis nomen in hujuſmodi ſervis locum non habeat, *l. ſervos. in fin. ff. de legat.* 3. conſequens eſt, ut ſaltem *venalicii* appellatione cenſeantur. Dicti ſunt *mangones* quaſi manu agones: erant enim magiſtri formæ puerorum; & mentiendi coloris artem probè callentes. Solebant enim pueros puellaſque, quo facilius vendi poſſent, artificio quodam componere, atque colorem fuco ementiri, ut vendibiliores eſſent. *Quintil. lib.* 2. *cap.* 15. 17. *Mangones* aliarum etiam rerum dicuntur, qui merces poliunt atque interpollant, ut pluris vendant. *Plin. lib.* 37. *cap.* 13. *& lib.* 7. *cap.* 12.

Mercatores. c] *Mercatores, mangones, venaliciarii*, non ſunt quilibet, qui aliquid emunt, vendunt, ſed ii tantum, qui res mobiles lucri faciendi, negotiandique cauſa eo animo comparant, ut rurſus diſtrahant, importent, exportentque vænum. *l. un. C. de nundin. l. ſuos autem* 73. § *pen. ff. de legat.* 3. *l. generali* 32. §. *uxori. ubi Bart. ff. de uſu & uſufr. leg. l. ſemper.* §. *negotiatores. ff. de jur. immun. l. in lege Cenſoria.* 203. *ff. hic.*

Venalitiarios. d] *Venalitiarii* dici poſſunt omnes, qui res venales habent. Nomen hoc non male relictum *Mangonibus*, quando Mercatoris non conveniebat. *Mangones* dicti, ut quidam volunt, quod manu agant venales ſervos, vel ementium manum. Servus creta domini in pedibus ſignabatur. Saltabat, currebat circa

circumſtantes, dum Præco eum venalem clamabat.

LEX CCVIII.

Idem Lib. IV. *Quæſtionum.*

BONORUM *Onorum* appellatio *a*, ſicut hereditatis, *univerſitatem* quandam ac *jus ſucceſſionis*, non ſingulares res demonſtrat.

EXPLICATIO.

Bonorum appellatio. a] *Bona* ſignificant, ut *hereditas*, univerſum patrimonium & ſucceſſionem commoda atque incommoda hereditaria continentem, ubi aperta eſt mens loquentis, ut in bonorum poſſeſſione, *l.* 2. 3. *ff. de bon. poſſ.* reſtitutione bonorum ex Senatuſconſulto Trebelliano; *l. nam quod.* 14. §. *fin. ff. ad SC. Trebell.* Aliàs, & quidem propriè (puta cum naturaliter, non ut hic, civiliter, accipiuntur,) bona ſunt quæ deducto ære alieno ſuperſunt. *l.* 39. §. 1. *&* *l.* 117. *ſupra ubi vide.*

LEX CCIX.

Florentinus Lib. X. *Inſtitutionum.*

C*Oram Titio* *a* aliquid facere juſſus, non videtur præſente eo feciſſe,

ciſſe, niſi is intelligat. Itaque ſi *furioſus* [b], aut *infans* [c] ſit, aut *dormiat* [d]: non videtur coram eo feciſſe. Scire autem, non etiam, velle is debet: nam & invito eo rectè fit, quod juſſum eſt.

EXPLICATIO.

Coram Titio. a] Licet *coram* ex Latini ſermonis ratione ad corporalem præſentiam referatur; tamen ex rei natura *coram* factum plerunque non videtur; cui *intelligentia* non acceſſerit *l. hac. & l. diem proferre.* 27. § *coram.* 5. *ff. de recept. arbitr.* Parum enim eſt corpore quem adeſſe, ſi mente alienus ſit. *l. nihil intereſt.* 26 *ff de capt. & poſtlim. rev.* Itaque furioſi, infantes, dormientes; & qui non intelligunt id quod agitur, abſentum loco habentur. *d l. hac. & l. fin. ff. hic. l.* 27. *§.* 5. *l. Fulcinius.* 7. §. *adeò autem. & §. plane interdum. ff. ex quib. cauſ. in poſſ. l ubi non voce.* 124. §. *furioſus. ff de div. reg. jur.* Requiritur ergò ut *ſciant*, non etiam ut *velint*, quod invitis fieri poteſt. *hac l. in fin.* Nec eſt quod quis replicet ea quæ invitis quibuſdam fieri poſſunt, multò magis fieri poſſe iis ignorantibus. *l. qui poteſt.* 26. *ff. de div. reg jur.* Id enim neque in *judiciis*, neque *in arbitriis*, neque ſi *lex vel teſtator coram Titio facere juſſit*, procedit. Non in *judiciis*, quia redduntur quidem in invitum, ſed nunquam in ignorantem. *l. inter ſtipulantem.* 83.

§. 1. *ff. de verb. oblig.* Non in *arbitriis*, quia licet ſumant originem à voluntate litigantium, pronuntiatio tamen arbitri fit etiam invitis, non ut cogantur parere judicato ſi nolint, ſed ut ſi non pareant cogantur pœnam perſolvere. *l.* 1. *C. de recept. arbitr.* Non ſi *Lex vel teſtator coram aliquo facere juſſit:* quia vis verborum tum aliud ſuadet. Undè qui cum conſilio alicujus facere tenetur; ſatis eſt ſi conſilium accipiat. *c. cum olim. de arbitr.* licet id non ſequatur. Niſi & hoc *expreſſim* aut *tacite* mandatum ſit; *Tacitè* mandatum præſumitur; ſi conſultor & adminiſtrationis collega ſit: qui conſulere debet inhabilis & idiota aliàs ſit; ut cum lex adoleſcentibus permittit, *l. Titium. ff. de admin. tut.* curatores, ſed ex conſilio neceſſariorum, ſuſpectos facere. *l. impub. ff. de ſuſp. tut.*

Furioſus. b] Is, cum quid agatur non intelligat, perpetuò abſentis loco habetur. Corpus eſt hominis receptaculum, ratio, mens, intelligendi ſenſus, verè homo dicitur. Cicero in ſomnio Scipionis: *Sic habeto, te non eſſe mortalem; ſed corpus hoc. Nec enim is es, quem forma iſta declarat: ſed mens cujuſque is eſt quiſque: non ea figura, qua digito demonſtrari poteſt. Furioſus* igitur, cum judicio conſilioque careat, abſentis loco eſſe dicitur. *l. ubi non voce.* 124. *de reg. jur. l* 2. *de jure Codicill. l.* 2. *in fin. Soluto. matrim.* Imò furor morti comparatur: *l. ambiguitatem.* 12. *fin. Cod. de uſufruct. l.* 2. *§. ſi pecuniam. de donation. l. qui ad certum.* 14. Multò magis abſentiæ.

Infans.

Infans. c.] Comparatur *furioſo.* Neuter enim eſt ſatis firmi judicii: quicquid videt ignorat. *d. l. Fulcinius 7. Ex quib. cauſ. in poſſ. eat. l.* 1. *Cod. de falſa moneta. l. nec mandati.* 8. *de tut. & cur. dat.* Si quid *Infans* aut *furioſus* corruperit damnive quid dederit, etiam ſi hominem fortè occiderit, impunè eſt: quaſi tegula deciderit. *l* 5. *ad Leg. Aquil. l. quod infans.* 60. *de rei vind. l. infans.* 12. *ad Leg. Corn. de Sicar.*

Aut dormiat. d] *Dormienti* ſurdove verba facere irriti laboris ſignificationem habet. Oreſtes in Æſchyli Agamemnone, Κωφεῖς αὐτοῦ καὶ καθεύδουσιν μάτην ἀκραντοβάζω. Undè cum rei quæ geritur, notitia; non ſola corporis præſentia ad accommodandam pupillo tutoris auctoritatem ſufficiat: Ulpianus ſubjungit: *Ut ſi ſomno, aut morbo comitiali occupatus tacuiſſet. l.* 1. *de auct. tutor. Forner. hic.* Quid ſi *dormiens* commiſerit homicidium: an meretur puniri? Negant communiter Doctores. *arg. h. l. n. & l.* 1. *§.* 3. *de acquir. poſſ.* ubi dormiens infanti & furioſo comparatur. Rectè. Niſi culpa aliqua cum ſomno ſit conjuncta. Quid enim ſi de nocte ſuetus ſurgere, (ut ſolent *noctambulones*) vitium ſuum ſciens ancipiti clauſtro non firmaverit cubile ſuum? Quid ſi ebrius? Idem plane videtur: Publius Mimus: *Abſentem lædit qui cum Ebrio litigat.* Ebrietas quoddam veluti mentis exilium inducit: furori finitima. Apud Athenæum *Deipnoſoph. lib.* 1. Eadem cum inſania lance *temulentia* ap-

Q 6 pendi-

penditur: dicit; Ε'ς *τὴν ἀυτὴν τιθεὶς πλάστιγ-γα τὴν μέθην τῇ μανίᾳ. Forner. hic.*

LEX CCX.

Marcianus Lib. VII. *Inſtitutionum.*

IS, qui *natus* eſt ex *mancipiis* urbanis, & miſſus eſt in villam nutriendus, in *urbanis ſervis a* conſtituetur.

EXPLICATIO.

In urbanis ſervis. a] Quia quæ ad tempus in aliquem locum delata ſunt, *l* 1. *C. hic.* non cenſentur ibi eſſe, ſed potius in loco in quo adeſſe conſueverunt. *l. quæſitum.* 78. § *fin. ff. de legat.* 3. Hinc ſervis ruſticis legatis, qui in villam nutriendus miſſus eſt, non continetur. *l. ſervis urbanis.* 99. § *eum qui.* 3. *ff. eod.* Sic boves ei fundo cedunt, ubi opus faciunt, non ubi manere ſolent. *l.* 4. *de fund inſtr. Harmenop. lib.* 5. *tit.* 10. Spectanda quippe, mens Domini, uſusque rei perpetuus, non temporalis. *l. fundi.* 17. §. *Labeo. de act. emt. l.* 1. §. *æſtiva. de aqua quotid.*

LEX CCXI.

Florentinus Lib. VIII. *Inſtitutionum.*

F*Undi a* appellatione omne ædificium, & omnis ager continetur: ſed

ſed in uſu urbana ædificia *ædes b*, ruſtica, *villæ* dicuntur. Locus verò ſine ædificio, in urbe *area c*, rure autem *ager* appellatur. Idemque *ager cum ædificio*, *fundus* dicitur.

EXPLICATIO.

Fundi. a] Quid *fundus*, *ager*, *villa*, *ædes*, *area*, ſit, explicat hic Juriſconſultus. Nos de fundo, agro, ſupra *l. ager*. 27. *l. locus*. 60. *l. quæſtionis*. 115. *ff. hic*. diximus; ubi vide.

Ædes. b] *Ædium*, itemque ædificii appellatio tam ad *ruſticas*, quam ad *urbanas* habitationes pertinet. *l. tugurii*. 180. *ff. hic. l.* 41. §. *ſed ſi quis. ff. de legat*. 1. Exinde in eo Leg. 12. Tab. cap. quo de incendiariis agitur; & interdicto de cloacis, *Ædium* appellatione omnes ſpecies ædificii contineri traditur. *l.* 13. *ff. de incend. ruin. naufr. l.* 1. *in princ.* §. *deinde ait. ff. de cloac.* Sed & interdicto uti poſſideris verba Prætoris, *uti eas ædes*, ad omnes res ſoli, quæ poſſideri poſſunt, interpretatione trahuntur. *l.* 1. *in princ. &* §. *ult. ff. uti poſſid.* In uſu tamen, *hic inquit ICtus*, *urbana ædificia ædes*, *ruſtica villæ* appellantur. Cicero in Topic. *Vſus fundi auctoritas biennii eſto: ſit ergo & ædium.* Plinius lib. 18. Nat. Hiſt. cap. 6. *Neque fundus Villam quærat, neque Villa fundum. Villa Scævolæ fundus carebat, Villa luculli, agro. Quo in genere. Cenſoria caſtigatio erat; Minus arare,*

re, *quam verrere*. In cenſu villas omnes ædes appellari ſcribit Varro. *lib*. 4 *de ling. lat*. *Ædes* autem duobus conſtant, *area* ſeu ſolo, & *ſuperficie*. *l*. 13. *ff*. *de uſucap*. *l*. 49. *ff*. *de rei vind*. *l*. 39. *ff*. *de legat*. 2. Undè qui fundum excepto ædificio legat, non de *ſuperficie* tantum, ſed & *de ſolo* cogitaſſe intelligetur, ſine quo ædificium ſtare non poteſt. *l*. 81. §. *qui fundum*. *ff*. *de legat*. 1. Eſt autem *ſuperficies*, omne quod ſupra terram eſt: quapropter in prædiis urbanis parietes & tecta; & ruſticis arbores, herbæ, frutices, ſuperficiei adſcribuntur.

Area c] *Area hic* JCto eſt locus in urbe ſine ædificio. Feſto locus vacuus, quaſi exaruerit, & non poſſit quidquam generare. Varro *aream* vocat, ubi frumenta ſecta terantur, & areſcant. *ut & accipitur in l. Mela*. §. *fin*. *ff*. *de alim. leg*. *l*. *fin*. *C*. *de ſervitut*. Alciatus hic tradit *aream* ruſticam eſſe, & metaphoricè tantum in urbe dici; at eum Forcatulus *dialog*. 16. *Necyomantiæ*. redarguit; cum toties JCti *aream* pro urbano loco, in quo domus ædificetur poſuerint. *l*. *ſi in area*. *ff*. *de cond. indeb*.

LEX CCXII.

Ulpianus Lib. I. *de Adulteriis*.

PRævaricatores [a] eos appellamus, qui cauſam adverſariis ſuis donant, & ex parte actoris in partem rei concedunt.

dunt. à *varicando* b enim *prævaricatores* dicti ſunt.

EXPLICATIO.

Prævaricatores. a] *Prævaricator* (à *varicando*, id eſt, tranſverſum eundo dictus) dupliciter in jure accipitur. *Primò prævaricator* dicitur is qui veras probationes & accuſationes omittit, falſas probationes & rei defenſiones admittit & colludit cum reo. *l.* 1. §. 1. *ff. ad SC. Turpill. l. athletas. ff. de his qui not. inf. l. hac. Secundò prævaricator* dicitur, Advocatus, qui corruptus eſt, & prodit cauſſam. *Ille*, ſi publico Judicio accuſavit, *l* 1. §. 1. *ff de prævaric.* arbitrio judicis extra ordinem: *l.* 2. *ff. eòd.* vel eâdem pœnâ publica afficitur, qua teneretur, ſi ipſe in legem commiſiſſet, quâ reus propter prævaricationem abſolutus eſt: *l. pen. ff. eod.* & præterea fit infamis. *l.* 4. *ff. eod. Hic* extra ordinem punitur. *d. l* 1. *in fin.* non tamen fit infamis. *l.* 3. §. 2. *cum l. ſeq. ff. eod.*

A varicando. b] *Varicari*, ſive *prævaricari*, eſt diſtortis atque diductis pedibus in tranſverſum variè ire. A tali inceſſu, vox prævaricari eſt deducta & in forum tranſlata teſte Ulpiano *hic.* & Plinio *lib.* 18. *cap.* 19. Ubi inquit; *Arator, niſi incurvus, prævaricatur; inde tranſlatum hoc crimen in forum: ibi itaque caveatur, ubi inventum eſt.* Gloſſ. Vet. διασκελίζειν. Caſſiodorus lib. 6. Epiſt. 9. *Varicatis greſſibus*, ni fallor, pro *doloſe* JCtus tamen Ulpian. *in l.* 1.

de

de prævaricat. ex Labeone à varia concertatione nomen tractum ait. Certe *Varii*, *doloſi* appellantur. *l.* 1. *de dolo malo.*

LEX CCXIII.

Idem Lib. I. *Regularum.*

C*Edere diem* a ſignificat incipere deberi pecuniam. *Venire diem* ſignificat eum diem veniſſe, quo pecunia peti poſſit. Ubi *purè* b, quis ſtipulatus fuerit: & ceſſit, & venit dies. Ubi *in diem* c, ceſſit dies, ſed nondum venit. Ubi *ſub conditione* d, neque ceſſit, neque venit dies pendente adhuc conditione.

EXPLICATIO.

Cedere diem. a] *Cedere dies* dicitur, cum obligatio contracta eſt, & ex ea quod in obligationem deductum eſt, debetur. *Venire* diem, eſt aliquid amplius, nempe eum veniſſe, diem quo quid non tantum debetur, ſed & cum effectu peti & exigi poteſt. *Cedere* obligationem, debitum: *Venire*, petitionem & exactionem, reſpicit. Hoc explicat hic JCtus exemplis ſtipulationis puræ, in diem, & ſub conditione. De quibus ſingulis videamus.

Vbi purè. b] In *pura* ſtipulatione & *ceſſit* & *venit*

venit dies; id eſt, & res debetur & exigi confeſtim pôteſt: cum nihil occurrat quod actionem moretur. *l hac. l. eum qui.* 41. §. 1. *l. liber. homo.* 118 §. 1. *ff.* §. *omnis.* 4. *Inſt. de verb. oblig. l. in omnibus.* 14 *ff. de div. reg. jur.* Prætor tamen, actione motâ & debitore in jus vocato, ſi is confiteatur debitum & paratus ſit ſolvere, judicium in eum non dabit, *l ex judicatum.* 16. *ff. judic. ſolvi.* ſed ad ſolvendum, ſi petit, ei terminum præfiget, & dabit. *l. ſi debitori.* 21. *ff. de judic.* Illum puta ipſum, quem condemnaris dare ſolet. *d. l. ſi debitori.* 21. *in fin.* Qui olim erat triginta dierum, poſt ad bimeſtre, demum à Juſtiniano ad trimeſtre ſpatium, productus eſt. *l.* 2 & 3. *C. de uſur. rei. jud.*

Ubi in diem. c] In ſtipulatione *in diem* concepta *ceſſit* quidem *dies*, id eſt, res debetur, ſed *nondum venit*; id eſt, nondum exigi poteſt; puta cum effectu: *& ſic intellige. l. certi.* 9. *in fin. princ. ff de reb. cred. l. quoties.* 24 *ff. de oper. lib. l. exiſtim.* 98 §. 1. *l. liber homo.* 118. § 1. *ff.* §. *omnis.* 27. *Inſt. de verb. obligat. l.* 7. §. 1. *l. ſi in diem.* 14. *ff. quib. ex cauſ. in poſſ.* Obligatio enim, & ex illa obligatione competens actio, (cum juris ſint, & proindè non ſuſpendantur.) quam primum competit: ſed ſolutio, (quæ eſt facti, & proinde ſuſpendi poteſt.) ante tempus, in quod promiſſum; peti quidem poteſt, ſed non cum effectu. Atque ita actio quæ ex ſtipulatione in diem datur, exceptione eliditur. §. *at ſi ita.* 3. *Inſt. de verb. oblig.* § *temporales.* 10. *Inſt. de except.*

Ubi

Vbi ſub conditione. d] *Stipulatione ſub condi-tione factâ dies, pendente conditione, nec ceſſit, nec venit*; hoc eſt, res nec debetur, nec exigi poteſt. Quia cum conditionis ea ſit natura ut actum ſuſpendat & conditio dubia ipſum etiam contractum dubium faciat, atque adeò ex ea non obligatio, ſed ſpes tantum obligationis eſſe poſſit; §. *ſub conditione.* 4. *Inſt. de verb. oblig.* eâ deficiente, nihil intelligitur actum, exiſtente contractus tum demum robur ſuum habere incipit. *Conditionem* autem hic intelligimus *propriè dictam.* Quæ enim certum eſt eſſe extituram, vel quæ tempus præſens reſpicit, pro pura habetur. *l. ſi pupillus.* §. 1. *ff. de novation.*

IDEM §. 11.

ÆS ***alienum*** **a eſt, quod nos aliis debemus. *Æs ſuum* eſt, quod alii nobis debent.**

EXPLICATIO.

Æs alienum. a] *Æs* omne nummorum pecuniæque genus ſignificat; ut ſupra. *l. etiam aureos.* 159. *ff. hic.* diximus. Hinc *æs alienum* habere, (ut Seneca *l.* 5. *de benef. c.* 14. ſcribit) dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percuſſum, quale apud Lacedemonios fuit, vel aliud quidlibet, quod uſum numeratæ pecuniæ præſtet. *Æs ſuum*, quod nobis

bis alii debent. Noſtrum, rectius, etiam dicitur. Sic in ære noſtro eſſe, pro in bonis noſtris eſſe.

IDEM §. 11.

L*Ata culpa* a eſt nimia negligentia: id eſt, non *intelligere*, quod omnes intelligunt.

EXPLICATIO.

Lata culpa. a] Id eſt, non *curare*, non *intelligere*, id quod omnes homines mortales curare ſolent atque intelligere. *l. lata.* 223. *inf. hic.* nimia ſecuritas, μεγάλη ἀμέλεια. *l. pen. de jur. & facti ignor.* Summa negligentia prope dolus eſt. Sedulo, quaſi ſine dolo Donatus in Terentium. *vid. l.* 226. *inf. hic.*

LEX CCXIV.

Marcianus Lib. I. *Publicorum Judiciorum.*

M*Unus* a propriè eſt, quod neceſſariò obimus lege, more, imperiove ejus, qui jubendi habet poteſtatem: *Dona* autem propriè ſunt, quæ nulla neceſſitate juris, officii, ſed ſpontè præſtantur, quæ ſi non præſtentur, nulla

nulla reprehenſio eſt: & ſi præſtentur, plerumque laus ineſt. Sed in ſumma in hoc ventum eſt; ut non quodcunque *munus*, id & *donum* accipiatur: at quod *donum* fuerit, id *munus* rectè dicatur.

EXPLICATIO.

Munus. a] *Munus* hic à *Dono* ita diſtinguit JCtus, ut *illud* dicat eſſe *neceſſarium: hoc* verò *voluntarium*, ſive ſpontaneum: quod facile intellectu eſt, ſi modò munera pro iis oneribus accipiamus, à quibus qui liberi ſunt immunes appellantur. *l.munus.*18 *ff. hic ubi vide.* Sic tamen ſumta, donis nullo modo opponi poſſunt. Quod hic dicit. *Non quodcunque munus, id & donum accipi; at, quod donum fuerit id munus rectè dicitur?* *Magnam habet difficultatem*, inquit *Hottomannus.* Nam adeò inter ſe pugnant, ut alterum ſit neceſſarium, alterum voluntarium; Undè non facilè quis dixerit generis inter ſe & ſpeciei vicem, (ut ſupra. *l. inter donum.* 194. *ubi vide. ff.* hic voluit Ulpianus) poſſe præſtare. Propterea videtur ei *in verbo donum*, & particulam *Non* loco ſuo motam & in alienum tranſlatam eſſe: ut ſic legendum ſit. *Sed in ſumma in hoc ventum eſt, ut quotcunque munus id & donum accipiatur: at non quod donum fuerit, id etiam munus rectè dicatur.* Sed hæc emendatio, quia omnium exem-

exemplarium fidei repugnat, non eſt recipienda. Præcipuè cum commodè JCti ſententia explicari poſſit. Nempe ut dicamus eum dicere voluiſſe. Non omne munus donum ſolum modo ſignificare, ſed & onus ſi, ad neceſſitatem referatur; ſi ad liberalitatem, munus, puta doni ſpeciem. *vide. l. munus.* 18. *ſupr. hic. & ibi. Gœd. axiom.* 1. *& l. inter donum.* 194. *ff. eod.*

LEX CCXV.

Paulus Lib. Singulari ad Legem Fuſiam Caniniam.

POteſtatis verbo *a* plura ſignificantur: in *perſona magiſtratuum imperium b. in perſona liberorum, patria poteſtas c. in perſona ſervi, dominium. d.* At cum agimus de noxæ deditione cum eo qui ſervum non defendit: *præſentis corporis copiam e* facultatemque ſignificamus. In lege Atinia in poteſtatem domini rem furtivam veniſſe videri, & ſi ejus vindicandæ poteſtatem *f* habuerit, Sabinus & Caſſius ajunt.

EXPLICATIO.

Poteſtatis verbo. a] *Poteſtatis* variæ ſunt ſignificationes, ex quibus quinque enumerantur. Quas ordine enarrabimus.

Impe-

Imperium. b] In perſona magiſtratuum poteſtas ſignificat *Imperium*; *l.* 13 *ff. de juriſd. l.* 3 *ff. ne vis fiat ei qui in poſſ. l.* 1. *ff. ad leg. Iul. Majeſt.* puta metum; *l.* 3 *ff. de juriſd. l ſolent.* 6. *ff. de offic. Proconſ. l. nemo.* 70. *ff. de div. reg. jur.* Quod (ſic dictum quod per ſe ſubſiſtat, nec quicquam Juriſdictionis in ſe complectatur. *l.* 1. *§. fin. ff. de off. ejus cui mand. juriſd*) eſt omnis gravior facinoris animadverſio. *ut videre eſt ex coll. d. l.* 1. *l.* 6. *l.* 11. *§* 1 *ff. de offi. Proconſ. l.* 3. *ff. de juriſd.* Nam modica coërcitio ad publicam diſciplinam emendandam, ſine qua vana eſt juriſdictio, Imperii non meri eſt. *l.* 1. *§ fin. l. ult. §. fin. ff. de off. ejus cui mand. juriſd.* Imò interdum conjunguntur, *Imperium*, *Poteſtas*, *Magiſtratus*: Interdum ſeparantur. Marcellinus lib. 30. Hiſtor. *Ære gravi mercari publicas poteſtates.* Plinius lib. 28. cap. 6. *Hac in conſiliis Ducum, poteſtatumque fieri.* JCtus Ulpianus; *Cum potuerit jus publicum invocare, & adire aliquem poteſtate præditum, qui utique eum vim pati prohibuiſſet. l. ult. Quod. met. cauſſ.* Quid? Apud JCtos nomen *poteſtatis* aliquandò latius quam *Magiſtratus* patet. *l.* 3. *ad Leg. Iul. repet. l. eum qui.* 13. *de juriſdict.* Undè in veterum legum, SCtorum formulis conjunguntur, ut nihil in Lege deſideretur. Sic in *l.* 1. *Quod quisque juris. Qui Magiſtratum Poteſtatemve habebit*; In *l. accuſare* 8 *de accuſation. Alii propter Magiſtratum, poteſtatemve in qua agentes, ſine fraude, in jus evocari non poſſunt.* Cicero in Rullum: de Lege Agraria. Orat. 2. *Omnes poteſtates,*

teſtates, imperia, curationes, ab univerſo Populo Romano proficiſci convenit. JCtus in *d. l.* 3. *de Iuriſd. Merum Imperium eſt, habere Ius gladii ad animadvertendum in facinoroſos homines, Quod etiam poteſtas appellatur. Videl. lege.* 7. *l. antepen. Ad Leg. Iul. de vi publ. l.* 1. *Ad Leg Iul. repetund.*

Patria poteſtas. c] In perſona liberorum, *poteſtas* ſignificat, *patriam.* Eſt autem *patria poteſtas*, jus illud quod pater, vel avus in perſonas liberorum, qui ex juſtis nuptiis procreati ſunt, habet. *princ. Inſt. de patr. poteſt.* Hoc autem jus proprium civium Romanorum eſt: quoniam à Lege XII. Tabularum introductum. §. *jus autem.* 2. *Inſt. eod.* Sed cum conſtitutione Antonini. *in l. qui in orbe. ff. de ſtatu homin.* omnes qui in Orbe Romano ſunt, cives Romani effecti ſint, ſequitur ad omnes Chriſtianos hodie illud pertinere. *Patriam* autem *poteſtatem* ſacram ac nexu divino copilatam leges vocant. *l. cum in adoptivis. verſ. cum enim. C. de adoptiv.* Inde in ſacris eſſe dicimus, pro in patris poteſtate, quæ ſacra & ſancta eſt. *l. fin. C. de bon. matern.* Seneca Stoicus de filio abdicato loquens, *lib.* 7. *declam. natura jura Sacra eſſe confirmat, etiam apud piratas.* Facit quod vir & uxor participes ſunt divinæ & humanæ domus. *l. adverſus. C. de crim. expil. hered.*

Dominium. d] *Poteſtatis* verbum non ad *liberos* modò trahimus, ſed & *ſervos*, & ad eos, qui nobis *bona fide ſerviunt*, ſive liberi ſint, ſive alieni ſervi, ſive proprii, ſive fructua-

rii.

LEX CCXVI.

Ulpianus Lib. I. ad Legem Æliam Sentiam.

VErum eſt *a* eum qui *in carcere clu-ſus* eſt, non videri neque *vinctum*, neque *in vinculis* eſſe; niſi corpori ejus vincula ſint adhibita.

EXPLICATIO.

Verum eſt. a] *Vinctus*, aut *in vinculis* fuiſſe, in Lege Ælia Sentia, & aliàs ubi verba propriè conſiderantur, non videtur ſervus qui carcere (Qui ad continendos homines, non ad puniendos habetur. *l. aut damnum.* 8. §. *ſolent. ff. de pœnis.*) cluſus fuit; ſi vincula corpori ejus non ſint addita. In Edicto tamen Prætorum de in integrum reſtitutionibus largius & latius, ex mente Prætoris, ſumitur *vinculorum* appellatio; ut etiam incluſi, veluti *latumiis*, aut ut alii legunt *latomiis*, id eſt, cæſis lapidibus (qualis dicitur olim fuiſſe carcer Syracuſanorum,) in vinculis eſſe videantur. *l. ſuccurritur.* 9. *ff. ex quib. cauſ. major.* Nec enim minus prohibentur & impediuntur nè poſſint agere, (Quod Prætor intuetur.) quam ſi vincti eſſent, cum nihil interſit an quis parietibus, an compedibus teneatur. *d. l. ſuccurritur.* 9. *verſ. vinculorum.*

LEX CCXVII.

Javolenus Lib. I. *ex Poſterioribus Labeonis.*

INter illam [a] conditionem, *Cum fari potuerit*, *& poſtquam fari potuerit* multum intereſt. Nam poſteriorem ſcripturam, uberiorem eſſe conſtat: at *Cum fari potuerit* arctiorem: & id tantummodo tempus ſignificari, quo primum *fari* poſſit [b].

EXPLICATIO.

Inter illam. a] *Cum* & *Poſtquam* multum differunt; *Illud* ſignificat tempus inchoatum; *Hoc* ſui natura perfectum, præteritum. *l. hac.* Hinc conditio, *cum fari potuerit*, ſtatim cum quis primum poteſt loqui impletur; non conditio *poſtquam fari potuerit*; utpote que tempus ſucceſſivum aliquod deſignat. *Fari* autem nihil aliud eſt quam ferre, id eſt, *loqui. Vlpian. l* 2. *ff. rem. pup ſalv. fore. l.* 5. *ff. de div. reg. jur.* Quanquam Varro inter *fari* & *loqui* hoc intereſſe ſcribit, quod fatur is, qui primus ſignificabilem vocem ore emittit, nullo verborum ordine ſervato; unde pueri, antequam id faciant, infantes dicuntur. Loquitur autem is, qui ſuo loco unumquodque verbum ſciens ponit.

Fari

Fari poſſit. b] Fit hoc fere ſeptimo ætatis anno. *l. ſi infanti.* 18. *de jure delib.* Quo tempore dentibus natis abſolvitur loquendi integritas. *Macrob. in Somnio. Scipion. lib.* 1. *cap.* 6. Juvenal. ſatyr. 14.

——— Cum ſeptimus annus
Tranſierit, puero nondum omni dente renato.

Lucretius:

Nec minus incerto denteis cadere imperat ætas
Tempore

Infans Græcis ſeptennio minor definitur ὁ νήπιος· ὁ ἑκταέτης. καὶ ὁ ἥττων τῶν ἑπτὰ ἐτῶν. *Forner. hic.*

IDEM §. 1.

Item ita datâ conditione, *Illud facito in diebus*, ſi nihil præterea fuiſſet adjectum, in biduo a conditionem impleri oportet.

EXPLICATIO.

Biduo. a] Quia pluralis elocutio duorum numero contenta eſt. *l. libertas.* 17. §. *fin. ff. de manum. teſt. l. ubi numerus.* 12. *ff. de teſtib.* Niſi ex ipſa re, vel loco, major dilatio implendæ conditionis ſe offerat. §. *loca Inſt. de verb. oblig. l. continuus.* §. 1. *ff. eod.* §. *fin. Inſt. de inutil. ſtipul.*

LEX CCXVIII.

Papinianus Lib. XXVII. *Quæſtionum.*

VErbum *Facere*[a] omnem omninò *faciendi* cauſam complectitur: *dandi*, *ſolvendi*, *numerandi*, *judicandi*, *ambulandi*.

EXPLICATIO.

Facere. a] *Verbum facere*, cum effectum juris poſt ſe relinquit, *vide l. faciendi.* 175. *ff. hic.* perquam *generale* eſt, & omnem omninò faciendi cauſſam complectitur. Sic facere interpretamur pro dare. *l. ſi heres juſſus.* 73. *ff. de legat.* 1. *l.* 8. § *ſi quis mandaverit. ff mand. l* 4. §. *ult. ff. de appellat.* ſolvere, *l. ſunt qui. ff. de re jud. l. ult. C. de reb. cred.* numerare; *l. hac.* judicare, ambulare, *l.* 6. §. *ſi quis autem. C. de appell. l.* 4. §. *Cato. ff. de verb. oblig.* procreare, *l. cum ſatis. C. de agric. lib.* 11. ſollicitare; in pacto nè ſervum quis faciat furem, reddere; *l. licet.* 178 *ff hic.* reſtituere, *l. verbum.* 94. *ff. hic.* accuſare, *l. ſi uteris. ff. de fid. inſtrum.* detegere, *l.* 3 *ff de ſuſp. tut.* reficere, *l. ſi ſervus ſervum* § *ſi calicem. ff. ad leg. Aquil. l Mutius. ff. de rei vind. l.* 1. *ff. de mort. inferend.* exercere, *l.* 26. *ff. de oper. libert.* Imò *Facere*, *vivere* interpretamur. JCtus *in l. ſervus qui teſtamenti.* 14. § 1. *de ſtatulib.* inquit; *Is ſervus.*

vus fugerat, & annum in fuga fecerat. JCtus *in l. miles. 11. §. quidam ad Leg. Iul. de adulter. Ne ſibi computarentur dies, quos in cuſtodia feciſſet.*

LEX CCXIX.

Idem Lib. II. *Reſponſorum.*

IN *conventionibus* contrahentium *voluntatem* potius *a*, quam *verba* ſpectari placuit. Cum igitur *b*. ea lege fundum vectigalem municipes locaverint ut ad heredem ejus, qui ſuſcepit, pertineret: jus heredum ad legatarium quoque transferri potuerit.

EXPLICATIO.

Voluntatem potius. a] Quia contractus omnes ex conventione legem accipiunt. *l.* 1. §. 6. *ff. depoſiti. l. contractus.* 23. *ff. de verb. oblig.* Quia ſemper in contractibus ſive bonæ fidei ſint, ſive ſtricti juris, id ſequimur quod actum eſt, etiamſi verba impropriè accipiantur: *l. ſemper in ſtipulationibus.* 34. *ff. de div. regul. jur. l. Nepos Proculo.* 125. *ff. hic. l. ſed Celſus.* 6. §. *ſi fundus.* 1. *ff de contr. empt. l.* 2. §. 1. *ff. de hered. vel. act. vend. fac. l. ſi unus. ff. de pact.* Veritas enim omnibus præferenda eſt. *Gloſſ. in c. ego. diſt.* 9. *l.* 1. & *l.* 3. *C.*

plus val. quod agit. Quod verum eſt, ſi de *voluntate certis quibuſdam ſignis conſtet*; alias verbis aut ſcripturæ ſtandum. *l. cum precibus. C. de probat. l.* 13. *in fin C. de contr. ſtip. text. l. ſi alii.* 19. *ff. de uſufr. leg.* Conſtat de ea vel expreſſe, *l. Titia. & l. ita ſtipulatio. ff. de verb. obl.* puta ex præfationibus, vel præcedenti tractatu: vel *tacitè*; *d. l. ſemper in ſtipulationibus.* 34. ut quia natura contractus, *d l. ſed Celſus.* §. *ſi fundus. l.* 38. §. 18. *l.* 99. *ff. de verb. oblig.* qualitas rei, *l. hac.* mos regionis, *d. l. ſemper in ſtipulationibus.* 34. *l.* 4. *ff. de tritic. vin. leg. & fac. l. item Mela. ff. de alim. leg. l ſi fundus. ff. de evict. l ſi prius.* 17. §. 1. *ff. de aqua pluv. arc.* vel contrahentium conſuetudo, *arg. l. univerſorum. ff. de pignor. act. & l. qui ſemiſſes.* 13. *in fin. ff. de uſur. l ſi ſervus.* 50. *in fin. ff. de legat.* 1. *& l.* 21. §. *ſi quid. ff. qui teſt. fac. l.* 3. *in fin. ff. de teſtib.* ejus quod actum eſt conjecturam inducant.

Cum igitur. b] Quia id quod actum eſt, ex natura contractus colligitur; *d l. ſed Celſus* §. *ſi fundus.* & natura locationis emphyteuſεως eſt, ut & fundus emphyteuticarius, & ad heredem conductoris, & ſucceſſorem ſingularem, niſi aliter expreſsè ſit actum, transferri poſſit; merito hic inquit JCtus, non tantum heres, ſed & legatarius ad emphyteuſin admitti debet. Præcipuè cum in eo nullum ſit locatori præjudicium. Quippe legatarius propria auctoritate poſſeſſionem nequit ingredi, ſed ab ipſo eſt introducendus. *l.* 3. *C. de jur. emphyt.*

LEX

LEX CCXX.

Calliſtratus Lib. II. *Quæſtionum.*

L*Iberorum* a appellatione *nepotes*, & *pronepotes*, *cæterique*, *qui ex his deſcendunt*, continentur. hos enim omnes *ſuorum* appellatione Lex duodecim tabularum comprehendit. Totiens enim leges neceſſarium ducunt in cognatione ſingulorum nominibus uti; veluti. *Filii*, *nepotis*, *pronepotis*, *cæterorumque*, *qui ex his deſcendunt*: quotiens non omnibus, qui poſt eos ſunt, præſtitum voluerint; ſed ſolis his ſuccurrent, quos nominatim enumerent. At ubi non perſonis certis, non quibuſdam gradibus præſtatur, ſed omnibus qui ex eodem genere orti ſunt: *liberorum* appellatione comprehenduntur.

EXPLICATIO.

Liberorum. a] *Liberorum* appellatione *nepotes* & *pronepotes*. *cæterique* ex his deſcendentes, *l. hac.* & *l. cognoſcere.* 56. §. 1. *ſupra hic ubi vide.* continentur. *Primum* quod Lex duodecim

decim tabularum hos omnes appellat liberos; *Deinde*, quod natura nos hanc interpretationem docet: quum videamus pios parentes, liberorum procreandorum animo & voto uxores ducere, ut non filios ſolum, ſed etiam nepotes & deinceps alios concipientes atque edentes, ex prole utriuſque ſexus diuturnitatis memoriam in ævum relinquant. § *fin. hic.* Et indè in communem uſum receptum eſt, quod filiorum appellatione omnes, qui ex nobis deſcendunt, comprehendantur. *l. filii.* 84. *ubi vide. ff. hic. Qua de re infra.* Interim tamen non fruſtra ſingularum cognationum nomina ſunt inventa, ut aliter *filii*, aliter *nepotes*, *pronepotes*, & *cæteri ex his deſcendentes* appellentur. Nam toties his utendum eſt neceſſariò, quoties lex non omnibus deſcendentibus, præſtitum aliquid voluerit, ſed ſolis his qui nominatim enumerantur. At ubi non perſonis certis, ſed omnibus qui ex eodem genere orti ſunt, præſtatur, convenit liberorum appellatione generaliter intelligi nepotes, pronepotes, & cæteros, qui ex his deſcendunt. *hic. & l. cognoſcere.* 56. *§.* 1. *& l. filii.* 84. *ff. hic. & §. ult. Inſt. qui teſt. tut. dare. l. ſed ſi.* 10. *§.* 9. *ff. de in jus voc.*

IDEM §. 1.

SED & Papirius Fronto [a] libro tertio reſponſorum ait, *prædio cum villico & contubernali* [b] *ejus & filiis legato.*

gato. nepotes quoque ex filiis contineri: niſi voluntas teſtatoris aliter habeat. Filii enim appellatione ſæpe & nepotes accipi multifariam placere.

EXPLICATIO.

Sed & Papirius Fronto. a] *Filii* appellatione, ſi de eo alterius reſpectu diſponatur, *nepos* non comprehenditur; niſi dura aliqua ſeparatio induceretur, ut in hoc exemplo, & cum quis *ancillam cum filiis legat.* Non enim veriſimile teſtatorem voluiſſe à patribus ſuis filios ſeparari. *l. uxorem. 41. §. 2. §. concubinæ. 5. ff. de legat. 3.*

Contubernali. b] Hoc eſt ancilla conjuge, *l. pen. C. com. utriuſ. jud.* Non enim propriè conjunx eſt, quam ſervam ſervus in contubernio ſuo habet, ſed contubernalis appellanda. *ut in l. Pamphilo. § propoſitum. d. l. uxorem.* 41. § *codicillis.* § *concubinæ.* unde ex utroque deſcendentes contubernales dicuntur. *d. l.* 41. §. *codicillis.*

IDEM §. 11.

Divus quoque Marcus reſcripſit, non videri *ſine liberis* defunctum, qui *nepotem* ſuum *heredem a* reliquit.

EXPLICATIO.

Heredem. a] Si non moritur ſine liberis, qui relicto nepote moritur, *l.* 1. *C. de condit. inſertis &c. l. jubemus.* 6. *§. ſin autem.* 2. *C. ad SC. Trebell.* (Nam quem ſine liberis dicere non poſſumus, hunc neceſſe eſt dicamus liberos habere. *l. nam quem.* 149. *ſup. hic.*) multò magis ſine liberis non morietur, qui nepotem, eumque heredem relinquit.

IDEM §. III.

PRæter hæc omnia natura nos quoque docet *parentes* pios, qui liberorum procreandorum animo [a] & voto uxores ducunt: *filiorum appellatione omnes qui ex nobis deſcendunt, contineri:* nec enim, dulciore nomine poſſumus nepotes noſtros, quam filii [b], appellare: etenim idcircò filios filiaſve concipimus [c], atque edimus, ut ex prole eorum earumve diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus.

EXPLICATIO.

Liberorum procreandorum animo. a] Fines enim nuptiarum ſunt, liberorum educatio, conſtitutio familiarum, nominis & familiarum conſer-

conſervatio, *l. 9. C. de quæſtion.* generis humani conſervatio, ut ſit veluti quædam immortalitas, *l. 14. C. de legit. heret. Theophil. in princ. Inſt. de jur. nat. gent. & civ.* certitudo prolis, *l. 83. ff. de cond. & demonſt.* ſtupri vitatio. Qui enim explendæ libidinis cauſa ſibi invicem copulantur, non tam conjungi, quam fornicari videntur. *c. pudor. 32. qu. 2.* S. Juſtinus Martyr ait ad Antoninum Pium: Chriſtianos procreandorum tantum liberorum cauſſa uxores ducere; cum cæteri voluptatis ſtudio ſibi adſciſcant. Lucretius *lib. 4.*

——— Unde puellos
Suſcipere, & partu poſſent ditefcere dulci.

Seneca *de conſolat. ad Martiam. cap. 10.* inquit: *Omnes ergò noſtros, & quos ſuperſtites Lege naſcendi optamus, & quos præcedere juſtiſſimum eorum votum eſt: ſic amare debemus, tanquam nihil nobis de perpetuitate, imò nihil de diuturnitate eorum promiſſum ſit.*

Quam filii. b] Hinc patet *filii* appellatione nepotem non propriè, ſed ex interpretatione, quum ex ſimilitudine rationis fit extenſio, comprehendi. Quare, *ut rectè Alciat. lib. paradox. 3. cap. 14. filii* vox, ſi de legis diſpoſitione loquimur, ad *nepotes,* non tantum in favorabilibus, ſed & odioſis, *l. filius. ff. ad SC. Maced. l. Senatus. ff. de ritu nupt. l. 2. § ſi mater. ff. ad SC. Tertyll.* producitur. Niſi ratio diverſa, diverſum exigat jus. Exempli gratia Miles à tutela, præterquam filii commilitonis excuſationem habet. *l. ſed & milites. 8. in princ. ff de*

excuſat. tut. Quid ſi ſit nepos? Certè in eo eſt diverſa ratio: quia avus, non pater, militavit. At in diſpoſitione hominis, (ut eſt tutelæ datio. *l. quod ſi nepotes. ff. §. fin. Inſt. qui teſt. tut. dar.*) dictio filiorum ad nepotes non porrogatur; quoniam in ejuſmodi materia regulariter nulla fit extenſio: niſi proferentem de nepote quoque ſenſiſſe, ex conjecturis conjiciamus. Ut cum alioquin dura ſeparatio induceretur, *ut in § 1. præced. & l. uxorem.* 41. § 2. & § *concubinæ ff. de legat.* 3. vel extranei ſuis præponerentur, *l Lucius ff. de hæred. inſtit.* vel uſus teſtatoris hoc ſuaderet, *l. alimenta. ff. de aliment. legat.* vel aliàs actus effectum non ſortiretur: & ſi quæ aliæ conjecturæ ſunt ſimiles. Idem ſi natura contractus hoc exigat; ut cum vaſallus feudum pro ſe & filiis accipit; *Bald. in c. quæ in eccleſiarum. in pen. col. verſ. ſed pone. de conſtit. Iaſ. in l 2 col. 65 in 6. qu. C. de jur. emphyt. Alex. conſ. 17. ponderatis in prim. dubit. in 5. lib. Iaſ. in l Gallus. §. inſtituens. ff. de lib. & poſth.* Ratio differentiæ eſt. *inquit Mynſing. ad § fin. Inſt. qui teſt tut. dare.* Quia facilius legis verba extenduntur, quam hominum, cum hæc non producantur, niſi ex mentis conjectura: ſed Lex voluntatem ſemper exploratam habet.

Idcircò filios filiasve concipimus. c] Quinctilianus declam. 254. *Et ut virgo pertineat ad patrem, tamen nupta pertinet ad maritum. Poſt illum, quo ſpes liberorum inchoata eſt, quo in nepotes uſque cogitationem inſiſti, quid* aliud

potes

potes exigere à filia tua, quam quod placuit, *ei, cui collata* eſt. *Vide Novel.* 22. Lactantius *lib.* 1. *de opificio Dei cap.* 12. eleganter. *Mirabile inſtitutum eſſe: quod ad conſervationem generum ſingulorum, duos ſexus maris & fœminæ machinatus eſt: quibus inter ſe per voluptatis illecebras copulatis ſucceſſiva ſoboles pareretur: nè omne genus viventium conditio mortalitatis extingueret.* Panegiricus Maximiano & Conſtantino Auguſtis. *Maximas itaque vobis, Æterni Principes, publico nomine gratias agimus; quod ſuſcipiendis liberis, optandiſque nepotibus, ſeriem veſtri generis propagando, omnibus in futurum ſeculis providetis: Vt Romana res olim diverſis Regentium moribus fatiſque jactata, tandem perpetuis domus veſtræ radicibus coaleſcat; tamque ſit immortale illius imperium, quam ſempiterna ſoboles Imperatorum.*

LEX CCXXI.

Paulus Lib. X. *Reſponſorum.*

PAulus reſpondit, *falſum tutorem* a eum verè dici, qui tutor non eſt, ſive habenti tutor datus eſt, ſive non. ſicut falſum teſtamentum, quod *teſtamentum non eſt* b. & *modius iniquus*, qui modius non eſt c.

EX-

EXPLICATIO.

Falſum tutorem. a] Ob id quod falſo tutore autore geſtum eſt, in integrum reſtitutionem dat Prætor. *l.* 1. *ff quod falſo tut. auct. geſt. Falſus tutor* eſt qui verè tutor non eſt datus, *hic.* & *d. l.* 1. §. 1. vel qui datus eſt, ſed perperam, & inutiliter, tutorem ſcilicet habenti: *l. hac.* vel contra juris prohibitionem, *poſitam in §. interdum. Inſt. de curat.* videlicet. quando non fuerit datus à teſtatore, aut à lege, nec à judice, ſed ab illo qui dare non poterat; quando habenti tutorem; *ut patet in Tit. Cod. in quib. caſ. tut. hab. tut. dari.* vel ſi datus fuerit in minus ſolemni voluntate, quo ad effectum. *l.* 2. *C. de confir. tut. vid. l. naturali.* § 1. *ff. eod.* Hinc patet tutorem inutiliter datum propriè tutorem non dici. *l.* 3. § 1. *ff. de teſtam. tut.*

Teſtamentum non eſt. b] Propriè puta, abuſivè enim teſtamentum dicitur. *l.* 2. § 1. *ff quemadmod teſtam. aper.*

Modius non eſt. c] *Modius iniquus*, id eſt, falſus, (ut Accurſius *hic* interpretatur) non eſt modius. Quod de ſtatera modio proxima Galenus. *lib.* περὶ εὐεξίας; *id eſt, de bona habitudine*, tradit. *Statera* inquit, *falſa, ſive injuſta, non eſt ſimpliciter ſtatera, ſed ſtatera falſa.* Theodoricus Rex Edict. *cap.* 149. julte ſic. *Si quis Exactorum vel Suſceptorum majorem menſuram, vel majus pondus adhibuerit, dum fiſcales traduntur ſpecies; quam publica ordinationis moderatio antiquitus proviſa conſtituit: ad*

ad judicem continuò cum ipſis menſuris & ponderibus deducantur. Vt ſi fuerit de eorum iniquitate convictus, inde quadruplum pro utilitate illius, quem gravavit, male ſuſceptarum ſpecierum damna ſuſtineat. Quod etiam circa negotiatores obſervari debere cenſemus in commerciis; ſi iniuſta pondera vel menſuras adhibuiſſe fuerint adprobati. Aſſervabantur Modii æneI & lapidei per manſiones, ſingulasque Civitates collocabantur. *l. modios. 9. Cod. de tabular.*

LEX CCXXII.

Hermogenianus Lib. II. *Juris Epitomarum.*

PEcuniæ *a* nomine non ſolum *numerata pecunia:* ſed *omnes res* tam *ſoli,* quam *mobiles,* & tam *corpora,* quam *jura* continentur.

EXPLICATIO.

Pecuniæ. a] *Pecuniæ* verbum ſimpliciter prolatum, non tantum *rem mobilem* & *quantitatem* ſignificare, verum etiam *immobilem*, neque ſolum *ſpecies* & *corpora*, ſed etiam *jura* & *univerſitatem*, ſupra *l. pecuniæ.* 178 *ff. hic.* diximus. Nam & *hereditatem*, *l. ſæpe.* 52. *ff. hic.* & res in hereditate exiſtentes, *l. cum ſtipulamur.* 97. *ff. hic.* & *jura* tam obligationum & actio-

actionum, quam ſervitutum, interdictorum, & ſimilium, comprehendit. *l. hac. & l. 1. §. fin. l. ſeq. ff. de calumniat. l. ſingularia. ff. de reb. cred. l. 1. in princ. & § debitum. l. hactenus.* 11. *l.* 14. *§.* 1. *l. qui injuriarum.* 29 *ff. de conſt. pec. l.* 2. *C. eod. l.* 20. *§* 1. *ff. de ſerv. ſtip.* Cicero *Act.* 3. *in Verrem*, pecuniam pro hæreditate poſuit; ac pro omnibus his rebus, quæ in hereditate eſſent, tum mobilibus, tum immobilibus. Demoſthenes περὶ τὴν λακρι. pro mercibus ἀνταγοράζειν πάλιν χρήματα.

LEX CCXXIII.

Paulus Lib. II. *Sententiarum.*

L*Ata culpa* finis *a* eſt, non intelligere id, quod omnes intelligunt *b*.

EXPLICATIO.

Finis. a] Vult, hic ut & ſupra *l. cedere.* 113. *§. fin.* JCtus quantamcunque *latam culpam* latius aut longius extendi non poſſe, quam ad eum uſque negligentiæ & ignorantiæ gradum, ut quis non intelligat id quod omnes intelligunt. Ex quo patet nullam eſſe, quam nonnulli Interpretes comminiſcuntur, latiſſimam culpam. Cætera quæ hic pertinent vide infra. *l. magna.* 216.

Omnes intelligunt. b] Aut certè intelligere debent: ut Leges, mores, inſtituta Civitatis: quodque in communi hominum conſuetudine

ſuetudine verſatur, non ignorare. Baſilius *ad Amphilochum in epiſt.* Mulier quæ in via peperit, nec ſui fœtus curam geſſit, tenetur cædis crimine. Balſamon: *Debet*, inquit, *puniri propter magnam negligentiam, qua dolo comparatur: quæque à ICtis lata culpa nominatur.*

IDEM §. 1.

AMicos a appellare debemus, non levi notitia conjunctos; ſed quibus fuerint Jura cum patrefamilias b, honeſtis familiaritatis quæſita rationibus.

EXPLICATIO.

Amicos. a] *Amicos* non dicimus *levi* notitia *conjunctos*, nec benevolos, (alii ſunt *benevoli*, alii *amici*;) ſed eos quibus cum juſtæ, honeſtæ & magnæ neceſſitudinis cauſæ interceſſerunt. Eleganter JCtus *non levi notitia conjunctos*: Seneca *lib. 1. epiſtol. 3. ſic: Si aliquem amicum exiſtimas, cui non tantundem credis, quantum tibi, vehementer erras: & non ſatis noſti vim veræ amicitiæ. Errat & ille, qui amicum in atrio quærit, in convivio probat. Præpoſterè officia permiſcent, qui cum amaverint, judicant; & non amant cum judicaverint.*

Cum patrefamilias. b] Id eſt, cum *tutore*, vel etiam cum *patre pupilli.* (Lex enim hæc, cum Paulus *lib. 2. ſententiarum* de tutelis tractaverit,

ctaverit, ad tutelarum tractatum referenda.) Nam & præſentibus cognatis, propinquis & amicis paternis ſolet prætor pupillo alimenta decernere, & ubi ſit alendus ſtatuere. Solent & amici parentum pupillis tutorem petere, & tutorem ſuſpectum facere. *l. 2. ff. qui pet. tut. l. is qui. ff. de negot. geſt. Cujac. 7. obſ.* 8.

LEX CCXXIV.

Venulejus Lib. VII. *Stipulationum.*

V*Inculorum* a appellatione, vel *privata*, vel *publica vincula* ſignificant. *cuſtodiæ* verò, tantum *publicam cuſtodiam.*

EXPLICATIO.

Vinculorum. a] *Vinculorum* appellatione vel *publica* vel *privata vincula* ſignificantur. Et ideò Edicto Prætoris de in integrum reſtitutione majorum verba hæc: *Sive in vinculis eſſet*, non ad eum tantum pertinent, qui *publicâ cuſtodiâ* coercetur, ſed ad eum quoque, qui à latronibus, aut prædonibus, vel potentioribus vi oppreſſus vinculis teneatur: Sed incluſi latumiis vinctorum numero habentur; quatenus nihil intereſt: parietibus quis, an compedibus teneatur. *In vinculis* quoque eſſe accipimus eos, qui ita alligati ſunt, ut in publico parere ſine dedecore non poſſint. *l. 3. & 10. ff. ex quib. cauſ.*

cauſ. major. *Cuſtodiæ* autem appellatione ſola publica intelligitur. *l. hac. & d. l. 9. & l. 3. §. lege Iulia. ff. de teſtib.* Ratio differentiæ. Quia facilius cuſtodiam privatam evadere, quam vincula diſſolvere. Fortius enim & ſtrictius, præmunt *vincula*, quam *cuſtodia*, niſi cum *cuſtodia publica* eſt. Hanc enim violare non licet impunè nec ſi de facto violandi facultas præbeatur. *ut notat. Accurſ. ad l. 9. ex l ſi captivus, 20. in fin. ff. de capt. & poſtl. rev. junge. l. pen. ff. de cuſtod. & exhib. reor.* Denique quod cuſtodiæ privatæ prohibitæ ſint: tanquam quæ Principis quoque majeſtatem lædant. *l. 1. in fin. C. de privat. carcer. inhib.* At *privata* vincula ſoli ei qui *vinculis* coercetur, non Principi, injuriam faciunt.

LEX CCXXV.

Tryphoninus Lib. I. *Diſputationum.*

FUgitivus [a] eſt, non is qui ſolum conſilium fugiendi à domino ſuſcepit, licet id ſe facturum jactaverit: ſed qui *ipſo facto fugæ initium* mente deduxerit. nam & furem, adulterum, aleatorem, quanquam aliqua ſignificatione ex animi propoſitione cujuſque ſola quis dicere poſſet: ut etiam is, qui nunquam alienam rem invito domino

domino ſubtraxerit, nunquam alienam matremfamilias corruperit, ſi modò ejus mentis ſit, ut occaſione data id commiſſurus ſit: tamen oportere eadem hæc crimina aſſumpto actu intelligi, & ideò *fugitivum* quoque & *erronem b* non ſecundum propoſitionem ſolam, ſed cum *aliquo actu* intelligi conſtat.

EXPLICATIO.

Fugitivus. a] *Fugitivus* quis ſit definit Ofilius: *Fugitivus* eſt, qui extra domini domum fugæ cauſa, quo ſe à dominio celaret, manſit. Caſſius ſcribit *fugitivum* eſſe, qui certo propoſito dominum relinquit. Item apud Vivianum relatum eſt, *fugitivum* ferè ab effectu animi intelligendum eſſe, non utique à fuga. *l. quis ſit* 17. *in princ. &* §. 1. 2. 3. *ff. de Ædil. Edict.* Quod ſic accipiendum eſt, ut tamen ſolo propoſito & conſilio fugiendi à Domino, ſervus fugitivus non fiat, niſi in ipſum factum fugæ vitium mentis deduxerit. *l. hac.* Non tamen omnis fuga fugitivum facit, ſed quæ fugiendi animo fit. Hinc qui hoſtem, latronem, incendium, ruinamve fugit, quamvis fugiſſe verum ſit, non tamen fugitivus eſt. *d. l. quis ſit.* 17. §. 13. Item nec is qui à præceptore cui in diſciplinam traditus erat, aufugit ideò, quia immo-

immoderatè eo utebatur. *d. l. quis ſit.* 17. *§.* 3. *verſ. item.* Nec qui ad aſylum, aut ſtatuam Principis, confugit. *d. l. quis ſit.* 17. *§. apud Labeonem.* 12. Præclare Cato in oratione pro Rhodienſib. ad Senatum, delictorum non perpetratorum voluntates cenſuit non puniendas. *Ecquis*, inquit, *eſt tandem noſtrorum, qui quod ad ſe attineat, æquum cenſeat, quenquam pœnas dare ob eam rem, quod arguatur male facere voluiſſe? Nemo, opinor; Nam ego, quod ad me attinet, nolim. Quid nunc, Ecqua tandem Lex eſt tam acerba, quæ dicat: Si quis illud facere voluerit, mille nummis dimidium familiæ multa eſto. Si quis plus quingenta jugera habere voluerit, tanta pœna eſto. Sicque &c. Atqui nos omnes plures habere volumus, & id nobis impune* eſt. Hæc ille *cap.* 3. Accipiendum hoc: ſi nuda delinquendi voluntas finibus cogitationis contenta, nullum facinoris ediderit argumentum, nullum aperuerit conatus initium.

Erronem. b] *Erro* eſt, qui non equidem fugit, ſed frequenter ſine cauſa vagatur & temporibus in res nugatorias conſumptis, ſerius ad dominum redit. *d. l. quis.* 17. *§. erronem.* 14. Hunc etiam non ſecundum propoſitionem mentis ſolam, ſed cum aliquo facto intelligi decet. *l. hac.* P. Nigidius errones etiam ſtellas, quas alii erraticas, appellat. *teſte Gellio. lib.* 3. *Noct. Attic. cap.* 10.

LEX CCXXVI.

Paulus Lib. I. *Manualium.*

M*Agna negligentia* a, culpa eſt. magna culpa, dolus eſt.

EXPLICATIO.

Magna negligentia. a] *Culpa* vel conſideratur in *genere*, & omne delictum, & quodcunque actum illicitum includit: *l ſi ſervum.* 91. § 1. *ff. de verb. obl.* vel in *ſpecie*, ut à dolo vero ſeparata eſt. Quàm Corraſ. *lib* 3. *Miſcell. cap.*1. definit, ut ſit imprudentia quâ homines circa res alienas vel negligunt, quod fieri oportet, vel faciunt, quod omitti debet. Quantò autem culpa dolo & nequitiei proximior eſt, eò latior & gravior eſt: & rurſus eò levior eſt, quò remotior eſt non ſolum à ſcelere, verum etiam ſceleris ſuſpicione. *Connan. lib.* 7. *comment. Iur. Civ. cap.* 4 *f. l* 3. §. 1. *fac. l. homo liber.* 54. §. *ſed damnum. ff. de acq. rer. dom. l. militis. ibi*, *pro modo culpæ. ff. de cuſtod. reor.* Eſt *culpa latior* ſeu *lata deſidia* & *negligentia*, tam reprehenſibilis, & injuſta, ut ſecundum communem ſenſum non poſſit excuſari; Ut ſi quis faciendo, aut prætermittendo non intelligat quod omnes intelligunt; *l. cedere diem.* 213. §. *fin.* & *l. lata culpa* 223. *ff. hic.* Aut ſi quis ad eum modum non curat res alienas, quam natura hominum deſiderat. *l quod. Nerva.* 23. *ff. depoſ.*

depoſ. Hinc magna negligentia, *l. hac.* quæ & gravior, *d. l. homo liber.* 54. §. 2. lata, *l.* 7. §. *competit. ff. de adm. tut. ad civ. pert.* diſſoluta, *l.* 29. *in princ ff. mand.* manifeſta, *l.* 2. *C. arbit. tut.* dicitur, dolo æquiparatur, *l.* 1. *ff. ſi menſ. falſ. mod. l. quaſitum.* § *eum. ff. de precar. l.* 1. §. *non alias ff. ſi is qui teſt.* (puta in civilibus, non criminalibus, *l.* 7. *ff. ad l. Corn. de ſicar.* Ratio eſt, *in l. interpretatione. ff. de pœn.*) imò dolus eſt. *l. hac. & d. l. quod Nerva.* 32. puta non revera & ſua eſſentia; (Dolus enim à lata culpa diſtinguitur; *l. quicquid. C. arb. tut. l.* 22. § *ſed enim. ff. ad SC. Treb. l.* 2. *C. de in lit. cur.*) ſed effectu & juris interpretatione. *Connan. d. lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 7. *Levior* ſeu *levis culpa*, eſt incurioſitas vel negligentia, quam alii plerunque homines in rebus ſuis evitare ſolent. Id enim peccatur duntaxat levi culpa, quod non tam diligens fuit, ſicut alius quiſpiam circumſpectior fuiſſet. *l. ſi cum venderet. in fin. & l. ſeq. ff. de pignor. act. l. ſi putator. ff. ad leg. Aquil. Levis* dicitur, non quod aliquando non magnum damnum adferat, ſed quod nulla plane conjectura animus mali conſcius colligi poteſt; ſed ſola ſimplicitas. Quæ eſt, omnis animi ſegnities, vel ruſticitas, vel inertia. *l* 3. §. *fin. ff. de ſuſp. tut.* Hinc culpæ cum ſimpliciter in lege fit mentio levis intelligitur: quæ à dolo diſtinguitur, *l.* 3. §. 1. *verſ. niſi forte. ff. naut. caup. ſtab. l. ſi ut certo.* §. *nunc videndum. ff. commod. l. in venditione.* §. *pen. ff. de reb. aut. jud. poſſ. l.* 26. § *fin. ff. de noxal. l.* 21.

§. *culpam.*

§. *culpam. ff. de Ædil Edict.* Leviſſima culpa eſt, quam non niſi ſagaciſſimus & diligentiſſimus præcavere poteſt *l.* 1. *§. & ille. verſ.* 15. *v.* 20. *ff. de Obl. & Act. l ſi merces §. pen ff. locati.* Ea ſæpius intelligitur, quando vel diligentiæ verbum, in lege, *l cum res.* 47. *§. culpa. ff. de legat.* 1. §. *igitur. verſ. quo caſu. Inſt. de oblig. quæ ex quaſi contr.* vel cuſtodiæ verbum in legis diſpoſitione apponitur. *l. ſi gratuitam.* § *ſi cum mihi. ff. de præſcr. verb.*

LEX CCXXVII.

Idem Lib. II. *Manualium.*

EX illa *a* parte Edicti, *Tum quem ei heredem eſſe oportet*, heredis heredibus bonorum poſſeſſio non defertur.

EXPLICATIO.

Ex illa. a] Licet *heredis* appellatio non ſolum ad proximum, ſed & ulteriores, ut heredis heredes referatur; *l. heredis.* 65. *& l. ſciendum.* 70. *ff. hic.* tamen certis caſibus, ultra proximum non extenditur. Nonnullos ſupra *ad d. l.* attulimus, hic cum JCto duos addimus; *unum in princ. legis*; *alterum in §. ſeq.* In principio refert, Edicti, quo unde legitimi ad bonorum poſſeſſionem vocantur, verba: quæ ſunt *Tum quem ei heredem eſſe oportet*, adde, *ſi in-*

ſi inteſtatus mortuus eſſet, bonorum poſſeſſorem faciam. l. 1. & l. 4. ff. unde legit. Quibus legitimi tantum ſignificantur heredes, id eſt, ab inteſtato. *l. 2. § 1. § fin. ff. eod.* ſed tamen qui proximi ſunt licet verbum proximus Edicto non ſit inſertum. *§ 2. & 3. Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.* Non mirum ergò heredis heredem ad bonorum poſſeſſionem à Prætore non admitti; cum non æquè proximo, aut nullo penitus gradu, eum qui inteſtatus mortuus eſt attingat.

IDEM §. 1.

ITEM in ſubſtitutione *a* his verbis, *Quiſquis mihi heres erit*, proximus heres tantum ſignificatur. Imò non tantum proximus heres, ſed etiam ſcriptus.

EXPLICATIO.

In ſubſtitutione. a] Refert hic JCtus alterum caſum, & dicit In ſubſtitutione, *Quiſquis mihi heres erit, Titio filio meo, ſi pupillus moriatur, heres eſto.* proximum heredem intelligi. Ratio. Quia ſubſtitutionis pupillaris ſpes ad heredem, non tranſmittitur. *l. ſed ſi plures. ff. de vulg. & pup. ſubſt.* Cætera quæ hic pertinent vide ſupra. *l. ſciendum. 70.*

LEX CCXXVIII.

Idem Lib. Singulari de Cognitionibus.

M*Unicipes* [a] intelligendi ſunt, & qui in eodem municipio nati ſunt.

EXPLICATIO.

Municipes. a] *Municipes* (inquit Gellius *lib.* 16. *Noct. Attic. cap.* 13.) erant cives Romani, ex *municipiis*, (id eſt, civitatibus à populo Romano in ſocietatem ſuorum munerum ac honorum receptis.) ſuo jure & legibus ſuis utentes, muneris tantum cum Populo Romano honorarii participes, à quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus, neque ulla Populi Romani lege adſtricti, cum nunquam Populi Rom. eorum fundus factus fuiſſet: poſtea abuſive ſuæ cujuſque civitatis cives *municipes* dicti ſunt. *l.* 1. *§.* 1. *ff. ad munic.* ab eo quod munera civilia capiant. *l.* 18. *ff. hic. Municipes* autem, Aut *nativitas* facit, *l.* 1. *in princ. ff. ad munic. l. hac.* hoc eſt, *origo*; *d. l* 1. *in princ. & l. fin. ff. ad munic.* filius enim juſtus ſequitur originem patris, *d. l.* 1. *§.* 2. ſpurius matris; *d. l.* 1. *§. fin. l.* 9. *ff. eod.* Aut *manumiſſio*; libertus enim originem patroni ſequitur: *l.* 6. *§. fin. l.* 22. *cum ll. ſeq ff. eod.* Aut *adoptio*; ſequitur enim adoptatus originem adoptan-

optantis: *l.* 15. § *fin. l.* 17. § 9. *ff eod.* Aut *adlectio*; ut cum municipium aliquem eligit; *l. cives. C. de incol.* & civitate donat. *vid. Method. noſtr. Enarrat. ad Cod. tit. de municip. & origin. lib.* 10. *tit.* 38.

LEX CCXXIX.

Idem Lib. Singulari de Tacitis Fideicommiſſis.

T*Ranſacta a finitave* intelligere debemus, non ſolum quibus controverſia fuit, ſed etiam quæ ſine controverſia ſunt poſſeſſa.

EXPLICATIO.

Tranſacta. a] *Tranſactio*, à tranſigendo, hoc eſt, finem imponendo, dicta, duplicem habet ſignificationem: Unam *propriam*, quum aliquo dato vel recepto, timore præſentis, vel futuri judicii, in re dubia conventum deciſumque eſt. *l.* 1. *ff. de tranſact.* Alteram *generalem*; ut accipiatur pro quocunque actu, quo concordia inducitur, vel ab obligatione receditur, *l.* 1. *ff. de pact.* vel ad finem aliquid deducitur. Undè *tranſagere æſtatem* Plinius dixit. Hinc in Senatuſconſulto Tertylliano, quo *Quæ tranſacta, finitave ſunt, rata maneant*, cautum, tranſacta finitaque intelligimus, non ſolum de quibus controverſia fuit; & bona fide ut

tranſactio valeat, *l.* 19. *C. de tranſact.* tranſacta, ſed etiam quæ ſine controverſia ſunt poſſeſſa; *l. hac.* vel conſenſu, vel longo ſilentio ſopita. *l.* 1. § *fin. ff. ad SC. Tertyll* Hæc ne procedatur ulterius, ſi opponantur, cum ſint exceptiones litis finitæ, litis conteſtationem impediunt. *c.* 1. *de lit. cont. in* 6.

LEX CCXXX.

Idem Lib. Singulari ad Senatus-Conſultum Orfitianum.

UT ſunt [a] *judicio terminata* [b], *tranſactione compoſita, longioris temporis ſilentio finita.*

EXPLICATIO.

Vt ſunt. a] Narrat hic JCtus tres *exceptiones peremptorias*, quæ actionem ſublatam eſſe oſtendunt, undè (cum aliàs *peremptoriæ exceptiones* poſt litem conteſtatam ſint opponendæ, & agentis intentione probatâ, probandæ. *l.* 9. *C. de except. c. venerabilis. eod.*) & ante litem conteſtatam, *Iaſ. num.* 15. 16. *poſt. Caſtr. in l. nam poſtea.* 9. *ff. de jurejur. Bald. in l.* 4. *circa fin. C. de pact.* ad impediendum litis ingreſſum, *Iaſ. poſt Bart. in d. l. nam poſtea. num.* 16. 17. *Bart. in l. cum quærebatur. ff. jud. ſolv.* opponi & in continenti probari poſſunt. *Bart. in l. fin. num.* 3. *ff. pro ſuo. Bald. & Dd. in l. Edicto. C. de Edict. D. Hadr. toll.*

Iudicio

Iudicio terminata. b] Res judicata pro veritate cum habeatur, *l. ingenuum.* 25. *de ſtatu homin l. res judicata.* 207. *de reg. jur.* ſingulis controverſiis ſingula ſufficiunt judicia: nec res judicata iterum eſt repetenda: Cum controverſia judicis pronuntiatione finem acceperit. *l.* 1. *l. poſt rem.* 56. *de re judic.* Adeò ut iniquæ etiam vel ambitioſæ ſententiæ ſtari oporteat. *l. ſervo.* 66. *§. cum Prætor. ad SC. Trebell. l. ſi fidejuſſor.* 29. *§. in omnibus. Mandati.* Oppreſſo patet appellationis via. *l.* 1. *de appellat. Novell* 82. Quam ſi ingredi nolit, judicato aſſentiri, ſicuti, ſi appellaret, diſſentire videbitur. *Symmachus lib.* 1. *epiſt.* 32 Rectè hæc tria, *judicio, tranſactione, tempore finita*, utpote in quibus eadem verſetur ratio, conjunguntur. *l.* 2. *Cod. de reb. alien. non alienand. l. un. in fin. Cod. de contr. jud. Paul. lib.* 5. *ſent. tit.* 5.

LEX CCXXXI.

Idem Lib. Singulari ad Senatus Conſultum Tertyllianum.

QUod dicimus eum qui naſci ſperatur *a*, pro *ſuperſtite* eſſe: tunc verum eſt, cum de ipſius jure quæritur: aliis autem non prodeſt, niſi natus.

EXPLICATIO.

Qui naſci ſperatur. a] Eum qui *in utero* eſt, pro nato haberi: ſi quidem de ipſius commodo quæratur, ſupra *l. intelligendus.* 153. diximus. *ubi vide.* Hic addimus eum *aliis non prodeſſe.* Imò nec patri, ad jus trium liberorum conſequendum. *l* 2. *ff. de excuſ. tut.* nec matri. Quia perſonalia privilegia ad alios non porriguntur. *l. quia tale.* 13. *ff. ſolut. matr. l. ex pluribus.* 42. *ff. de admin. tutor.* Mulier tamen prægnans, cum ſpes in lucem proditui hominis non ſit extinguenda, neque torqueri, neque ſummo ſupplicio puniri poteſt. *l. prægnantibus. ff. de pœnis. l. Imperator. ff. de ſtatu. hom.* Quintilianus *in Declam.* 277. *Supplicia,* inquit, *prægnantium lex differri in diem partus jubet.*

LEX CXXXII.

Cajus Lib. I. *de Verborum Obligationibus.*

HÆC enuntiatio *a*, *Quæ ſunt pluris aureorum triginta*; ſimul & quantitatis & æſtimationis ſignificativa eſt.

EXPLICATIO.

Hæc enuntiatio. a] Quoties itaque dicimus *patrimonium Titii pluris eſt aureorum triginta*;

non

non ſolum quantitatem triginta aureorum, ſed & æſtimationem ſpecierum quæ ſunt in patrimonio Titii ſignificamus. *l. hac. l. tantum.* 88. *ff. hic.* Quid ſit aureus vide ſupra. *l. etiam aureos.* 159. *ff. hic.*

LEX CCXXXIII.

Idem Lib. I. *ad Legem XII. Tabularum.*

SI *calvitur* [a] *& moretur, & fruſtretur* [b]. Indè & calumniatores [c] appellati ſunt, quia per fraudem & fruſtrationem alios vexarent litibus. Inde & cavillatio dicta eſt.

EXPLICATIO.

Si calvitur. a] Eſt hæc lex, *ut ex ſententia Ranconneti refert Govean. ad l. hanc.* ita emendanda: *Cajus ad leg. XII. Tabul. ſi calvitur, moratur, & fruſtratur:* ut poſterioribus iis duobus verbis moratur & fruſtratur, interpretetur Cajus verbum illud XII. Tabul. *calvitur.* poſt quod punctum interponendum, quo ab interpretamento ſeparetur. Certe *calvar* verbum antiquum eſt. Significat *fruſtrari.* Tractum à calvis mimis, ſive (ut alia habent exemplaria) militibus, quod ſint omnibus fruſtratui. Plautus *in Caſina*; *Nam ubi domi ſola ſum, ſopor manus calvitur.* Pacuvius *Sentio pater te vocis*

calvi ſimilitudine; ſed quid conſpicio? num me jactans calvitur ætas. Hæc Nonius *de propriet. ſermon. cap.* 1.

Fruſtretur. b] Hoc verbo & *mora* ſignificatur. Sic Ulpianus; cum dixiſſet, non omne quod differendi cauſſa optima ratione fiat, moræ annumerandum, Paulus ſubjungit. *Si modò id ipſum non fruſtrandi cauſa ſimuletur. l. ſciendum.* 12. *cum l. ſeq. de uſur.* Qui fruſtrationis cauſa beneficium Legis Falcidiæ imploravit *in l. Divi.* 89. *ad Leg. Falcid. Fruſtratur cauſam agere:* id eſt, judicii extrahendi proferendique cauſſa moras nectit. *l. ejus.* 14. *de appellat.* qui conventi fruſtrantur; *l. ſed & ad eos.* 24. *Quib. ex cauſ. major.* Fruſtrandæ actionis cauſſa latitare. *l.* 3. *de Iudic. Cicero pro Quinctio.* Apulejus *lib.* 3. *Floridor. de Euathli & Protagora diſſertatione:* ſic. *Contentus ſcire, quod concupierat, cœpit nolle quod pepigerat: ſed callide nectendis moris fruſtrarique Magiſtrum, diutuleque nec aſſerere velle, nec reddere: uſque dum Protagoras eum ad judicem provocatum; &c.* Diſſertationis ejus meminit & Aulus Gellius *Noct. Atticar. lib.* 5. *cap.* 10. *Forner. hic.*

Calumniatores. c] *Calumniator*, ergò eſt, qui per fraudem & fruſtrationem alios vexat, litibus præſertim; qui & calumnioſus. *l.* 3. *ff. ad SC. Turpyll. Calumniator* etiam eſt, qui non debitum petit. *l. pen. ff. ne quis eum qui in jus voc.* & qui temerè alicui controverſiam movet. *l. cui neceſſitas.* 39. §. 1. *ff. de liber. cauſ.* & qui

falſa

falſa crimina intendit. *l.* 1. §. *calumniari. ff. ad SC. Turpyll.*

IDEM §. 1.

POST *Kalendas Januarias* die tertio pro ſalute Principis *vota* a ſuſcipiuntur.

EXPLICATIO.

Vota. a] *Votum* eſt alicujus faciendi, vel non faciendi, verſus Deum deliberata & juſta promiſſio. Cicero votum dicit *ſponſionem qua Deo obligamur.* Solebant veteres quam plurima pro *Principe* nuncupare; ut *anniverſaria*, ob diem Imperii, cum videlicet ad Imperium Princeps ſumtus, vel cum natus eſſet. *l.* 7. *in fin. C. de feriis*, *adde Plin.* 10. *Epiſt.* 9. 44. 45. 60. 61. Erant & alia pro ſalute Principis; *Plin.* 10. *epiſt.* 1. *Sueton. in Auguſt. c.* 87. pro abitu, reditu, *Sueton. in Tiber. cap.* 38. Erant & *quinquennalia*, *decennalia*, *vicennalia*, & *tricennalia. vid. Dion. Marcellin.* Concipiebantur à Sacerdotibus & Conſulibus, in Provincia à Præſidibus, *Plin.* 10. *epiſt.* ineuntè anno; *hic. l un. C. de oblat. vot. lib.* 12. *Tacit. lib.* 16. Ineunte enim anno nuncupabantur *Vota* pro ſalute Principis, & offerebatur libra auri, in ſeptuaginta duobus ſolidis obryziacis, ſivè obryzatis, id eſt, ex auro puriſſimo conflatis. *l. un. Cod. de oblat. votor. ubi vid. Codic. noſtr.* Obryzum putat,

tat, dicit Hermolaus Barbarus, quaſi *ἀϐρύζον*, id eſt, ſincerum ac merum. Alii ab *Ophir*, (inſula) quaſi *Ophiriſum* dictum credunt: quod ex *Ophir* præſtantiſſimum aurum ſoleat advehi. Conjectura.

IDEM §. 11.

TElum *a* vulgò quidem id appellatur, quod ab *arcu* mittitur: ſed nunc omne ſignificatur, quod mittitur *manu*. Ita ſequitur, ut & *lapis*, & *lignum*, & *ferrum*, hoc nomine contineatur. Dictumque ab eo quod in longinquum mittitur, Græca voce figuratum ἀπὸ τοῦ τηλοῦ, [id eſt, *ab eo, quod eſt longe.*] Et hanc ſignificationem invenire poſſumus & in Græco nomine: nam quod nos *telum* appellamus illi βέλος appellant, eoque nomine vulgò quidem id ſignificatur, quod ab arcu mittitur: ſed non minus omne ſignificatur, quod [cum] mittitur *manu*, ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι· [*id eſt, à jaciendo.*] Admonet nos Xenophon: nam ita ſcribit: Καὶ τὰ βέλη ὁμόσε ἐφέρετο, λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δὲ καὶ λίθοι. [*id eſt, Et tela, ſimul ferebantur, haſtæ, ſagittæ,*

tæ, fundæ, plurimi item lapides.] Et id, quod ab *arcu* mittitur, apud Græcos quidem proprio nomine τόξευμα; [*id eſt, ſagitta*] vocatur: apud nos autem communi nomine *telum* appellatur.

EXPLICATIO.

Telum. a] Quia lege Cornelia de ſicariis tenetur non tantum qui hominem occidit, ſed & qui hominis necandi, aut furtum faciendi, aut poſſeſſionis invadendæ cauſâ, cum *telo* ambulavit, familiam armavit; *l.* 1. *in princ. l.* 3. §. *item in ff. l.* 7. *C. ad leg. Corn. de ſicar.* neceſſe ut ſciamus quid *teli* appellatione veniat. Quod hac lege, quæ ſatis clara, explicatur. Et dicit *Telum* appellari omne quod jaci poteſt: quo nomine *lapis*, *lignum*, *plumbum*, *ferrum* continetur. Dictum ab eo quod in longitudinem mittatur: nam apud Græcos τῆλε, ſive τηλοῦ longe ſignificat. Feſtus *lib.* 1. *Tela propriè dici videntur ea quæ miſſilia ſunt:* ex Græco videlicet tranſlato eo nomine, quia illi τηλόθεν miſſa dicunt, quæ nos eminus: ſicut arma, ea quæ ab humeris dependentia retinentur manibus. *vide l. armorum.* 41. *ſuprà.*

LEX CCXXXIV.

Idem Lib. II. *ad Legem* XII. *Tabularum.*

QUos nos *hoſtes* appellamus, eos veteres *perduelles* a appellabant, per eam adjectionem indicantes, cum quibus bellum eſſet.

EXPLICATIO.

Perduelles. a] *Duellum* enim pro *bello* dicebant: & *duellare, bellare,* Cicero *in Orator.* 13. *Quid verò licentius, quam quod hominum etiam nomina contrahebant, quo eſſent aptiora? nam ut duellum, bellum, & duis, bis, ſic Duellium eum qui Pœnos claſſe devicit, Bellium nominaverunt, quum ſuperiores ſemper appellati eſſent Duellii.* Idem Cicero 1. *offic.* 56. *Equidem illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtis vocaretur, lenitate ibi triſtitiam rei mitigante: Hoſtis enim apud majores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Peregrinus autem dicebatur hoſtis, ab hoſtiendo, id eſt, æquando, quod pari cum civibus jure cenſeretur. Cicero, Feſtus, Varro.* Indè & *perduelles* hoſtes dicti, *quod* (ut ait Nonius) *ex æqua cauſſa pugnam adeant.* Hinc factum, ut qui hoſtili animo in Rempublicam, aut Imperatorem eſſet, perduellionis judicio

judicio teneretur. *l. ult. ff. ad leg. Iul. Majeſt. vid. ſupr. l.* 118.

IDEM §. 1.

LOcuples *a* eſt, qui ſatis idoneè habet pro magnitudine rei: quam actor reſtituendam eſſe petit.

EXPLICATIO.

Locuples. a] *Locuples* apud antiquos dicebatur, qui multas habebat poſſeſſiones. A loco enim deducitur, quaſi dicas locorum, (id eſt, agri, ſeu poſſeſſionum) plenum. *Cicer. in Caton. Major. Plin. lib.* 18. *cap.* 3. *Gellius lib.* 10. *c.* 5. *Quintil. lib.* 5. *cap.* 10. Quippe in locorum poſſeſſionibus, (*ut inquit Nonius.*) Veterum divitiæ erant. *In jure* dicitur *locuples* qui ſatis & idoneè habet pro magnitudine rei quam actor, reſtituendam eſſe petit: *l hac.* & qui ſolvendo eſt. *l. ult.* §. *ult. ff ſi cert. pet. l.* 3. *ff de manum. l.* 57. *ff. de manum. teſt.* In *judicio ſiſtendi cauſa fidejuſſor locuples* accipiendus eſt, non tantum pro rei, quæ petitur, qualitate, & ex facultatibus; ſed & ex conveniendi facilitate. *l.* 2. *l.* 5. §. 1. *ff. qui ſatiſd. cog.* Quia parum intereſt an ſolvendo non ſit fidejuſſor, an verò non poſſit facilè conveniri, ſive ob dignitatem ſive quod habeat præſcriptionem fori; ſive quod ſit litigioſus, aut rixoſus. Fidejuſſorem autem actor non aliâ mente, aut neceſſitate accipit,

accipit, quam ut ſibi & tutior res ſit, & expeditior. *l. ſi fidejuſſor. 7. ff. qui ſatiſd. cog. §. ult. Inſt. de replicat.*

IDEM §. 11.

VErbum *Vivere a* quidam putant ad cibum pertinere: ſed Ofilius ad Atticum ait, his verbis & *veſtimenta* & *ſtramenta b* contineri, ſine his enim vivere neminem poſſe.

EXPLICATIO.

Verbum vivere. a] Verbo *vivere*, ut & *victus*, comprehenditur quicquid ad tuendam, conſervandam, curandamque hominis vitam neceſſarium eſt. Itaque non ſolum *cibus potuſque victus* dicitur, verum etiam *veſtimentum, ſtramentum, tegumentum, habitatio, miniſterium famulorum ac ſervorum*, & ſi quæ ſunt ejus generis alia. *l* 49. *& l. ſeq. l. in lege.* 203. *l. hujus. § hoc. ff. hic. l. fin. ff. de alim. & cib. leg. l. ſi qui. ff. de tranſact. l ſuo victu. ff de oper. lib. l. ſolet. §. fin. ff. de offic. Proc. l. fin. §. Irenarcha ff. de mun. & hon. l. reſcripto. C. eod.* Idem in *nutriendi* verbo obtinet. *Cornæus. conſ.* 45. *in* 4. Non in verbo *Cibandi*; ſed hoc tantum cibum & potum continet. *Archid. c. in quibus de conſecr diſt.* 2.

Stramenta b] *Stramentorum* nomine ſignificatur omne ſtramineum, quod ſolo, cauſsâ quieſcen-

quieſcendi, inſternitur; ut ſtoreæ, phormiones, mattæ, paleæ. *vide l.* 12. §. 12. *ff. de inſt. & inſtrum. leg. Varron. de re ruſt. lib.* 3. *cap.* 50. *Plin. lib.* 15. *cap.* 15.

LEX CCXXXV.

Idem Lib. III. *ad Legem XII. Tabularum.*

F*Erri* a propriè dicimus, quæ quis ſuo corpore bajulat: *portari* ea, quæ quis jumento ſecum ducit: *agi* ea, quæ animalia ſunt.

EXPLICATIO.

Ferri. a] Enarrat hic JCtus quid inter hæc verba *ferri*, *portari*, *agi*, interſit. Et *ferri* dicit ea quæ corpore bajulantur; ſic Quintilianus, *lib.* 6. *cap.* 35. *Ego te bajulare non poſſum. Portari*, ea quæ ſecum jumento ducuntur. *Agi* ea quæ animalia ſunt. Differentia tamen quam dat inter *ferri* & *portari* videtur nimis ſubtilis cum & *portari* dicantur quæ quis corpore ſuo bajulat. *Valla lib.* 6. *eleg. cap.* 51. Sic Plautus *Aulul.* 7. 53. *Ubi onus nequeam portare pariter, jaceam ego aſinus in luto.* Horat. 1. *epiſt.* 13. *Faſciculum librorum portare ſub ala.* Niſi velimus dicere hos licentia uti poëtica, & propriè apud Oratores alioſque Autores *portare* nos dici, quum jumentis nobiſcum aliquid ducimus. Sic enim legimus

apud

apud Ciceronem *Verrem amicam è provincia portaſſe*, & *Pompejum deportaſſe Triumphum.* In jure, *ferri, portari, agi*, tollendæ ambiguitatis gratia conjunguntur; interdum confunduntur. *ut in l.* 1. *Si quis jus dicent. non obtemp. l. ſed & l.* 11. *ad exhibend. l. ſi id quod.* 58. *pro ſocio. l. pen. de rivis. l pen. de vi publica.* Euſtatius in Homerum, ubi eandem apud Græcos differentiam obſervaſſet; fatetur unum pro altero promiſcuè uſurpari. *Forner. hic.*

IDEM §. 1.

F*Abros tignarios a* dicimus non eos duntaxat, qui tigna *dolarent b*: ſed omnes qui ædificarent.

EXPLICATIO.

Fabros tignarios. a] *Faber tignarius* in jure intelligitur omnis qui ædificat; quia in lege XII. Tabularum tigni appellatione omnis materia, undè domus confici poteſt, continetur. *l. tigni.* 62. *ff. hic.* §. *cum in ſuo. Inſt. de rer. diviſ.* Alias *Faber*, (à faciendo dictus) idem ſignificat quod adjectivum ſibi adjunctum. Nam eſt omnis artifex qui labore corporis aliquod artificium facit: ſive qui è quavis materia facit aliquid; excepto gypſo, argilla, ære, & ſimilibus. Qui *plaſtici* dicuntur.

Dolarent. b] Lacædemonum & XII. Tab. legibus erat vetitum, nequid ædificiis dolato

majus

majus adhiberetur : non aſcia, non leviori levigarentur, *inſtrumento*, expolirentur, inciderentur ligna: Qui ergò ferro leviori lignum tractat, non *Faber Lignarius* aut *Tignarius*, ſed *Artifex*, *Sculptor*, *Fictor*, non ligni factor. *Marmor* non eſt *ſtatua*, nec *ſtatuarius Marmorarius*. *Gentil. hic.*

LEX CCXXXVI.

Idem Lib. IV. *ad Legem* XII. *Tabularum.*

QUi *venenum a* dicit, adjicere debet, utrum *malum*, an *bonum*. nam & *medicamenta venena* ſunt; quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum naturam ejus, cui adhibitum eſſet, mutat: cum id quod nos *venenum* appellamus, Græci φάρμακον dicunt. apud illos quoque tam *medicamenta*, quam quæ nocent, hoc nomine continentur. undè adjectione alterius nominis diſtinctio fit. admonet nos ſummus apud eos poëtarum Homerus. nam ſic ait.

Φάρμακα πολλὰ, μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα,
πολλὰ δὲ λυγρά.

Id

Id eſt,

Venena multa quidem bona mixta, multa autem mala.

EXPLICATIO.

Qui venenum. a] *Venenum* medium nomen eſt; quemadmodum φάρμακον apud Græcos; & tam ad id quod ad *ſanandum*, quam quod ad *occidendum* paratum eſt, pertinet; *l.* 3. *ad Leg. Corn. de ſicar.* ideòque qui venenum dicit, adjicere debet, utrum *bonum*, an *malum*. Nam & *medicamenta* ferè omnia, ſecundum Medicos, habent aliquid veneni; ut morbi plerunque, etiam fatente Hippocrate, aliquid divini. Nonius *Medicinam*, ait, *& venenum dicimus:* tractum à Græcis, qui venenum φάρμακον appellant. Quod antiquorum exemplis comprobat. Accius apud eum. *Si veneris, ſterilem eſſe illius opera medicinam autumas.* Virgil. *Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno.* Aulus Gell. *Noct. Attic. lib.* 20. *cap.* 8. inquit: *Iam tonſiles tapetes ebrii fuco, Quos concha purpura imbuens venenavit.* Cicero in Hortenſio. *Vt qui combibi purpuram volunt, ſufficiunt prius, lanam medicamentis quibuſdam:* ſic &c. Quæ hic medicamenta, ille venena. Sunt igitur quædam venena mala & læthalia, noxia, δηλητήρια necandi hominis gratia comparata. *l.* 1. *ad leg. Corn. de ſicar. l. ſi ſciente.* 7. *ad Leg. Pomp de parricid. Paul. lib.* 5. *ſent. tit.* 23. *l.* 4. *fam. erciſc.*

ciſc. l. quod ſæpe. 35. *de contrah. emt. vend.* Inde veneni ejus quod nocet, mali adjectione diſtinctio fit. *l.* 9. *ff. ad leg. Aquil. l.* 7. *ff. famil. erciſc. l.* 35. §. *veneni mali. ff. de contr. emt. Malum* tamen venenum eſt duplicis generis. *Aliud* quod nullo modo uſui nobis eſſe poteſt, nequidem per adjectionem alterius materiæ. quod non eſt in commercio, & eo utentes puniendi ſunt. *Aliud*, licet per ſe ſit malum, mixtum tamen cum aliis materiis ſalubre efficitur. Quod quia ad artem medicam pertinet vendi poteſt. *d. l. quod ſæpe.* 35 §. *veneni.* 2. *ff. de contr. empt.* Et ſic venena proſunt. *Plin. Natur. Hiſt. lib.* 25. *cap.* 4. Talia ſunt antidota, theriaca; Quæ miſcentur ac temperantur ita; ut nobis multum conferant. Cum venenum adverſetur veneno, alterum vincitur altero. *Plinius lib.* 24. *cap.* 17. Idem de aconito. *Duo venena*, inquit, *in homine commoriuntur, ut homo ſuperſit. lib.* 27. *cap.* 11.

IDEM §. I.

G*Landis* [a] appellatione *omnis fructus* continetur, ut Javolenus ait, exemplo Græci ſermonis, apud quos omnes arborum ſpecies ἀκρόδρυα [b] (*id eſt, extremitates arborum*) appellantur.

EX-

EXPLICATIO.

Glandis. a] *Glandis* nomen non tantum ex *quercu* , *ilice*, *fago*, intelligimus, ſed ex omnibus arboribus fructum. *l. un. ff. de gland. leg. l ſilva cadua.* §. *fin. ff. hic.* exemplo Græci ſermonis, apud quos omnes arborum fructus, ἀκρόδρυα appellantur, nempe à nomine δρῦς, quod quercum ſignificat. Hinc Prætor Edixit, *Ne vis fiat vicino, quominus glandem, quæ ex ejus agro in tuum cecidit, tertio quoque die legere & auferre liceat. d. l. un. ff. de gland. leg.* Lege XII. Tabul. (ad quam JCtus Cajus ſcripſit.) cautum fuiſſe, ut colligere glandem in alienum fundum procidentem liceret; docet Plinius. *lib. nat. hiſt.* 16. *cap.* 5.

Ἀκρόδρυα. b] Fructus arborei; quod è ſummis arboribus demantur. *Taurell. l. C.* Nuces vocamus & caſtaneas, quanquam accommodatiores glandium generi. Plin. *lib.* 15. *cap.* 15. glandes inter poma numerari non poſſunt: *cap.* 24. putamine clauduntur nuces, corio caſtaneæ, cruſta glandes, cute uvæ. *cap.* 18.

LEX CCXXXVII.

Idem Lib. V. *ad Legem XII. Tabularum.*

D*UOBUS negativis* a verbis quaſi permittit lex b magis, quam prohi-

prohibuit: idquè etiam Servius animadvertit.

EXPLICATIO.

Duobus negativis. a] Negationis duæ affirmant plerunque; *ut in l.* 1. *C. de ſerv. fugit.* interdum pro una accipiuntur; *ut in l. ejus eſt.* 3. *ff. de div. reg. jur.* Hoc fit cum ſequens negatio jungitur cum particula quidem: *ut l.* 1. *§. ſi quis ita. ff. de verb. oblig.* vel cum ea tacitè intelligitur: *l. fluminum. ff. de dam. inf.* Vel cum duobus verbis aut poſitis, aut intellectis, adduntur duæ negativæ. *Vide hac de re Vallam lib.* 3. *elegant. cap.* 27. *alioſque Grammaticos.* Hermogenes *Rhetoric. ult. Negatione,* inquit, *quandoque eodem ſenſu utimur; quaſi affirmativè locuti eſſemus, quandoque minus ſignificamus, aliquando etiam amplius eodem ſenſu.*

Lex. b] Nam veræ duæ negationes non adfirmant, at medium quaſi conſtituunt. Sic *Non nolle. Non improprie. Vid. Cicer. Epiſt. ad Attic. lib.* 13.

LEX CCXXXVIII.

Idem Lib. VI. *ad Legem XII. Tabularum.*

Plebs *a* eſt, cæteri *cives* ſine *Senatoribus.*

EXPLICATIO.

Plebs. a] *Plebs* à Populo, ait Juſtinianus §. *Lex.* 4. *verſ. plebs Inſt. de jur. nat. gent. & civ.* differt, quo *ſpecies* à *genere*, nam appellatione populi, *univerſi cives* ſignificantur, connumeratis etiam *patritiis* & *Senatoribus*. Plebis autem appellatione, ſine *patritiis* & *Senatoribus* cæteri *cives* ſignificantur. *vid. & Gell. lib.* 10. *Noct. Attic. cap.* 20. Neque enim erat *plebs* peregrinorum, multitudo aliive qui plenum jus Civitatis non habebant. Plebs tamen aliquandò pro Civibus pauperrimis. *Sigonius apud Livium lib.* 2. *cap.* 16. Et quandoque *Populus* pro ſola plebe. *Scaliger lib.* 3. *Poet. cap.* 121. Sic populares *in l.* 1. §. *pen. de offic. Praf. Vrb. l.* 28. §. 2. *de pæn.* Marcellinus. *Hiſt. lib.* 22. *Verecundis Senatus officiis, & popularium conſonis plauſibus.* Sic populum Suetonius *in Caligula cap.* 29.

IDEM §. 1.

D*Eteſtatum* eſt teſtatione denuntiatum *a.*

EXPLICATIO.

Denuntiatum. a] Hoc eſt, ſententiæ ſuæ aliquem per denuntiationem, admonuiſſe. *vide l. ſubſignatum.* 39. §. 2. *& l. deteſtatio.* 40. *ff. hic.*

IDEM

IDEM §. 11.

P*Ignus* a appellatum à *pugno:* quia res, quæ *pignori* dantur, *manu* traduntur. undè etiam videri poteſt verum eſſe, quod quidam putant, pignus propriè rei mobilis conſtitui.

EXPLICATIO.

Pignus. a] *Pignoris* ſignificatio duplex eſt, una *Propria*, altera *Impropria*. *Ant. Fab. in ration. ad l.* 1. *ff. de pign. act.* *Propria* (de qua hic agitur) illa eſt, quæ traditionem exigit, *l. ſi rem.* 9. §. *proprie.* 2. *ff. de pignor. act.* & ad res mobiles tantum pertinet, quæ pugno teneri poſſunt. *Pignus* enim, ut hic dicitur, dictum eſt à *pugno*, quia res quæ pignori dantur, manu traduntur. Seneca *lib.* 3. *de benefic. cap.* 15. inquit: *Non eſt, interrogatione* (id eſt, ſtipulatione, ſponſione. *l. ſi à reb.* 70. §. *ſub diverſis. de fidejuſſ contentus: niſi & rem ſua manu tenent. Id eſt pignus.* *Impropria* (de qua hic non agitur) rurſus eſt duplex. *Una* quæ traditionem quidem perinde requirit, ſed ad quaſcunque res etiam immobiles refertur: nam & res immobiles æque ac mobiles tradi poſſunt, licet non pugno. Sic paſſim JCti tractant de prædio, fundo, pignori dato. *l.* 1 §. *cum prædium. l. ſi fundus.* 16. *& paſſim. ff. de pignor.* *Altera* eſt, quæ nec traditionem exigit, ſed nudo conſenſu &

ſu & ſimplici; pacto etiam nudo, contenta eſt, quam magis propriè hypothecam appellamus. §. *item. Serviana. Inſt. de action.* Et hoc eſt quod *l. res hypothecæ. 5. ff eod.* dicitur, inter pignus & hypothecam nominis tantum ſonum differre; ſcilicet quantum ad effectum actionis hypothecariæ. *d.* §. *item. Serviana.*

IDEM §. III.

N*Oxiæ a* appellatione omne delictum continetur.

EXPLICATIO.

Noxiæ. a] *Noxa* & *noxia* differunt: *Noxa* enim tum corpus quod nocuit, tum pœnam delicti ac ipſum delictum ſignificat. § 1. *Inſt. de noxal. act. l.* 1. 4. *l. fin. ff. eod. l.* 1. *ff. ſi quadr. paup. fec. l.* 49. *ff. de legat.* 1. *Noxia* & pœnam & ipſum delictum, non ſolum privatum, ex quo noxalis eſt actio, verum etiam publicum, quod crimen vocamus & noxam, hoc eſt, pœnam meretur. *l.* 17. §. *quod ajunt. ff. de Ædil. Edict. d. l. fin.* §. 1. *d. l.* 49. §. 1. Promiſcuè tamen accipiuntur. *l. hac. l. ſtipulatio.* 200. *l. aliud eſt fraus.* 131. *l. aliud eſt.* 174. *ff. hic.* §. 1. *ubi Cujac. Inſt. de noxal. act. l.* 1. §. 1. *ff. ſi quadr. paup. fec. dic.*

LEX

LEX CCXXXIX.

Pomponius Lib. Singulari Enchiridii.

PUpillus a eſt, qui cum impubes eſt, deſiit in patris poteſtate eſſe aut *morte* b, aut *emancipatione* c.

EXPLICATIO.

Pupillus. a] *Pupillus* & *ætatem* impuberis & *conditionem* ſignificat. *Ætatem*; cum dicimus pupillum eum qui adhuc impubes in patris poteſtate eſt. nam à *pupus* deminutum nomen eſt. Sic Cajus *in l.* 141. *§.* 1. *ff. de verb. oblig. Pupillus licet ex quo fari caperit, rectè ſtipulari poteſt: tamen ſi in parentis poteſtate eſt, nè autore quidem patre obligatur.* Cicero *de invent.* 2. *Quidam pupillum heredem fecit: pupillus autem ante mortuus eſt, quam in ſuam tutelam veniret. Conditionem pupillus* ſignificat, cum eum pupillum dicimus, qui ante pubertatem deſiit eſſe in patris poteſtate, aut morte, aut emancipatione, *d. l. hac.* & cæpit eſſe in poteſtate tutoris.

Morte. b] Puta vel *naturali*, qui eſt diſceſſus animæ à corpore, *Cicero* 1. *Tuſcul.* vel *civili*; quæ ſalvâ vitâ civitatem & libertatem adimit. Ea fit maximâ & mediâ capitis diminutione. *l.* 64. *§. ult. ff. pro ſocio. §.* 1. *Inſt. quib. mod. patr. pot. ſolv.*

Emancipatione. c] Eſt enim *emancipatio* actus hominis, quo filiusfam. vel filiafam. ſui juris efficitur. Habebat olim (non hodie. §. *præterea. 6. Inſt. eod.*) ſimilitudinem venditionis; hoc modo. Naturalis pater filium ſuum alii fiduciario patri mancipabat, hoc eſt, in manum tradebat: à quo vice mutua duos nummos, quaſi in ſimilitudinem precii; accipiebat, & iterum eos fiduciario patri tradebat. Quod ſecundo & tertio fiebat coram ſeptem teſtibus. Et tali ſuperſtitioſo circuitu ac formula filius patriam poteſtatem exibat. *Gajus lib. 1. Inſt.*

IDEM §. 1.

SErvorum *a* appellatio ex eo fluxit, quod Imperatores *b* [noſtri *c*] captivos vendere, ac per hoc ſervare, nec occidere ſolent.

EXPLICATIO.

Servorum. a] *Servi* dicuntur, quibus libertas arbitrio ſuo vivendi adempta eſt; itaque liberis opponuntur; & ex eo appellati ſunt, quod Imperatores captivos, cum occidi poſſent vendere, ac per hoc ſervare, ſolent. §. 1. *Inſt. de jur. perſ. l. 4. §. 1. ff. de ſtatu hom.* ut hic vult Pomponius, & Imperator Juſtinianus *in* §. 3. *Inſt. de jure. perſon.* eum ſecutus. Non rectè inquit *Fab. in Iuriſp. Papin. eod. princ. 1.* Quia non

non ſervitus à ſervis (quod ſecundum JCti & Imperat. ſententiam dicendum eſſet) ſed ſervi à ſervitute, ut liberi à libertate, §. 1. *Inſt. eod.* appellantur. Concreta enim ab abſtractis, non abſtracta à concretis dicuntur. Rectius Scaliger. *conjectan. in lib.* 5. ſervitutem à *ſerviendo* dictam vult. *Servire* autem & *inſervire* idem eſt quod prodeſſe.

Imperatores. b] Intellige non Principes Romanos, ſed belli Duces; quos olim milites, ita, partâ de hoſtibus victoriâ, (ſive Conſules, ſive Prætores eſſent) appellare ſolebant; quod poſtea Senatus decreto confirmabat.

Noſtri. c] Suſpectum. Cum omnium fere Gentium commune fuerit, captivos ſervare. Xenophon. *lib.* 7. *de Cyri inſtitut.* ait: *Servorum Legem inter homines perpetuam: quando urbs belligerantium capta fuerit, victoribus quæri corpora quoque & pecuniam in victorum poteſtatem concedere.* Livius *lib.* 21. *Alarici oratione. Aurum, argentumque omne, publicum privatumque ad ſe jubet deferri; conjugum veſtraque corpora, ac liberorum veſtrorum ſervat inviolata, ſi inermes cum primis veſtimentis, velitis è Sagunto exire.* Ariſtoteles *lib.* 1. *Politic. cap.* 4. Legem, pactum conventum quoddam eſſe in quod omnes conſentiunt: quo quæ bello ſuperantur, hæc victorum poteſtati permittuntur.

IDEM §. 11.

INcola *a* eſt, qui in aliquam regionem, domicilium ſuum contulit, quam Græci πάροικον, *id eſt, juxta habitantem*, appellant. Nec tantum hi, qui in oppido morantur, incolæ ſunt: ſed etiam qui alicujus oppidi finibus ita agrum habent, ut in eum ſe quaſi in aliquam ſedem recipiant.

EXPLICATIO.

Incola. a] *Incola* eſt, qui in aliquam regionem domicilium contulit; qui in alienam civitatem venit, diu habitaturus: nec tamen jus civitatis habet, nec civiles capit honores tributis pendendis obnoxius. *l.* 4. 5. *C. de incol. lib.* 10. Nec tantum qui in oppido moratur, *incola* eſt, ſed etiam qui in alicujus oppidi finibus ita agrum habet, ut in eum ſe, quaſi in aliquam ſedem recipiat. §. *hoc.* Non ſi in agro permaneat. *l.* 3. *C. eod. l. ſcire oportet.* 35. *ff ad municip. Incolam* non domus aut poſſeſſio facit, ſed *domicilium. l.* 7. *& paſſim. C. de incol. lib.*10. Nullus autem nequidem Scholaris, & ſtudiorum gratiâ aliquo in loco morans, conſtituere domicilium dicitur, ut incola ſit, niſi decem annis tranſactis ſteterit. *l.* 2. *C. de incol. lib.* 10. Quare *incola* eſt,

eſt, non ſimpliciter alienigena habitator, ſed is, qui domicilium, ſedemque rerum ſuarum, animo permanendi fecerit. *d. l. 7. Vide Enarrat. noſtram in Codic. tit. de Incolis. &c.*

IDEM §. III.

MUnus publicum *a* eſt officium privati hominis, ex quo commodum ad ſingulos, univerſosque cives, remque eorum Imperio magiſtratus extraordinarium pervenit.

EXPLICATIO.

Munus publicum. a] *Munus publicum* eſt, vel *ordinarium*, vel *extraordinarium*; *Ordinarium* eſt, quod lege, vel more civitatis, ſecundum ætates & dignitates inter ſe municipes, ordine, hoc eſt, per vices gerunt. *l. 1. C. de muner. patrim.* Cujus generis eſt munus hoſpitis in domum recipiendi. *l. 3. §. 11. ff. de muner. & hon.* Idque teſtatur Cicero. *in Verrin. 3.* ubi ait: *Quod ubi Philodamo nunciatum eſt, tametſi non erat ignarus, quantum ſibi ac liberis ſuis jam tum mali conſtitueretur, tamen adjuſtum venit, oſtendit munus ſuum, id non eſſe ſe cum ſua partes*, (id eſt vices, ut interpretatur Aſcon. Pedeanus) *eſſent hoſpitum recipiendorum, tum ipſos tantum Prætores & Conſules, non legatorum aſſeclas recipere.* *Extra-*

 ordina-

ordinarium (quod hic definitur) eſt, officium privati hominis,ex quo non ordine,hoc eſt, per vices, ſed extra ordinem: commodum ad ſingulos univerſosque cives remque eorum Magiſtratus imperio pervenit. *l. h. §. hoc.* Hujus generis ſunt viæ publicæ, munitiones. *vide l. munus.* 18. *ff. hic. Vid. Method. Enarr. noſtr. Cod. tit. de munerib. & honor. cum ſeqq.*

IDEM §. IV.

ADvena [a] eſt, quem Græci ἄποικον (*id eſt, domo profugum, colonum advenientem.*) appellant.

EXPLICATIO.

Advena. a] Inter *Advenam* & *Incolam* hoc intereſt, quod *Incola fixit* domicilium; non *Advena.* Is enim aliunde veniens, alicubi tantum temporaneam moram agit; ut advena mercator. *l.* 1. *§.* 19. *l. heres abſens. ff. de judic. l. omnes peregrini. C. commun. de ſucceſſ.* Græci eum ἄποικον appellant quaſi ſine lare & domicilio. Servio omnes terræ habitatores, aut *indigenæ* ſunt, aut *advenæ*, aut *convenæ. Indigenæ*, ſunt inde geniti: *Advenæ*, de uno loco venientes: *Convenæ* de diverſis. Appellatione populi, urbis incolæ, non advenæ, continentur. *Felin. c. Rodulphus. de reſcript.* Athenienſes, (licet aram haberent miſericordiæ; *Seneca controverſ. lib.* 10.) tamen Advenas

venas jura Civium uſurpare non ferebant: in vincula conjiciebant; convictos vendebant. Flaccus declam. 23. *Civitatem peregrinus uſurpans veneat.* Cicero lib. 1. Offic. *Debemus habere delectum Civis & Peregrini: in ipſo quoque peregrino, privatim an publicè venerit.* Cum Inquilinis non communicabantur honores. *vid. l. Ejus. 27. §. 1. ad municipal.* Legibus tamen & Moribus municipalibus ſunt obnoxii & receptam judiciorum ibi conſuetudinem obſervare tenentur. *l. 5. §. illud. de reb. eor. l. 3. in fin. de teſtib. l. ſi fundus. 6. de eviction. l. 2. Cod. quemad. teſtam. aper. l. 1. Cod. de emancip.* Secundum eam punientur. *l. 1. l. 2. Cod. ubi de crim. agi. Novel. 69.* Niſi, nuper in Urbem appulſi, legis municipalis errore lapſi pœnam deprecentur. *arg. l. ult. de decret. ab ord. fac.*

IDEM §. v.

D*Ecuriones* [a] quidam dictos ajunt ex eo, quod initio, cum coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui deducerentur, conſilii publici gratia conſcribi ſolita ſit.

EXPLICATIO.

Decuriones. a] *Decurionum* alii erant *Vrbani*, alii *Municipales.* *Vrbani* præerant turmæ quæ conſtabat ex duobus & triginta equitibus. *Vall. lib. elegant. cap.* 32. *Municipales* erant qui Romæ Senatores. *Vall. d. loc.* Nam qui in Senatu & conſiliis Reipublicæ municipalis interesse poterant, Decuriones, erant. *vid. l.* 32. *C. de decur. lib.* 10. *& ff. eod. per. tot.* Eaque de cauſa & ſportulas accipiebant. *l.* 6. §. 1. *ff. eod.* Undè dicti ſint *Decuriones* hic declarat JCtus. Aliter Feſtus. Qui ait Decuriones appellatos quod denis equitibus præeſſent. *Vid. Method. noſtra Cod. Enarr. ad tit. de Decurion.*

IDEM §. VI.

URbs a ab *urbo* appellata eſt; *Vrbare* eſt aratro definire. Et Varus ait, urbum appellari curvaturam aratri, quod in urbe condenda adhiberi ſolet.

EXPLICATIO.

Vrbs. a] *Vrbs* eſt *oppidum* muro cinctum. Dicta ab urbo aratri curvatura: quod antiqui junctis bobus, tauro & vacca, Hetruſco ritu, in condendis urbibus interiore aratro circumagebant ſulcum, intra quem urbem ædificarent.

carent. Hoc faciebant religionis cauſa die auſpicato, ut urbs foſſa muroque munita eſſet; & locum undè terram fodiſſent foſſam vocabant.

IDEM §. VII.

O*Ppidum* a ab *ope* dicitur, quod ejus rei cauſa mœnia ſint conſtituta.

EXPLICATIO.

Oppidum. a] *Oppidum* propriè eſt omnis urbs præter Romam, quæ peculiari nomine urbs vocari cæpta, fecit ut cæteræ urbes vocarentur *oppida*, quia ipſa amplius oppidum non eſt. *ut ait Valla. lib.* 4. *elegant. cap.* 20. Undè *oppidum* dicatur Veteres diſſenſerunt. Refert enim Iſidorus *lib.* 15. *orig. cap.* 1. quoſdam tradidiſſe, ab oppoſitione murorum nomen habere: alios ab *opibus* recondendis: alios ab *ope*, quod contra hoſtem opem dent. Quod hic JCtus & Varro *de ling lat.* ſequitur. Sed undè *urbs*, & *oppidum* dicatur, parum attinet de etymologia diſputare, inquit Valla. *d. loc.* quæ plerunque fallax eſt, & inprimis (niſi fideli fundamento nitatur.) frivola.

IDEM §. VIII.

T*Erritorium* [a] eſt univerſitas agrorum intra fines cujuſque civitatis. quod ab eo dictum quidam ajunt, quod magiſtratus ejus loci intra [b] eos fines *terrendi*; id eſt, *ſummovendi*, jus habet.

EXPLICATIO.

Territorium. a] *Territorii* variæ conſtituuntur etymologiæ. Frontinus *de limit. agror.* controverſiam territorii, recenſet inter controverſiarum genera, ad ipſam Urbem pertinentem; hiſce verbis: *Nam omnia antiqua municipia habent ſuum privilegium. Quicquid enim ad coloniæ municipiive privilegium pertinet territorii jus appellant. Sed ſi rationem hujus appellationis tractemus, Territorium eſt, quicquid hoſtis terrendi cauſa, conſtitutum eſt.* Varroni *lib.* 4. *de ling. lat. Territorium* eſt locus communis, qui prope oppidum relinquitur, ſic dictum quod maxime teratur. Siculus Flaccus *lib. de cond. agror. Bellis geſtis victores populi terras omnes, ex quibus victos ejecerunt, publicè atque univerſaliter territorium dixere, intra quos fines jus ducendi eſſet:* rectius juris dicendi jus eſſet. Quoniam extra territorium jus dicenti impune non paretur. *l. ult.*

de

de juriſdictio. Iſidorus. 14. *Orig.* 15. *Territorium* vocatum ait, quaſi *tauritorium*, id eſt, tritum bobus & aratro, ab eo quod antiqui ſulco ducto & poſſeſſionum & territoriorum limites deſignabant. Cujacius *ad l. duumvirum. C. de decurion. lib.* 10. territorium à terra mavult deducere, quam à terrendo. Nam & pro fundo ſæpe accipitur. *l.* 3. *C. de natur. lib. l. nullo. C. de Epiſc. & Cler.*

Intra. b] Non *extra.* Adeo ut extra territorium jus dicenti, impunè non pareatur. *l. ult. ff. de juriſdict.* Ut jam dictum: Cum enim juriſdictiones non melius poſſint diſtingui quam territoriis, quiſque magiſtratus in ſuo territorio juriſdictionem exercere debet, non extra, nè alioqui turbentur, & miſceantur juriſdictiones, quas plures & diſtinctas eſſe neceſſe eſt. *l. cum unus.* 12. §. 1. *ff. de reb. auct. jud. poſſ.* Sed quia juriſdictiones ſive eundem, ſive diverſos Principes habentes, ſibi invicem mutuis auxiliis favent, ut earum conſervetur auctoritas, *l à Divo.* 15. *ff. de re jud. l. epiſcopale.* 8. *C. de Epiſc. aud. Nov.* 131. *cap.* 5. *l. magis puto.* §. *illud quæri. ff. de reb. eor. qui ſub tut. vel cur. ſunt non alien.* literæ requiſitoriales inventæ: per quas jubet quis ſubditis ſuæ juriſdictioni, ut pareant, qui aliter parere non cogerentur.

IDEM §. IX.

VErbum *ſuum a* ambiguum eſt, utrum de *toto*, an de *parte* ſignificet, & ideò qui jurat *ſuum* non eſſe, adjicere debet *b*, neque ſibi communem eſſe.

EXPLICATIO.

Verbum ſuum. a] *Suum* verbo dominium ſignificatur, & *ſuorum* appellatione tantum continentur ea quæ vindicari poſſunt, non quæ in nominibus ſunt. *l.* 27. *§. argento. & l.* 34. *ff. de aur. & arg. leg. vid. l. meorum.* 91. *ff. hic.* Ambiguum verò eſt, cum quis *ſuum* dicit, utrum de toto an de parte ſignificet. *hic.* quoniam & id noſtrum eſt, quod nobis cum alio commune eſt, cum nulla pars demonſtrari poſſit, quæ noſtra non ſit. *l.Pomponius.* 8 *ff. de rei vind. l.* 5. *§. Labeo.ff.de legat.*1 *l.*2 *ff.de cond. inſtit. l.* 1. *C.qui teſtam fac. l.illud dubitationis. ff. de ritu nupt. l.ſervi electione.* § 1.*ff. de legat.*1. Cum ergò quis ſervos dicit, hi deſignati videntur, quos paterfamilias ſuorum numero habuit, & qui pleno jure ejus fuerunt. Nec in his fiuctuarii ſervi; aut venales habiti continebuntur; omninò cum alio communes, ut & bona fide poſſeſſi, quorum uſusfructus alienus eſt. *l.* 71. *l.* 73. *cum l. ſeq ff. de legat.*3.

Adjice-

Adjicere debet. b] Ergò pro qua quiſque parte ſuum eſſe dicat, ambiguitatis tollendæ causâ adjici debet, cum vel nos vel judicem certum eſſe oportet, an de toto vel parte agatur. *text. hic. & l. licet. ff. de petit. hered. l. 3. §. fin. l. ſi in rem 6. ff. de rei vind.*

LEX CCXI.

Paulus ex libris Sex, Libro Primo Imperialium Sententiarum in Cognitionibus Prolatarum.

CUM quærebatur a, an verbum. *Soluto matrimonio dotem reddi*, non tantum divortium, ſed & mortem contineret, hoc eſt, an de hoc quoque caſu contrahentes ſentiant: & multi putabant hoc ſenſiſſe, & quibuſdam aliis contra videbatur: ſecundum hoc motus Imperator pronuntiavit, id a-*ctum eo pacto, ut nullo caſu remaneret dos apud maritum.*

EXPLICATIO.

Cum quærebatur. a] *Soluto matrimonio dotem reddi* qui ſtipulatur, id ſtipulari videtur, ut nullo caſu dos apud maritum maneat, *L. hac. l. ſi quis ſic. 56. ff. ſoluto matrim.* Solvitur matri-

matrimonium, vel morte, ſive naturali, *l.* 1. *ff. de divort. & repud.* ſive civili, ut captivitate, *Novel.* 17. *c.* 1. aut alia contingente ſervitute, *d. l.* 1. aquæ & ignis interdictione, & quæ in ejus locum ſucceſſit, *l.* 2. §. 1. *ff. de pœn.* deportatione; *d. l. ſi quis ſic.* puta olim, non hodie: *l.* 1. *C. eod. Nov.* 22. *cap.* 13. vel inter vivos, divortiis. *l.* 14. §. 2. *ff. qui & à quib. l.* 101. §. 1. *l.* 191. *ff. hic.*

LEX CCXLI.

Quintus Mucius Scævola Libro Singulari.

IN *rutis cæſis* [a] ea ſunt, quæ terra non tenentur, quæque *opere ſtructili, tectoriove* non continentur.

EXPLICATIO.

In rutis cæſis. a] *Ruta cæſa* ſine copula à veteribus pronuntiabantur. *l.* 5. §. *idem Iulianus. ff. ad exhib. l.* 8. §. *fin. ff. de act. empt.* Solebant in venditionibus excipi: *Cicero in Topicis.* hodie non eſt neceſſe; cum emptor de his nobis ad exhibendum teneatur, niſi ſpecialiter vendita ſint. *l. Celſus.* §. *idem Iulianus. ff. ad exhibend. l fundi.* 17. §. *ſi ruta. ff. de act. empt.* Dicuntur ea quæ venditor poſſeſſionis, ſui uſus gratiâ concidit, ruendaque extraxit. Et *ruta* quidem quæ *eruta* ſunt, ut arena, creta, & ſimi-

& ſimilia; *caſa*, ea quæ cæſa, ut arbores cæſas, & carbones & ſimilia, eſſe vult Ulpian. *in l. fundi.* 17. *§. ſi ruta.* 6. *ff. eod.* Granaria item quæ ex tabulis fieri ſolent, ſi eorum ſtipites ſupra terram ſunt, ut & tegulas, quæ nondum ædificiis impoſita ſunt *rutis* & *caſis* cedere, dicit Javolenus, *in l. granaria.* 18. *ff. eod.* Quintus Mucius *Ruta caſa* definit, quæ neque ædium, neque fundi ſunt; & in *rutis caſis* ea demum ſtatuebat, quæ terra non tenerentur; quæque opere ſtructili, tectoriove non continerentur. *l. hac. & l. in vendendo.* 66. § *Quintus.* 2. *ff. de contr. empt.* *Opus ſtructile*, dicitur, quod ex lapide quadrato, aut laterculis, calceque conſtructum eſt; cujuſmodi ſunt columnæ, ſepes. *Tectorium* eſt incruſtatio ſplendorem tranſmittens, quæ ex gypſo & calce, vel ex marmore tuſo compoſita parietibus inducebatur. ut Vitruvius *lib.* 2. *cap.* 4. *& lib.* 7. *cap.* 2. & Plinius docent.

LEX CCXLII.

Javolenus Lib. II. *ex Poſterioribus Labeonis.*

M*Alum* a navis eſſe partem, *artemonem* autem non eſſe, Labeo ait: quia pleræque naves ſine *malo* inutiles eſſent, ideoque pars navis habe-

habetur. *artemo* autem magis adjectamento, quam pars navis eſt.

EXPLICATIO.

Malum. a] *Malus* eſt arbor navis qua vela ſuſtinentur: Sic dictus, vel quia quibuſdam malleolis ligneis cingitur, quorum volubilitate facilius vela elevantur. Iſidor. *lib.* 19. *Etymolog. cap.* 2. Gloſſario vetere, arbor navis, ἱςὸς πλοίȣ. Differt ab *artemone*, quod *malus* verè & propriè ſit pars navis; *l. ſcapha.* 44. *ff. de eviction. artemon* verò non ſit. Ratio eſt: quia pleræque naves omnes ſinè malo eſſe nequeunt: ſine *artemone* eſſe poſſunt. *l. hac.* Eſt enim hic *artemon*, ut hic vult Alciatus, velum majori additum ab ἀρτάω aſſuendo: Bayſius majus velum interpretatur. Vitruv. *lib.* 10. inſtrumentum cum orbiculis, ad ſublevanda & demittenda onera, quo in navibus funes ductarii trahuntur, & armamenta explicantur. vulgò trochleam vocant. Hinc apparet venditâ vel legatâ navi quid ſit præſtandum.

IDEM §. 1.

INter *projectum* a & *immiſſum*, hoc intereſſe ait Labeo: quod *projectum* eſſet id, quod ita proveheretur, ut nuſquam requieſceret, qualia *meniana*, & *ſuggrunda* eſſent: *immiſſum* autem,

autem, quod ita fieret, ut aliquo loco requieſceret, veluti *tigna*, *trabes*, quæ immitterentur.

EXPLICATIO.

Inter projectum. a] Differunt *projicere* & *immittere*. *Projicere* eſt, cum tigna extra columnas ſeu parietes extenduntur, ut nuſquam requieſcant, ut *ſuggrunda*, *maniana*, vel *podia* faciamus: quo genere ſtructuræ ædificia in ſuperioribus partibus ampliora reddi ſolent. Hujus rei inventor Mænius traditur, *Iſidor. lib.* 15. *Etymolog. c.* 3. *Feſtus Pompejus.* à quo mœniana omnes ædificiorum projecturæ generaliter dicuntur. *l. ſervitutes.* §. 1. *ff. de ſerv. urb. præd.* Frequens erat Mœnianorum antequam interdiceretur, uſus. M. Vitruv. *lib.* 2. *de Architect. cap.* 8. *Ergo mœnianis & contignationibus variis alto ſpatio multiplicatis, Populus Romanus egregias habet, ſine impeditione, habitationes.* Amm. Marcellinus. *lib.* 27. *Gloria clari Rectoris*, inquit, *pluria & utilia diſponentis. Nam & mœniana ſuſtulit omnia, fabricari Romæ priſcis quoque vetita legibus.* *Immittere* eſt ita provehere ut in aliquo loco requieſcat. Hinc projiciendi & immittendi ſervitutes. *l.* 1. & 2. *ff. eod. l. pen. ff. ſi menſ. falſ. mod. dix. l.* 8. §. 1. *ff. ſi ſerv. vind.* Quod ſine jure ſervitutis in parietem meum immiſſum, de facto dejicere poſſum; non quod ſupra

ſupra ædes meas projectum; ſed debeo negatoria agere, & intendere jus non eſſe vicino ita projectum habere. *l. quemadmodum.* 29. §. 1. *ff. de leg. Aquil. l ſi quando.* 17. *ff. ſi ſerv. vind. l. ult. ff. de arbor. cæd.*

IDEM §. 11.

PLumbum *a*, quod tegulis poneretur, ædificii eſſe ait Labeo: ſed id, quod *hypæthri* tegendi cauſa poneretur, contra eſſe.

EXPLICATIO.

Plumbum. a] *Plumbum* tegularium quo ædes teguntur, & quod in tegulis ponebatur cum ædificii ſit, vendito eo, etiam debetur; *l. fundi.* 17. §. 8. *l.* 38. §. *fin. ff. de act. empt.* non quod *hypæthri* tegendi cauſa poneretur, cum non ſit pars ædificii. *l. hac.* Eſt autem *hypæthrum* locus ſub dio & cœlo patenti expoſitus ſine tecto; ut vel ipſum nomen arguit. *Vitruv. lib.* 1. *cap.* 2. *& lib.* 5. *cap.* 9. Eum Romani æſtate ſolebant velis tegere & exornare, ut calor ambulantes in eo non premeret: hyeme plumbo, vel ſimili tegumenti genere, nè frigore, vel gelu pavimentum obduceretur. *l. quæſitum.* §. *de velis. ff. de inſtr. & inſtrum. leg.* Vitruv. lib. 1. cap. 2. ſic: *Statione cum Iovi fulguratori, & cœlo, & Soli, & Luna,*

Luna, ædificia ſub divo, hypæthraque conſtituuntur. Idem lib. 3. cap. 1. *hypæthros ſub divo, ſine tecto, &c.* Hæc enim invicem opponuntur. Vegetius lib. 1. de re milit. cap. 3. *Interdum ſub divo, interdum ſub papillionibus commorentur.* Aul. Gellius Noct. Atticar. lib. 10. cap. 15. *Ac ſine apice ſub divo eſſe licitum non eſt; ſub tecto, uti lubet.* Et poſt. *Tunicam intimam, niſi in locis tectis non exuit: nē ſub cœlo, tanquam ſub oculis Iovis, nudus ſit.* Fiebant hypæthria ante veſtibula templorum. *Zenodoto teſte.* Solebant Veteres precari ſub dio. *Teſte Pindari Olymp. 6. Od. Scholiaſte. Forner. hic.*

IDEM §. III.

V*Iduam a* non ſolum eam quæ aliquando nupta fuiſſet, ſed eam quoque mulierem, quæ virum non habuiſſet, appellari ait Labeo: quia *vidua* ſic dicta eſt, quaſi *vecors*, *veſanus*, qui ſine corde, aut ſanitate eſſet. ſimiliter *viduam* dictam eſſe, ſine *duitate.*

EXPLICATIO.

Viduam. a] *Vidua*, inquit Labeo, dicta eſt, quaſi *ſine duitate:* quia, cum matrimonium ſit duorum, *l. 1. ff. de ritu nupt. §. 2. Inſt. de patr. pot.*

pot. quæ ſine ea *duitate* eſt, *vidua* habetur. *Vidua* ergo dicitur quæ virgo, *Seneca in Agamemn. An te morantur virgines viduæ domi.* quæ aliquando nupta fuit, ſed à viro morte vel divortio diviſa ſit, §. *item lex Iulia. ff. de publ. jud.* quæ uſu viri propter abſentiam caret. *Seneca in Agamemn. Decem per annos vidua reſpiciam virum.* Vidua quaſi valde *Idua*, vel à viris diviſa. *Iduare* (undè *idus*, dies menſem dividens. Etruſca lingua dividere. *Macrobius. lib.* 1. *Saturnal. cap.* 15. Horatius *lib.* 4. *carm. Od.* 11. ſic. *Idus tibi ſunt agenda, qui dies menſem veneris marinæ findit Aprilem. Viduis*, pupillis aliiſque miſerabilibus perſonis privilegium datum, ut ad Principis comitatum evocare poſſint Adverſarios, ipſæ per reſcriptum evocari non poſſint. *l. un. Cod. Quand. Imp. inter pup. &c.* Sub iis comprehendunt nonnulli Doctores & eas quæ nunquam virum habuerunt. *arg. l. n. Azo. Cyn. Bart. in d. l. un. Sichard. ad rubr. ibid. num.* 4. Diff. alii: *Covarruv. pract. quaſt.* 7. *qu.* 7. *num.* 2. *Vult. ad d. l. un. num. 6.*

IDEM §. IV.

STraturam *a* loci alicujus ex tabulis factis, quæ æſtate tollerentur, & hyeme ponerentur, *adium* eſſe, ait Labeo: quoniam *perpetui uſus* paratæ eſſent,

ſent, neque ad rem pertinere, quod interim tollerentur.

EXPLICATIO.

Straturam. a] Quæ *perpetui uſus* cauſſa in ædificiis ſunt, ædificii eſſe Labeo ſcribit. *l. fundi.* 17. § *Labeo.* 7. *ff. de act. empt.* Ex perpetua enim deſtinatione rei qualitatem ſumimus ac finimus. *Gothofr. ad d.* §. *Labeo. Stratura* ergò, cum ejus perpetuus ſit uſus, ædium eſt; undè ædibus venditis etiam debetur. Eſt autem *ſtratura* ſpecies ſtructuræ ex tabulis facta, ac potiſſimum illa quâ pavimentum lapidibus ſtratum, hyeme tegitur, ut commodior ſit uſus, & ne lapides nimium pedes refrigerent.

LEX CCXLIII.

Scævola Lib. XVIII. *Digeſtorum.*

SCævola reſpondit: *Semper acceptum* [a] *eſt, ut libertorum appellatione etiam hi contineri intelligantur, qui eodem teſtamento vel poſteriore loco* [b] *manumitterentur*: niſi ſi manifeſtè is, à quo peterentur, contra defuncti voluntatem doceret peti,

EX-

EXPLICATIO.

Semper acceptum. a] Alimenta ergò libertis relicta, debentur & iis qui eodem teſtamento, licet poſteriore loco, manumittuntur. Imò ſi alimenta libertis relicta, etſi legati fuerint ſervi, & rogati legatarii manumittere, ad fideicommiſſum admittuntur. *l. 2. ff. de alim. legat.*

Vel poſteriore loco. b] Quia in iis quæ uno contextu fiunt, non eſt dari prius & poſterius. *§. ante. 34. Inſt. de legat. l. 2. §. prius. ff. de vulg. & pup. ſubſt. l. nec enim. 6. ff. de ſolution.* ſed voluntas ſcribentis attendenda; quæ pleniſſimè, in teſtamento, eſt interpretanda. *l. in teſtamentis. 12. ff. de div. reg. jur.*

LEX CCXLIV.

Labeo Lib. IV. *Pithanon à Paulo Epitomatorum.*

SI qua *pœna* [a] eſt, *mulcta* eſt, ſi qua *mulcta* eſt, *pœna* eſt. Paulus. Utrumque eorum falſum eſt. Namque harum rerum diſſimilitudo ex hoc quoque apparet: quod de *pœna* provocatio non eſt: ſimulatque enim victus quis eſt ejus maleficii, cujus *pœna* eſt ſtatuta, ſtatim ea debetur: At *mulcta* provo-

provocatio eſt, nec ante debetur, quam aut non eſt provocatum, aut provocator victus eſt, nec aliter, quam ſi is dixit, cui dicere licet. Ex hoc quoque earum rerum diſſimilitudo apparere poterit, quia *pœnæ* certæ ſingulorum peccatorum ſunt: *multa* contra, quia ejus judicis poteſtas eſt, quantam dicat: niſi cum lege eſt conſtitutum, quantam dicat.

EXPLICATIO.

Si qua pœna. a] Quod Labeo dicit *pœnam* & *multam* idem eſſe, inſpectâ vocabuli origine verum eſt; nam *multa* Oſcè pœnam ſignificat. *Feſt. lib.* 11. Falſum autem eſt, ſi uſitatum JCtis loquendi morem inſpiciamus. Multum enim *pœna* & *multa* differunt. In quibus vide ſupra *in l. aliud fraus.* 131. §. 1. Hic ex JCto addimus. A *pœna* provocari non poſſe, Quia ea, utpote à lege ſtatuta, convicto reo ſtatim debetur, & de ea, niſi legem iniquitatis reus arguere velit, quod non eſt admittendum, appellari nequit. Poteſt ſi ideò provocet, quod ſe dicat innoxium, vel ex lege ejuſmodi pœna affici non poſſe; *Bald. in l.* 1. *col.* 5. *C. ne ex delict. defunct.* A *multa* autem, cum ea Jus dicentis arbitrio infligatur, provocari poteſt; non enim ante debetur, quam ſententia, quà indicta,

cta, in vim rei judicatæ tranſierit. Hæc non ita accipienda, quaſi à ſententiis, quibus certa legibuſque definita irrogatur pœna, nulla ſit appellatio. Certum enim eſt, furem manifeſtum aut raptorem condemnatum in quadruplum, appellare poſſe. Sed hæc JCti eſt mens. Non tam à Judice quàm à Lege irrogari pœnam, nec quenquam queri de ſanctione Legis, ejuſque definitionem in dubium aut diſcrimen vocari poſſe. Proinde dicemus furis aut raptoris provocationem non tendere eò, ut quadrupli pœnam arguat injuſtam & iniquam, ſed ut alleget ſe furem vel raptorem non eſſe, adeòque ſe à judice perperam condemnatum. At in Mulctæ terminis quis appellare poteſt, ut fateatur maximè factum: aut quia omninò factum mulcta dignum negat, aut conqueritur non tantà mulcta eſſe coercendum. Plinius *Romano Epiſt. pen. lib.* 4. ſic. *Licinius Nepos Prætor acer & fortis mulctam dixit, etiam Senatori. Egit ille in Senatu cauſſam ſuam. Egit autem ſic, ut deprecaretur, remiſſa eſt mulcta: ſed timuit, ſed rogavit, ſed opus venia fuit. Cicero de Lege Agraria in Rullum Trib. Pleb. orat.* 2. *de immenſa Decemviror. poteſt.* inquit: *Datur cognitio, ſine conſilio: pœna, ſine provocatione: animadverſio, ſine auxilio.* Ergò à mulcta provocandi jus eſt. Exactio ſuſpenditur appellatione.

LEX

LEX CCXLV.

Pomponius Lib. X. *Epiſtolarum.*

STatuæ *a* affixæ *baſibus ſtructilibus*, aut tabulæ *religata catenis*, aut erga *parietem affixa*: aut ſi ſimiliter cohærent *lychni*; non ſunt ædium: ornatus enim ædium causâ parantur, non quo ædes perficiantur.

EXPLICATIO.

Statua. a] Quæ in ædibus ornamenti causâ parata ſunt, *non ſunt adium*, undè ædibus venditis, vel legatis non debentur, ſiquidem commodè ab ædibus ſeparari poſſunt. *l. quaſitum.* 12. §. 16. *cum ſeqq ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.* Non ergò debentur *ſtatua*; licet *baſibus ſtructilibus*, quæ ædium ſunt pars, *l. in rutis.* 241. *ff. hic.* ſint impoſitæ. Sunt autem hic; *baſes ſtructiles*, ſeſſiones ſtatuarum, columnarum, fabricarum, quæ à fundo conſurgunt, & ſuppoſitæ fabricæ ſuſtinent onus. Nec debentur *tabula picta*, id eſt, *ſtatua & figura*; quas antiqui catenis religabant, vel parieti affigebant: ut nec *lychni*; id eſt candelabra, quæ contignationibus & parietibus affixa, vel laquearibus religata dependent. *l. fundi.* 17. §. *qua tabula. ff. de action. emt. Virgilius lib.* 1. *Æneid* ——

Dependent lychni laquearibus aureis incenſi.

IDEM §. 1.

IDem Labeo ait, *Prothyrum* [a], quod in ædibus [iterum qui] fieri ſolet ; ædium eſt.

EXPLICATIO.

Prothyrum. a] *Prothyrum*, ut hic dicitur, ædium eſt. Eſt *prothyrum*, Vitruvio *lib.* 6. *cap. pen.* veſtibulum domus; Lipſio 2. *Epiſt.* 7. repagulum è ferro, vel lapide, vel qua alia re utcunque depactum, arcendis à veſtibulis ædium vehiculis & equis. Cujacio *lib.* 14. *obſ.* 1. velamen quo aditus ædium obtenditur. Hoc ſi ex tabulis factum, eſt pars ædium, utpote perpetui uſus causâ confectum: alias non, cum tum non uſus, ſed voluptatis cauſâ habeatur. *l. quaſitum* 12. *§. Papinianus.* 23. *ff. de inſtruct. & inſtrum. leg.*

LEX CCXLVI.

Idem Lib. XVI. *Epiſtolarum.*

APud Labeonem Pithanon ita ſcriptum eſt: *exhibet* a, *qui præſtat ejus, de quo agitur præſentiam.* Nam etiam qui *ſiſtit*, præſtat ejus, de quo agitur, præſentiam, nec tamen [eum] *exhi-*

exhibet. [&] qui mutum, aut furioſum, aut infantem *exhibet*, non poteſt videri ejus *præſtare præſentiam:* Nemo enim ex eo genere præſens ſatis aptè appellari poteſt.

EXPLICATIO.

Exhibet. a] *Exhibere* tam ad *perſonas*, quam *res* refertur. Ad *res* quum refertur quid ſit ſupra *l. plus.* 22. *ff. hic.* vidimus. Ad *perſonas* relatum, eſt, ut vult Labeo, ejus de quo agitur præſtare præſentiam. Et rectè, ſi *exhibere* generaliter ſumamus. Eſt enim in Edicto de libero homine exhibendo nihil aliud quam in publicum producere & videndi tangendique hominis facultatem præbere: *l.* 3. § *ait Prætor.* 8 *ff. de lib. hom. exhib.* propriè extra ſecretum habere. *d. l.* 3. §. 8. Labeonis definitionem culpat Pomponius hic. Cum quia communis eſt; nam qui ſiſtit hominem in judicio; præſtat ejus de quo agitur præſentiam; tamen aliud ſiſtere, aliud exhibere. Tum quia *furioſus*, *infans*, *mutus*, puta natura exhibentur, tamen habentur abſentium loco. Rectè quoad animum, non quoad corpus. *vide ſupra l. coram.* 209. *& ibi annot.*

IDEM §. 1.

Reſtituit, non tantum qui ſolum corpus, ſed etiam qui omnem

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google